RESOLUTIONUM PRACTICARUM PRO CONFESSARIIS MONIALIUM IN...

Digitized by Google

B. 128

Digitized by Google

Digitized by Google

RESOLUTIONUM PRACTICARUM
PRO CONFESSARIIS MONIALIUM
P. S.

Digitized by Google

RESOLUTIONUM PRACTICARUM

PRO CONFESSARIIS MONIALIUM IN CONGREGATIONIBUS MENSUALIBUS HABITIS

CORAM

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino

D. JACOBO CARDINALI BONCOMPAGNO

ARCHIEPISCOPO BONONIÆ ET S. R. I. PRINCIPE

PER

P. D. FRANCISCUM ALOYSIUM BARELLI NICENSEM

Cler. Reg. Barnabitam, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultorem, Examinatorem Synodalem, & in Eccleſia Metropolitana Pœnitentiarium

Additis totidem, ad Moniales, Sermocinationibus, juxta Regulam indictam

A PURPURATO INSTITUTORE

PRO SANCTIORI REGIMINE

SACRARUM VIRGINUM

SIBI SUBJECTARUM

PARS SECUNDA

BONONIÆ M.DCC.XIX.

Typis Ferdinandi Piſarri, ſub Signo S. Antonii. *Superiorum Permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIME PRINCEPS

VEhementer cupiebat imbecillimum hoc Reſolutionum Moralium Opus Tuo ſub Patrocinio ſuam requirere felicitatem, et qua non enituit in Academiis ſuo è Sole lucem emendicare. Hęc infelicis ſapientiæ ſagacitas præclaros ſibi eligere Mecœna-

tes, quorum prẹſidio ſuo ſtet in lapſu, quorum virtute ſuis medeatur ærumnis. Verùm, fateor, tua minimè audebat ingredi limina literarius Fœtus clauſtrales ortus inter latebras, tantique Principis Aulam penetrare verebatur humili aſſuetus Palladis lycæo. At evicit quod una poterat Humanitas Tua, EMINENTISSIME, quæ timorem ponere juſſit, et, ut fiducialem animum daret, penè fecit audacem. Eâ enim Clementiâ Reſolutionum opus excepiſti, ut facilè in ſpem erigerer, Te non recuſaturum ſecundum, & novo me beneficio cumulari poſſe percepi, poſtquam ſenſi, me primo donatum beneficio. Semel bene feciſſe haud contenta eſt Virtus Tua, quæ limites neſcit, nec aliena inficiaris exiguitate, qui beneficium tua animi magnitudine metiris. Ea denique Principum conditio eſt, aliis magis vivere, quàm ſibi. Redit itaque humillimus Author ad pedes tuos, numquam diſceſſurus, ut novo ſuffultus præſidio novi Operis tutelam ſibi vindicet, & du-

pli-

Digitized by Google

plicem ſortiatur in uno Principe Mecœnatem. Nec dedignaberis tueri Opus, quod omni ex parte tuum eſt; fovebis Clementiâ, quod tuo adolevit imperio; et, ſi benignè affuiſti dicenti, humaniſſimè aderis ſcribenti. Eadem enim, Te patrocinante, ſcribo, quæ, Te audiente, dixi: Quòd ſi compertã non haberem erga tenuitatem meam Animi Tui celſitudinem, fruſtra mihi mens eſſet ſupplici nunc Libro ad Te confugere, & temeritatis argumentum penè ducerem primo obſequio tuam tentare Clementiam. Verùm, cum, ut Optimi Paſtoris numeros omnes impleres, Congregationem inſtitueris, ubi de Sanctimonialium re ageretur, meque tanto Operi, licèt imparem, præfeceris, ſpes certa ſubiit, ſe eodem zelo pagellas haſce tutaturum, quo Eccleſiæ tuæ promoviſti Sanctitatem, eâdem Pietate ſervaturum ſcribentis opus, qua exegiſti obedientiam; eo denique Charitatis ſinu excepturum humile pignus, quo omnium animos devinxiſti. Quæ cum ita ſint Liber-

culi

Digitized by Google

culi mei ſorti gratulor, qua tanto in Principe ſentit, ſe inveniſſe Mecœnatem, tanto in Mecœnate Principem: et, ne minor felicitas authori contingere videatur, quàm Operi, ad obſequii gloriam ſe, ſuaque dedicat

Eminentiæ Tuæ Reverendiſſimæ

Bononiæ ex Collegio Pœnitentiariæ 14. Novembris 1719.

Humillimus, Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus Servus

D. Franciſcus Aloyſius Barelli Barnabita C. R. S. Pauli.

Digitized by Google

Ad Lectorem Benevolum.

PRimam Partem Reſolutionum practicarum pro Confeſſariis Monialium, à me typis datam, humaniter excepiſti Lector benevole. Humanitas tua, qua fuiſti in Primam, illa ipſa eſt, cur hac Secunda veniat ad lucem expectans tuam ipſam humanitatem, licèt immeritò, propter nimiam imbecillitatem auctoris. Quandoquidem, ſecutus methodum anteactam in prima Parte, habes Reſolutiones in hac Secunda conſimiles. In hac etenim, ut in altera, materia ſunt caſus morales, pro dirigendis Sanctimonialium conſcientiis, necnon, veluti forma, argumenta, hinc ad hoſce reſolvendos, & inde alia ad diluenda objecta, & quidem omnia, & ſingula ſtylo facili, & nitido exarata.

Ad hoc me coegit munus Deciſoris, quo fungor multis ab hinc annis in Congregationibus menſualibus, conformiter ad Legem indictam ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo, qui præeſt, Confeſſariorum reſponſiones auditurus, meique Reſolutiones humaniter approbaturus. Quare nil novi addere debueram, tum etiam ne viderer in hac Secunda Parte diverſus, à me ipſo, in prima. Secutus ſum graviſſimorum Auctorum opiniones, quorum Nomina tibi ſcripta ſunt in prima Parte, liben-

libenti quoque animo amplexus fui eorumdem doctrinam, ut videre eſt etiam in his volutandis, quæ nunc prodeunt ad lucem. Brevitati ſtudui more meo, ne Purpuratum Præſidem in dicendo tædio afficerem, ſimulque brevis ſum in ſcribendo, ne tu ipſe in legendo longo afficiaris incommodo.

Tu autem eſto mihi, & impreſſori verè benevolus; benignus, & patiens, eſtoque ſanus, & incolumis ad uſque Neſtoris annos.

DON

Digitized by Google

DON PHILIPPUS PETRUCCIUS

Præpoſitus Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli.

CUM *Librum*, *cui Titulus eſt* -- Reſolutionum Practicarum pro Confeſſariis Monialium, Pars Secunda, *& item alium*, *cujus Titulus* -- Sentimenti Spirituali per Monache, *utrumque à Patre D. Franciſco Aloyſio Barelli Congregationis noſtræ Presbytero Profeſſo compoſitum*, *duo ejuſdem Congregationis noſtræ eruditi Viri*, *quibus id commiſimus*, *accurata lectione*, *& gravi judicio recognoverint*, *& poſſe in lucem edi probaverint*; *Nos*, *ut Typis mandetur*, *quantum in nobis eſt*, *facultatem facimus*. *In quorum fidem*, *has fieri*, *Sigilloque noſtro muniri juſſimus*. *Datum Romæ in Collegio noſtro S.S. Blaſii*, *& Caroli Die* 28. *Januarii* 1719.

Don Philippus Petrucci Præpoſitus Generalis.

Locus Sigilli.

D. Septimius Maria Manutius Pro-Cancellarius.

Vidit

Vidit D. Jo. Chryſoſtomus Piazza Cleric. Regular. S. Pauli in Eccleſia Metròpolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſs., & Reverendiſs. Domino D. Jacobo Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo, & Principe.

Die 24. Januarii 1719.

A. R. P. Alphonſus Migliari S. T. M. Ord. S. Auguſtini videat, & referat.

F. V. M. Mazzoleni Inquiſitor Coadjutor Generalis S. Officii Bonon.

Eruditum hunc Secundum Tomum ex Sexaginta Reſolutionibus Practicis pro Confeſſariis Monialium, totidemque variis ſpiritualibus Exercitationibus pro Monialibus ipſis Italico ſermone ejuſdem adnexis conflatum, Auctore zelantiſſimo, & Sapientiſſimo P. D. Franciſco Aloyſio Barelli Pœnitentiario, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultore, de commiſſione Reverendiſſimi P. Inquiſitoris Bononiæ attentè perlegi, univerſaque multâ laude digna adinveni; quin immo cuncta ſana, pia, ſaluberrima, multùm Confeſſariis utilia, & Sacris Virginibus pro imitando Cœleſti earum Sponſo valdè accommodata adjudicavi: Quapropter ne tàm ſalutari doctrinæ pabulo Confeſſarii Monialium, & Moniales ipſæ hac ſpirituali eſcâ non ſaginatæ illud (ehu nimirum dolentes!) uſurpent: Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis, *eaſdem Typorum ope jure meritò in lucem cenſeo poſſe prodire. Bononiæ in Conventu S. Jacobi Majoris pridie Kal. Martii 1719.*

F. Alfonſus Migliari Auguſtinianus S. T. M & pro Sancto Tribunali Operum Theologor. imprimend. Reviſor Ordinarius.

Die 3. Martii 1719.

Attenta ſupraſcripta atteſtatione

IMPRIMATUR.

F. V. M. Mazzoleni Inquiſitor Coadjutor Generalis S. Officii Bononiæ.

Monialis

Monialis die decima ſexta menſis Januarii confitetur peccatum grave apud Confeſſarium extraordinarium datum à Superiore pro omnibus Monialibus ad formam Sac. Conc. Trid. cum hac Clauſula in ſcriptis ; *ſpatio quindecim dierum incipiendorum à die prima ejuſdem menſis data licentia*, dubitans de validitate actus, propterea conſulit Confeſſarium ordinarium.

Deſideratur judicium iſtius.

RESOLUTIO I.

SUMMARIUM

1 *Videtur hac Monialis invalidè confeſſa.*
2 *Ratio eſt, quia confeſſa eſt Perſonæ, non habenti ampliùs facultatem confitendi Moniales ſui Monaſterii, ac proinde eam ipſam;*
3 *Quandoquidem elapſum erat tempus quindecim dierum conceſſum Confeſſario ad audiendas Confeſſiones earundem Monialium;*
4 *Nam dies termini computatur in termino.*
5 *Præterea facultas confitendi Moniales fuit taxata Confeſſario ad certum tempus, extra quod tempus Monialis noſtra confeſſa eſt, ergo tenetur iterare Confeſſionem factam extra hoc tempus.*
6 *Quibus non obſtantibus, dico, Monialem non teneri ad iterandam Confeſſionem, licèt Confeſſarius malè ſe geſſerit.*
7 *Ideò primum, quia Monialis confeſſa eſt Confeſsario, qui communiter reputabatur pro eo tunc cum facultate audiendi Confeſſiones Sacramentales:*
8 *Quare cum vero titulo colorato obtinuit abſolutionem virtute juriſdictionis Eccleſiæ univerſalis.*

 9 *Ideò*

9 *Ideò ſecundum, quia Confeſſarius debebat facultatem ſibi impertitam metiri de momento in momentum.*

10 *Hoc apertiſſimè docent verba expreſſa in licentiis Confeſſariorum extraordinariorum Monialium iſtius Bononien. Diœceſis.*

11 *Ad primum objectum reſpondetur doctrina ſuperiùs tradita in reſolutione;*

12 *Regula verò ibi adducta non facit contra Monialem communi errore excuſatam, ſed tantùm contra Confeſſarium malè ſe gerentem.*

13 *Ad ſecundum, dato toto ratiocinio, negatur illatum, propter ſuperiùs dicta.*

14 *Et additur quid agendum eſſet à Confeſſariis ordinariis in remedium prædicti erroris.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem in hypotheſi ad theſim vocata invalidè fuiſſe confeſſam, quia confeſſa fuit ſui grave pec-
2 catum Confeſſario extraordinario non habenti ampliùs facultatem miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ Monialibus ſui Monaſterii, & per conſequens neque ſibi ipſi, quatenus una de illis: quandoquidem defectus juriſdictionis in miniſtro inducit nullitatem Confeſſionis Sacramentalis in pœnitente; unde videtur Confeſſarius ordinarius in contingentia facti conſulere debere Monialem ad reiterandam ſui Confeſſionem, tanquam
3 nulliter factam apud illum Extraordinarium, qui die decima ſexta menſis non habebat ampliùs facultatem audiendi Confeſſiones Monialium ſui Monaſterii, eò quòd expiraverat unà cum diebus quindecim incœptis à die prima menſis, qui fuit dies datæ licentiæ, quæ revera incipiebat eadem die, prout clariſſimè colligitur ex ipſis verbis expeditæ licentiæ, videlicet; *Concediamo licenza d' udire le Confeſſioni Sacramentali delle*

Suore

Suore del Monaſtero &c.e durerà al più per iſpazio di quindici giorni da cominciarſi dal dì della Data : & hujuſmodi ratiocinium
4 valde urget, urgente illa regula, & præſertim in materia Sacramentaria tanti ponderis, nempe dies termini computatur in termino.

Præterea cum facultas miniſtrandi Sacramentum Pœni-
5 tentiæ fuerit data ex dictis ſuperiùs per dies quindecim continuatos, hoc eſt limitativè, & taxativè, ut ſonant illa verba luce meridiana clariora, nempe: *durerà al più per iſpazio di quindici giorni da cominciarſi dal dì della Data*, ſequitur evidenter, quòd Confeſſarius extraordinarius, elapſis illis diebus quindecim, ſit ſpoliatus illa juriſdictione, quam habebat, quia tunc ceſsat illico approbatio Ordinarii pro audiendis Confeſſionibus Monialium; non enim ſemel approbatus pro tali tempore determinato ad excipiendas Monialium Confeſſiones intelligitur ſemper approbatus in futurum, cùm certiſſimum ſit, hujuſmodi approbationem requiri toties, quoties contingit caſus illas audiendi Sacramentaliter, juxta ea, quæ diximus *in prim. par. Reſol.7. nu.12. & ſeq.* conformiter ad declarationes Sac. Cong. Concilii: ex dictis igitur videtur, Confeſſarium Ordinarium poſse, & debere in propoſito caſu Monialem conſulere ad reiterandam illam ſui Confeſſionem tanquam invalidam, quatenus factam Sacerdoti non approbato, & propterea non habenti poteſtatem juriſdictionis à Superiore.

His tamen non obſtantibus, Reſolvo, præfatam Monialem in contingentia facti non teneri ampliùs reiterare Confeſſionem
6 Sacramentalem de illo peccato gravi confeſso apud Extraordinarium, ut ſupra; licèt in propoſito caſu idem Extraordinarius malè ſe geſſerit. Ratio primi eſt, quia Monialis confeſſa fuit ſui peccatum grave dicto Confeſsario extraordinario,
7 reputato pro eo tunc cum facultate audiendi Confeſſiones Sacramentales omnium Monialium à legitimo Superiore,

quatenus fuerat ut talis denunciatus ab Abbatiſsa, prout de more inter Moniales, toti Communitati, & ſic præfata Monialis, ſtante hoc errore communi,& ſanè probabili, cum vero titulo colorato obtinuit validam abſolutionem virtute juriſdictionis Eccleſiæ univerſalis, quæ in hujuſmodi contingentia facti habet ſupplere jura Epiſcoporum, ne oriantur in do-
8 mo Dei graviſſima incommoda, graveſque conſcientiarum perplexitates, & ſcrupuli cum ruina animarum, *ut advertit Bonac. de nat. & propr. matrim. quæſt. 2. punct. 8. nu. 25. §. 3. cum Cajet. in ſumm verb.* Confeſs. iteratio. *Palud. in 4. diſt. 17. quæſt. 6. ar. 1. Reginald. lib. 1. nu. 97. & aliis.* Quandoquidem verus titulus coloratus oriens à legitimo Superiore, qui poteſt dare verum titulum, unà cum errore communi circa impedimentum, modò non ſit ex defectu Juris naturalis, aut Divini, ſed tantùm circa impedimentum Juris humani, quale eſſet defectus juriſdictionis in Sacerdote non approbato ad audiendas Confeſſiones Monialiũ ab Epiſcopo; hoc etenim foret impedimentum humanum, hoc eſt ab homine communiter ignotum, operatur, ut reputentur valida ea, quæ fiunt ab eodem impedito ex defectu ſibi ipſi noto dumtaxat, & occulto aliis, apud quos exercet aliquod miniſterium, tanquam verus miniſter, ut docent paſſim Auctores in hac materia, juxta *l. Barbarius de officio Prætoris*; & hinc eſt, quòd Monialis confeſsa præfato Extraordinario pro illa die reputato communiter tanquam vero Confeſsario omnium Monialium, remanſerit abſoluta, ideòque non ampliùs obligata confiteri de præterito ſui peccato gravi; ſuppoſitis tamen cæteris requiſitis ex parte ipſius Monialis pœnitentis ad Sacramentum Pœnitentiæ, hoc eſt actibus doloris, & confeſſionis illius peccati, cum hi actus ſint materia proxima, & partes eſſentiales ejuſdem Sacramenti.

Ratio autem ſecundæ partis hujus Reſolutionis, Confeſsa-
9 rium extraordinarium nempe in contingentia facti malè ſe geſſiſse, conſtat ex eo, quòd ejus facultas illi data pro audien-
dis

Digitized by Google

dis Confeſſionibus Monialium à Superiore debet computari de momento in momentum; quemadmodum enim à momento A., verbi gratia, diei lunæ Sacerdos poſset incipere legitimè audire Confeſſiones, quia in eodem momento A. ejuſdem diei habuit approbationem, & licentiam illas audiendi, & ita ſimiliter legitimè continuaret illas audire uſque ad momentum A. diei lunæ ſequentis hebdomadæ ad formam licentiæ ſibi expeditæ pro toto tempore incluſo intra dies lunæ utriuſque hebdomadæ, & non ante, nec poſt; quod idem eſt, ac dicere de momento in momentum, rigoroſè loquendo, quia in hac materia tam gravi, ubi agitur de juriſdictione Sacramentali delegata, dies termini computari debet in termino ſinè ulla reſtrictione, aut intentione ad mentem Superioris concedentis licentiam; & loquendo ſingillatim de licentiis, quæ dari ſolent ab Eminentiſſimo noſtro clariſſimè conſtat, mentem ipſius eſſe, quòd Confeſsarius extraordinarius Monialium poſſit à die datæ licentiæ incipere audire Confeſſiones illarum uſque ad dies quindecim, & non ultra, per illa verba;

10 *e durerà al più per iſpazio di quindeci giorni da cominciarſi dal dì della Data*, elapſis autem illis diebus quindecim non intendit idem Eminentiſſimus vigore ejuſdem licentiæ datæ protrahere, aut elongare tempus taxatum, & limitatum ut ſupra in dicta licentia; unde Extraordinarius ceſſare debet omnino ab audiendis Confeſſionibus Monialium ſtatim ac ceſſat facultas data, hoc eſt in eodem momento, uſque ad quod intelligitur data ab eodem Superiore, & non aliter, nec alio modo, ſecus malè ſe gereret, quatenus miniſtraret illicitè, immo & invalidè quantùm eſt ex parte ſui, eò quòd miniſtraret Sacramentum Pœnitentiæ ſinè ulla juriſdictione Superioris neceſſariò requiſita, ut fatentur omnes Canoniſtæ, prout clariùs habebitur in Reſolutionibus objectorum.

11 Ad primum igitur reſpondetur negativè quoad primam partem objecti, & affirmativè quoad ſecundam: ratio primæ habe-

Digitized by Google

habetur in ratiocinio deſuper expoſito pro fundamento Reſolutionis, quia Monialis in contingentia facti ob ſui peccati gravis Confeſſionem Sacramentalem apud illum Sacerdotem communiter reputatum cum vero titulo colorato Confeſſarii extraordinarii, quatenus fuerat datus Monialibus à legitimo Superiore, & ab omnibus adhuc reputabatur talis, quatenus nulla ex illis ſciebat, tempus licentiæ datæ fuiſſe expiratum, unde bona fide accedebant Moniales ad confitendum in illa die decima ſexta, non ſecus ac accederent ad ipſum pro ſuis Confeſſionibus à die prima menſis currentis uſque ad decimam quintam ejuſdem incluſivè: Error igitur communis unà cum dicto titulo colorato inducit validitatem Confeſſionis, quia, inquiunt unanimiter Auctores ſuperiùs citati, extante errore communi, & vero titulo colorato, Eccleſia ſupplet defectum juriſdictionis, ne ſequantur incommoda, perplexitates, dubia, & ſcrupuli cum animarum ruina; & hinc clarè colligitur, Confeſſarium ordinarium in caſu propoſito non debere conſulere Monialem ad reiterandam Confeſſionem illam, ſed illam ſuadere, ad ſe credendam fuiſſe validè abſolutam, ideòque deobligatam ad reiterandam præteritam Confeſſionē; & pro ſui prudentia idem Confeſſarius deberet conſultus ſuper hujuſmodi dubio à Moniali cautè procedere in loquendo de illo Extraordinario, qui, licèt revera in contingentia facti uſurpaverit ſibi facultatem audiendi Confeſſiones, ut ſupra, & ſanè temere contra voluntatem, & mentem ſatis expreſſam Superioris; non eſſet tamen improbandus, & damnandus apud Monialem, tanquam miniſter illegitimus, ne inde orirentur ſcandala in domo Dei apud alias Moniales confeſſas forſan ſub eadem die decima ſexta, ſed ipſam relinquere, & confirmare in bona fide, quòd fuerit nempe validè abſoluta.

Ad illud autem quod addebatur de illa vulgari regula: *Dies termini computatur in termino*, ſatisfit dicendo; in hujuſmo-

Digitized by

juſmodi contingentia facti nihil operari contra Monialem, quæ fuit confeſſa, extante, ut dictum fuit, errore communi cum vero titulo colorato in Confeſſario extraordinario; ſed
12 efficere dumtaxat, præfatum Extraordinarium, qui revera computare debuerat diem termini, hoc eſt diem Datæ licentiæ tanquam terminum, a quo incœperat poſſe audire Confeſſiones Monialium uſque ad diem decimam quintam, tanquam terminum ad quem, & extremitatem ſui poſſe audire Confeſſiones earundem Monialium, cum tempora regulariter ſint continua, & de momento in momentum reputentur; & præſertim ut in caſu noſtro, ubi dictiones licentiæ datæ pro audiendis Confeſſionibus tempus ipſum deſignant clarè, & explicitè, ut docuit ex profeſſo Hieronymus Magonius in ſuis Deciſionibus Florentiæ. *Deciſ. 8. nu. 16. & ſeq. uſque ad nu.* 20.

Ad ſecundum; admiſſo toto ratiocinio tanquam vero, negatur illatum propter ea, quæ hucuſque diximus de errore com-
13 muni, & vero titulo colorato cum omnibus Canoniſtis, quorum voto definitivo Monialis ad theſim vocata remanſit validè abſoluta à præfato Confeſſario extraordinario, qui tamen ſi advertenter miniſtraſſet Sacramentum Pœnitentiæ, ut ſupra, graviter peccaſſet, quia miniſtraſſet in materia gravi ſinè juriſdictione. Quare ad vitanda hæc, & ſimilia incommoda Confeſſarius ordinarius in contingentiis Extraordinariorum pro bono gubernio ſpirituali deberet monere Superioriſſam Monaſterii, ut certiores faciat totam Communita-
14 tem de præfixo tempore, quo durare debet licentia Confeſſarii extraordinarii, hoc eſt, à die tali ad alterum talem diem, juxta mentem Superioris.

Quæ hucuſque dicta ſunt in computo de die ad diem, intelligenda ſunt de hora ad horam, cum tempora currant de momento ad momentum. Ait mihi aliquando Monialis cujuſdam Monaſterii, quę voluit, licentiam mihi conceſſam tanquam Confeſſario extraordinario durare uſque ad horam in veſpe-

ris

ris diei decimæ ſextæ, quia licentia data fuerat in vèſperis diei primæ ejuſdem menſis, eò quòd, dicebat ipſa, duratura erat ſpatio quindecim dierum naturalium viginti quatuor horarum incipiendorum ab hora vigeſima ſecunda expeditionis ejuſdem licentiæ datæ, & finiendorum ſub eadem hora diei decimæ ſextæ, quatenus erat complementum dierum quindecim ejuſdem licentiæ.

Monialis Profeſſa rea convicta, & poſtmodum confeſſa graviſſimi delicti, damnata fuit juridicè ad perpetuum carcerem in ſuo Monaſterio: clauſa in carcere confitetur Sacramentaliter ſemel in menſe apud Confeſſarium ordinarium Monialium, & occaſione Confeſſionis Sacramentalis quærit à Confeſſario, an poſsit fugere ab eadem, & Monaſterio abſque metu violationis clauſuræ.

Deſideratur reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO II.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Monialem in caſu propoſito poſſe auſugere à Carcere, & Monaſterio abſque metu violandi clauſuram,*

2 *Quia ipſa nunquam promiſit ſervare clauſuram cum tali, ac tanto ſui incommodo,*

3 *Neque prævidit, ex gravi ſui delicto poſſe unquam ita condemnari ad perpetuum Carcerem:*

3 *Præ-*

Digitized by Google

4 *Præterea non videtur ſpoliata eo Jure, quo alia Monialis ſinè metu violationis clauſuræ poteſt auſugere à Monaſterio ob evitandam mortem violentam ſibi imminentem ab Hoſte.*

5 *Quibus minimè obſtantibus, reſolvimus in contrarium,*

6 *Quia hæc Monialis ſupponitur juſtè condemnata juxta Canones pœnitentiales ſui Ordinis:*

7 *Et cum ſit juridicè condemnata fugiendo inferret injuriam Juſtitiæ punitivæ,*

8 *Cui eo magìs ſtare tenetur propter Votum ſolemnis Obedientiæ debitæ Superiori condemnanti.*

9 *Quapropter ſi nequit auſugere de carcere ſinè gravi peccato, multò minus poterit à Monaſterio ſinè violatione clauſuræ.*

10 *Inſuper ſicuti vir Regularis damnatus juridicè ad perpetuum carcerem non poteſt tuta conſcientia ab eo auſugere, ita Monialis &c.*

11 *Quia carcer aſſignatur tanquam Monaſterium, & pęna obligat poſt Sententiam.*

12 *Ad primum negatur antecedens, & ratiocinium, quia Jura ſupponunt in eſſe quæ neceſſaria ſunt de pręcepto:*

13 *Quare vovendo obſervantiam Regulæ, vovit etiam ſubmittere ſe cuicumque illius juſtæ diſpoſitioni.*

14 *Carceres verò Monialium, utpote mites, nequeunt ullo modo comparari cum pęna mortis.*

15 *Cętera ex dictis ſolvuntur.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Confeſſarium ordinarium, in contingentia facti, poſſe præfatam Monialem conſulere ad captandam fugam, ſibi propoſitam, ul-
2 lo abſque metu violandi clauſuram aliàs Monialibus indictam, quia Monialis nunquam promiſit ſervare clauſuram, cum incommodo ſibi tam gravi, manendi nempe clauſa in carcere, donec vixerit; etenim, ut notant *Riminaldus junior Conſil.* 554. *nu.*66. *Scanarol. de Viſit. carc.* §. *cap.* 1. *Altograd. Con-*

 ſil.

ſil.39.nu.20.lib.1.cit. à Caſſiano in ſua Arbore lit. C. V. Carcer. nu.1. *Carcer dicitur mala manſio, vivorum ſepultura, ſpecies ſervitutis, & domus diaboli*; & Monialis quamvis potuerit timere de ſua fragilitate fieri rea gravis delicti in futurum, & in hoc caſu puniri poſſe pœnis gravibus, nunquam tamen cogitavit, quòd poſſet claudi ad vitam in carcere, & propterea, in contingen-
3 tia facti, Confeſſarius, ſequendo ſententiam ejuſdem Monialis, poſſet illam conſulere ad fugam capiendam à carcere, & à Monaſterio ſinè timore violationis clauſuræ, quia lex de ſervanda clauſura non videtur obligare Monialem cum tanto incommodo carceris perpetui, ratione cujus contrahuntur graves infirmitates, & abbreviatur ipſa vita, ut experientia docet in dies, & præſertim quando carcer eſt ex durioribus, videlicet humidus, obſcurus, & fœtens; unde ſi Monialis, de qua eſt ſermo, utpote debilioris ſexus, timeret ſui mortem certò, vel quaſi certò, proximè, aut ante tempus ſibi viſum, futuram cauſa carceris, videtur poſſe aufugere ut ſupra ſinè culpa violationis clauſuræ; clauſura namque non violatur culpabiliter à Moniali per egreſſum licitum, ut notavimus *par.* 1. *Reſolut.* 14. *nu.* 7. *& ſeq.* & precipuè *nu.* 14. ubi habentur rationes, quæ probant, Monialem poſſe licitè egredi à clauſura ad ſalvandam ſui vitam, in periculo proveniente à principio extrinſeco, quæ rationes videntur apprimè favere præfatæ Moniali, ut valeat licitè egredi à clauſura carceris, & Monaſterii ullo abſque metu violandi formalem clauſuram.

Præterea Monialis, damnata ad perpetuum carcerem intra proprium Monaſterium, quamvis rea delicti, pro quo damnata fuit à Judice ad carcerem perpetuum, non videtur ſpoliata
4 illo Jure naturæ, quod habet alia Monialis ad egrediendum à Monaſterio ſinè formali violatione clauſuræ in caſu evitandi mortem violentam ſibi imminentem ab Hoſte invadente, quem nequit vitare ſinè egreſſu à clauſura; quia pœna ſui criminis non videtur ex una parte reputata ab eodem Judi-

Digitized by Google

ce pœna mortis; & ex alia parte carcer perpetuus videtur eidem Moniali eſſe continuè mori, & propterea ſicuti Laico propter delictum capitale juſtè conſtituto in carcere, ut evitet pęnam mortis, licitum eſt, ut docet *Leſſius de Juſt. lib. 2. cap. 31. nu. 33. cum S. Thoma 2. 2. quæſt. 69. art. 4. & aliis*, fugere à carcere; ita ſimiliter erit licitum Moniali damnatæ ad perpetuum carcerem, qui æquiparatur morti violentæ; carcerata namque, utpote infirmi ſexus, ex hoc præciſè quòd detineatur in carcere, & cogitet quòd ſit detinenda in eodem ad vitam, ſenſim, ſed violenter mori ſibi videtur; ſi autem in hujuſmodi caſibus, evadendi nempe mortem violentam, ex cauſa extrinſeca, licitus eſt egreſſus abſque violatione formali clauſuræ; videtur, præfatam Monialem poſſe ſinè metu violandi clauſuram aufugere à carcere, & à Monaſterio; ideòque Confeſſarium, in contingentia facti, poſſe illam conſulere ad fugam.

His tamen non obſtantibus, Reſolvendum eſt, Monialem
5 ream convictam, & confeſſam gravis delicti, propter quod
damnata fuit ad perpetuum carcerem in ſuo Monaſterio, non poſſe licitè aufugere, quia ut rea gravis delicti, primò juridicè convicta, & dein ore proprio confeſſa, ſupponitur juſtè condemnata juxta Canones pœnitentiales ſui Ordinis, & Summorum Pontificum, qui ſemper intelliguntur, ſi non explicitè, ſaltem implicitè in Regula quorumcumque Ordinum, niſi habeatur ſpecialis exceptio alicujus eorum: Monialis autem, taliter condemnata, non poteſt aufugere; quandoquidem juſtè detentus in carcere, quamvis reperiat oſtium carceris apertum, & præſertim Religioſus, ut notat *Roderic. quæſt. Reg. tom. 2. quæſt. 23. art. 6. p. 66. col. 1.* non poteſt fugere, *ut ex Gloſs. l. ſuccurritur ff. ex quibus cauſis cit. à Caſſiano in Arbore Opinionum verbo* Carcer §. 1. *nu. 42.* & licèt opinio contraria habeat ſuos vindices, Reſolutioni tamen non officiunt, quia ſupponuntur loqui de carcerato Laico, nondum condemnato: in

Digitized by Google

caſu autem noſtro ſermo eſt de Moniali jam condemnata, & quidem juſtè; unde non videtur poſſe aufugere à carcere inculpabiliter propter injuriam, quam, fugiendo à carcere, in-
7 ferret Juſtitiæ punitivæ, & ipſi Monaſterio, ubi vovit Obedientiam ſervare; undè ſicuti Judex potuit illam condemnare, ut ſupponitur, ſervato Juris ordine, ad perpetuum carcerem, poteſt etiam juſtè exigere ab eadẽ condemnata obſervantiam, & adimplementũ pęnæ, ad quam fuit condemnata, juxta Legum diſpoſitiones ſecundùm ſuum delictum; ſi ergo, utpote juſtè damnata tenetur in pęnam ſui delicti manere in carcere Monaſterii, ſtatim evincitur, præfatam Monialem non poſſe aufugere ab eodem carcere, nec habere cauſam legitimam arripiendi fugam à Monaſterio; & propterea non poſſe exire ab eodem ſinè metu violandi clauſuram; maximè quia contra hujuſmodi Monialem jura Juſtitiæ vindicativæ, ſive punitivæ magis urgent, eò quòd ſint conjuncta cum Voto ſolemni Obe-
8 dientiæ ab eadem Moniali emiſſo; hoc etenim Votum operatur de ſui natura, quòd Superior ejuſdem Monialis habeat poteſtatem coactivam imperandi ſupra ipſam Monialem, & Monialis ſit ſtrictè obligata illi parendi; cum autem fuerit condemnata per Superiorem ad perpetuum carcerem, tenetur in eodem manere, tum ratione juſtæ Sententiæ, tum etiam virtute Voti Obedientiæ, & propterea non poſſet aufugere ſinè
9 gravi peccato, & de conſequenti, nec à Monaſterio ſinè violatione formalis clauſuræ, cum eidem reſiſtant *Trid. ſeſs. 25. cap. 5. & plures Conſtutiones Papales*, prohibentes Sanctimonialibus profeſſis exire à clauſura Monaſterii, quocumque prætextu, præterquam ex legitima cauſa approbanda ab Epiſco-
10 po: Inſuper ſicuti Regularis alterius ſexus, damnatus juridicè ad perpetuum Carcerem in ſuo Monaſterio, non poteſt tuta conſcientia fugere à carcere, ut ſcripſit *Naldus in Sum. Reſol. pract. verb.* Carcer *nu. 2. cum Roderico quæſt. Reg. tom. 2. quæſt. 23. art. 6. col. 2. pag. 66. ut docet Cajet. ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 62. art. 3.*
tum

Digitized by Google

tum quia locus carceris aſſignatur ei tanquam Monaſterium,
11 tum quia pena obligat poſt Sententiam; ſimiliter videtur diſcurrendum in caſu noſtro de Moniali, ut advertit *Donat. tom. 4. de violata clauſura Monial. per egreſſum tract. 4. quaſt. 13. nu. 3.* quia rationes adductæ contra virum Religioſum faciunt ad caſum noſtrum, ſaltem proportionabiliter, ubi paulò ante *nu. 1.* firmat præſentem Reſolutionem illis verbis *Apoſtoli ad Rom. 13. qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*; firmata igitur hujuſmodi auctoritate Reſolutione noſtra.

12 Ad primum negatur antecedens, & ſubſequens ratiocinium, quia Monialis, de qua loquimur, in ſua profeſſione ſolemni, vovit Vota ſua ſecundùm regulam, quam profitebatur, prout fieri ſolet in quacumque Religione approbata, & vovit vota ſua poſt annum probationis, ſive Novitiatus, *juxta decret. Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 15.*, unde ſupponitur plenè informata de Regula, quam, tranſacto dicto anno, debebat profiteri, &, ſi non eſſet plenè informata, ut ſolet aliquando contingere in Novitiis Regularibus, utriuſque ſexus, imputet ſibi; Jura namque ſupponunt in eſſe, quæ tanquam neceſſaria, ſunt de præcepto, ut in caſu præſenti: Monialis autem ſciens, aut præſumpta rationabiliter ſciens, regulam ſui Monaſterii, non debet ignorare Canones penitentiales ejuſdem Regulæ contra Moniales delinquentes in regulari diſciplina, & fortè vidit alias Conſorores ſuas penitentiari variis aliis modis à Superioribus, & propterea Monialis noſtra non poteſt, in ſui excuſationem, aſſignare privilegium ignorantiæ Juris juſtitiæ puniti-
13 væ in ſua Religione: quibus poſitis, ſtatim deducitur, ipſam Monialem promiſiſſe ſervare etiam in carcere ad tempus, aut ad vitam, prout diſponunt Sacri Canones, & Decreta Papalia, quæ ſemper intelliguntur ad eſſe, ſaltem implicitè, in ipſa regula Monialium. Hinc habetur, Confeſſarium non poſſe conſulere Monialem hujuſmodi ad fugam ſinè peccato, & ſinè metu violandi clauſuram; hæc etenim obligat Monia-

lem

Digitized by Google

lem ad ſtandum, nedum intra ſepta Monaſterii, veluti cæteræ Moniales, ſed etiam in carcere eidem aſſignato in pęnam ſui gravis delicti, ac ſi eſſet ad aliud Monaſterium translata, ne communicet cum aliis Monialibus, à quibus ſegregata, inſerviat ad terrorem, & exemplum aliarum. Ad reliqua verò, quæ addebantur in objecto, facilè ſatisfit; in primis dicendo, carceres regularium utriuſque ſexus non eſſe, prout aliquando ſunt apud criminales Laicos, pro reis graviſſimorum delictorum; non enim ſunt in clauſtris Religioſis carceres ſubterranei, obſcuri, & tetri, longe ab aliis Religioſis, ita ut carcerati, vel carceratæ clamores nequeant audiri à Confratribus, vel Consororibus; hujuſmodi enim carceres damnantur à Doctoribus, etiam in foro laicali, cum carcerati non ſint beſtiæ, ſed homines, & Dei imagines, ideòque non ita malè tractandi, advertit *Glinneſ. relatus à Caſſiano loc. cit.* §. 3. *nu.* 90. *& alii*

14 *apud Rodericum cit.*; & hinc eſt, quòd carceres clauſtralium, cum non ſint, veluti aliquando audiuntur, eſſe apud Laicos, ſed ſint multùm diverſi, quatenus inventi ad cuſtodiam potiùs, quàm ad pęnam, ſunt ejuſdem, vel quaſi ejuſdem conditionis, ac ſint alia cubicula Fratrum, vel Consororum, non ſunt appellandi, *mala manſio, virorum ſepultura*, *& domus diaboli* eò ut, loquendo in caſu noſtro, Monialis poſſit captare motivum legitimè aufugiendi à carcere, ad quem fuit damnata in perpetuum, non ſolùm ad illius cuſtodiam, ne reincidat in patratum delictum, ſed etiam ut in pęnitentia ibi vivat, ſegregata ab aliis Monialibus, ibique patiatur aliqua incommoda, tolerabilia tamen, citra ullum periculum vitæ, attenta eximia charitate, qua ſolent tractari Regulares utriuſque ſexus, & præſertim moniales in carcere, quoad victum, veſtitum, lectum, viſitationes, & quoad uſum Sacramentorum &c.; quibus ſtantibus, nullo modo licitum erit Confeſſario conſulere præfatam Monialem ad fugam ſinè metu violandi clauſuram: immo teneretur illam hortari, omni meliori modo, ad ſer-

Digitized by Google

ſervandum carcerem in pœnam ſui delicti, dando illa monita ſalutaria de Chriſti paſſione, & Servorum Dei, & ſingillatim S. Petri Martyris, qui, quamvis prætenſus reus, quòd auſus fuiſſet fœminas introducere in ſui cubiculum Conventus, paſſus fuit carcerem ad longum tempus patientiſſimè, à quo dein liberatus fuit innocentiſſimus à Deo probatus.

15 Ad ſecundum negatur ſimiliter antecedens, & totum ſuppoſitum in relata paritate, cum nihil verificetur de illa in Moniali ad theſim vocata, ut ex dictis ad reſponſionem contra primum objectum ſatis clarè colligitur. Confeſſarius igitur, conſultus, ut ſupra, deberet reſpondere præfatæ Moniali, juridicè condemnatæ ad perpetuum carcerem, teneri ſtrictè ſub gravi manere in eodem; ideòque nullo modo poſſe aufugere ab eodem, & à Monaſterio ſinè violatione clauſuræ.

Monialis, amiſſa confidentia Sacramentali apud ſui Confeſſarium ordinarium, confitetur eidem ſolùm peccata venialia, reticendo unum peccatum mortale dumtaxat, verùm cum propoſito illud confitendi quamprimùm Confeſſario extraordinario.

Quæritur; an poſſit excuſari à Sacrilegio?

RESOLUTIO III.

SUMMARIUM

1 *HÆc Monialis videtur excuſanda à Sacrilegio,*
2 *Quia materialiter tantùm dimidiaret Confeſſionem, non verò formaliter.*

3 *Exem-*

Digitized by Google

3 *Exemplificatur quadam paritate:*

4 *Etiam bona fides poſſet excuſare Monialem;*

5 *Immo fortaſſe aliqua prudentia cum fundamento, ne majora ſcilicet detrimenta, & ſibi, & proximo evenirent ex manifeſtatione culpæ lethalis.*

6 *His non obſtantibus, reſolvitur, hujuſmodi Monialem ſacrilegè confeſſam fuiſſe,*

7 *Quia integritas materialis Confeſſionis Sacramentalis eſt de Jure Divino, ut docet* Tridentinum:

8 *Hinc eſt, quòd inferat injuriam Sacramento, & damnum ſibi graviſſimum,*

9 *Et eò magìs, quia præfata integritas materialis eſt neceſſaria per ſe, non verò per accidens; quod clarè dilucidatur.*

10 *Ad primum objectum reſpondetur, negando antecedens, utpote innixum motivo inſubſiſtenti;*

11 *Probatur enim, quòd ſacrilegè confiteretur, quia materialiter, & formaliter dimidiaret ſui Confeſſionem abſque juſta ratione.*

12 *Impugnantur excuſationes, & refellitur paritas ſuperiùs adducta in favorem Monialis.*

13 *Ad ſecundum objectum reſpondetur, demonſtrando, Monialem nullo modo conſtitutam eſſe in ulla ex circumſtantiis adductis, quæ poſſent illam excuſare à Sacrilegio.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, poſſe præfatam Monialem excuſari à ſacrilegio, quia Monialis in data hy-
2 potheſi, non videtur dimidiare Confeſſionem, niſi materialiter, quatenus reticet illud peccatum mortale, non autem formaliter, eò quòd habeat verum propoſitum illud quamprimùm confitendi, apud Confeſſarium extraordinarium proximè venturum ad audiendas Sacramentales Confeſſiones
3 omnium Monialium; ſi enim excuſaretur à ſacrilegio præoccupatus aliqua ſyncope, qui dimidiaret ſui Confeſſionem

ma-

Digitized by Google

materialiter, manifeſtando nempe unum peccatum mortale
dumtaxat, cętera mortalia reticendo, & hoc illa ratione de-
cantata, nempe quia ſupponitur habere in dato caſu totam
Confeſſionem in voto, ſcilicet propoſitum confitendi omnia,
& ſingula mortalia quando poterit, ſimiliter præfata Monia-
lis eſſet excuſanda à ſacrilegio propter eamdem rationem,
hoc eſt, quia etiam ipſa licèt reticeret illud mortale, & ſic
dimidiaret Confeſſionem materialiter, illam nihilominus fa-
ceret integram formaliter, quia haberet votum, & propoſitum
confitendi extraordinario quamprimum idem peccatum,
quod reticeret.

Præterea Monialis, de qua in hypotheſi ad theſim vocata,
videtur quòd poſſit inculpabiliter reticere in Sacramentali
4 Confeſſione illud peccatum mortale; poſſet namque judica-
re pro illo tunc non teneri ad illud manifeſtandum, & bo-
na fide ſe poſſe differre Confeſſionem ejuſdem uſque ad ad-
ventum extraordinarii: ut innuit *Philippinus de privileg. Igno-
rantiæ cap.15. priv. 10. cum Bonacina tom. 2. de peccat. diſp.2. quæſt.
8. prop.2. nu.17.*, & ſic quia bona fides excuſat poſſeſſorem rei
alienæ à culpa, ita excuſaret hujuſmodi Monialem à ſacrile-
gio in facta hypotheſi: rurſus excuſari poſſet, quia fortè pru-
5 denter, & cum magno fundamento judicaret, ſi fateretur ſui
peccatum grave, v. g. contra votum caſtitatis Confeſſario or-
dinario ſibi futurum eſſe magnum aliquod malum corporale,
vel ſpirituale, odium ſui nempe apud Confeſſarium, aut reve-
lari poſſe à Confeſſario in odium, aut infamiam, & damnum
ſui, vel proximi; & demum ſi probabiliter timeret occaſionali-
ter, ex manifeſtatione propriæ turpitudinis, ſollicitari ab eo-
dem Confeſſario ad inhoneſta cum injuria tanti Sacramenti.

6 His minimè obſtantibus, Reſolvo, præfatam Monialem non
poſſe ſinè gravi ſacrilegio reticere in Confeſſione Sacramen-
tali peccatum mortale, quamvis confiteatur alia ſua peccata
venialia; & ratio in promptu eſt, quia integritas materialis

Digitized by Google

7 Confeſſionis Sacramentalis peccatorum mortalium eſt de Jure Divino, ut clariſſimè docet *Conc. Trid. ſeſs. 14. cap. 15. de Confeſſione*, illis verbis: *Univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum remiſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis Jure Divino neceſsariam exiſtere*; & Canone 7. ibidem anathematizat contrarium aſſerentes, dicens: *ſi quis dixerit; in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſsarium non eſse Jure Divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria habeatur &c. anathema ſit*. Quibus poſitis, tanquam certiſſimis de fide, non eſt ampliùs dubitandum, integritatem Confeſſionis Sacramentalis eſſe de Jure Divino, & propterea Monialem in propoſito caſu, reticendo ſui pec-
8 catum mortale, fieri ream ſacrilegii certiſſimum eſt, cum inferat gravem injuriam Sacramento, & ſibi ipſi graviſſimum damnum, non enim remaneret abſoluta à peccatis, deficiente, ſciente, & volente, ipſa integritate Confeſſionis, quandoquidem, inquit Concilium loc. cit. *ſi erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat*; & inſuper faceret Confeſſionem irritam, ut notant Auctores, inter quos *Pater Giribaldus de Sacram. Pœnit. tract. 7. dub. 2. nu. 7.* ſuper verba, *Concil. cit.*, quia ſicuti Sacerdos Confeſſarius habet poteſtatem retinendi ſingula peccata, ita & pęnitens tenetur ſingula confiteri; & ſi Confeſſarius debet veluti Medicus animi morbos curare, ita & pęnitens infirmus debet eoſdem manifeſtare, ut curetur. Hæc autem, ut advertunt Doctores omnes,
9 intelligenda ſunt de integritate materiali neceſſaria, per ſe loquendo, non verò per accidens, quia per accidens poteſt dari caſus, in quo ſufficiat Confeſſio non integra, ſive dimidiata materialiter, tacendo nempe aliquod peccatum mortale, aut aliqua circumſtantia manifeſtanda, alioquin neceſſaria, in quo caſu confeſſio eſſet nihilominus integra formaliter, quatenus, data aliqua juſta, & rationabili cauſa reticendi aliquod peccatum mortale in præſenti Confeſſione, habetur in voto,

& fir-

Digitized by Google

& firmum propoſitum illud manifeſtandi in futura Confeſſione, & hujuſmodi caſus eſſet caſus apoplexiæ, vel alterius gravis morbi cum difficultate loquendi, vel ob magnam debilitatem capitis, & ſimilium. At in data hypotheſi præfata Monialis non cenſetur in caſu, in quo poſſit licitè reticere ſui peccatum mortale, quamvis dicat, ſe amiſiſſe confidentiam Sacramentalem cum Confeſſario ordinario, ut mox dicemus ad ſecundum objectum, refutando omnia, & ſingula ibi adducta in contrarium ab eadem Moniali.

10 Ad primum igitur negatur antecedens, cum ſit revera inſubſiſtens motivum adductum in excuſationem præfatæ Monialis; hæc ſiquidem, reticendo in Sacramentali Confeſſione peccatum mortale, & ſanè advertenter, ſacrilegè confiteretur,
11 dimidiaret namque materialiter, & formaliter ſui Confeſſionem ſinè ullo juſto titulo illam poſſe dimidiare, & quando non adeſt aliquis juſtus titulus illam dimidiandi materialiter, & nihilominus dimidiatur Confeſſio, cenſenda eſt ſacrilega, & irrita: amiſſio autem confidentiæ Sacramentalis, ut aſ-
12 ſeritur in Moniali, non eſt cauſa ſufficiens, propter quam excuſanda ſit à ſacrilegio, quia poteſt aliunde conſulere animæ ſuæ, recurrendo ad Superiorem pro Confeſſario extraordinario ſibi dumtaxat, qui ſolet concedi ab Ordinariis, in ædificationem animarum; aut ſi commiſiſſet illud peccatum mortale paulò ante tempus Confeſſionum, ut ajunt, poſſet Monialis ſtudere modo evadendi occaſionem confitendi, fingendo cauſam, ob quam nequeat confiteri, v. g. alicujus doloris, aut morbi, qui non deficiunt in ſexu muliebri, ut interim ſalvet ſui bonum nomen apud cæteras Moniales: ad illud verò, quod addebatur, dicendum eſt, paritatem non currere, quia infirmitate detentus, ita ut nequeat confiteri omnia, & ſingula ſua peccata mortalia, ſi confiteatur aliqua, vel etiam unum dumtaxat ex illis mortalibus, immo ſi nullum ex iis, ore proprio confiteretur, & daret aliquod ſignum

Digitized by Google

pœnitentiæ ſuorum peccatorum, reputatur confiteri integrè formaliter, quia cenſetur velle realiter confiteri omnia ſua peccata, ſi poſſet, & propterea validè abſolvitur, utpote integrè confeſſus in Voto ſui Confeſſionem integram materialiter, & formaliter; præfata verò Monialis volens, & libens ſinè cauſa juſta dimidiaret in propoſito caſu Confeſſionem materialiter, & per conſequens etiam formaliter, obſtante Jure Divino, quo quiſque habens uſum rationis peccator poſt Baptiſmum, ſi poteſt, tenetur confiteri Sacramentaliter omnia, & ſingula mortalia, ut docet Fides noſtra, & Eccleſia Catholica profitetur, apud citatum *Tridentinum*.

13 Ad ſecundum reſpondetur, verificata bona fide Monialis, & ejus ignorantia invincibili, nimirum ſi probabiliter judicaret, ſe non teneri pro illo tunc ad manifeſtandam ſui culpam mortalem, cujus Confeſſionem putat ſe poſſe differre uſque ad adventum Confeſſarii extraordinarii, poſſet eadem Monialis in hoc caſu excuſari à ſacrilegio, ex privilegio ignorantiæ, ut docent *Philippinus de privilegiis ignorantiæ, privil.* 10., & alii ſuperiùs citati: multa namque præſervat à malo ignorantia inculpabilis, quæ damnat doloſa malitia: conſtante igitur hac bona fide, hoc eſt, ſibi licitum eſſe pro illo tunc reticere peccatum mortale, excuſanda eſſet à ſacrilegio, quemadmodum ratione bonæ fidei excuſatur poſſeſſor à reſtitutione bonorum alterius uſquedum manet in ſua bona fide poſſeſſionis, ut ajunt communiter Auctores; ſicuti etiam excuſari poſſet dicta Monialis à ſacrilegio, ſi probabiliter, & rationabiliter timeret, ſibi eventurum aliquod grave malum ſpirituale, vel temporale, vel odium ſui, vel infamiam ſui, & proximi, apud Moniales; ſive etiam vereretur, ſui Confeſſarium ordinarium revelaturum eſſe ſuum peccatum commiſſum contra Votum Caſtitatis, & inde ſollicitanda foret ab eodem Confeſſario ad turpia ex Confeſſione ejus peccati carnalis; atqui hæc, & ſimilia adinventa potiùs ad exemplificandam reſolutio-

tionem, quàm ad inducendam juſtam excuſationem pro præfata Moniali à ſacrilegio, reſpondetur in rem noſtram Monialem in contingentia facti nullo modo excuſari poſse à ſacrilegio, cum non debeat reputari ullo modo conſtituta in nulla ex dictis circumſtantiis, attenta probitate, prudentia, & doctrina, qua ſolet eſse prædituſ Monialium Confeſsarius ordinarius, ad quem Monialis, quamvis aliquando rea peccati graviſſimi, debet accedere parata, receptura in ſpiritu veræ humilitatis, & cordis contriti correptionem, & pœnitentiam ab eodem Confeſsario.

Prioriſſa Monaſterii multò ante Capitulum pro electione novæ Prioriſsæ induxerat majorem numerum Monialium ad ſibi promittendam nominationem in favorem Monialis ſibi plurimùm confidentis ad excluſionem alterius; Moniales verò tempore electionis nominarunt Monialem, cujus excluſionem Prioriſsa intendebat.

Quæritur; an Prioriſſa licitè ſe geſſerit, & Moniales illæ peccaverint?

RESOLUTIO IV.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum (quoad primam partem quæſiti) Prioriſsam licitè ſe geſſiſse, immo prudenter, modò Monialis, quam intendebat promovere, eſset digna,*

2 *Quia*

2 *Quia non fecit injuriam nec Monaſterio, nec Monialibus, nec ulli Moniali in particulari;*

3 *Etiamſi adeſset alia Monialis, quæ foret hac dignior, cum non ſimus in caſu, de quo loquitur* Tridentinum,

4 *Quapropter commendanda potiùs videtur Prioriſsa.*

5 *Quoad ſecundam partem videtur dicendum, Moniales graviter peccaſse, nominando aliam Monialem ab ea, quam promiſerant Prioriſsæ, ſe nominaturas eſse,*

6 *Quia ſumus in materia gravi, ut probatur.*

7 *In contrarium tamen deciditur tum in prima, tum in ſecunda parte.*

8 *In prima, quia Prioriſsa egit contra* Decreta Clem. VIII., *&* Urb. VIII.

9 *Et fortaſse cum malitia, & dolo induxit cæteras Moniales ad ſibi promittendum.*

10 *Rurſus, quia peccavit graviter contra Juſtitiam commutativam, & forſan etiam contra diſtributivam.*

11 *In ſecunda, quia promiſſio Monialium fuerat illicita, & prohibita;*

12 *Per conſequens non induxit obligationem in promittentibus, ut probatur argumentatione* Sigiſmundi à Bononia.

13 *Concluditur dicendo, Prioriſsam illicitè ſe geſſiſse, & graviter peccaſſe: Moniales autem nulliter promiſiſse, & propterea nullo modo peccaſse.*

14 *Negatur antecedens primi objecti, repetendo quod ſupra dictum fuit; & reprobatur excuſatio adducta in favorem Prioriſsæ;*

15 *Similiter negatur antecedens ſecundi objecti,*

16 *Quia ſi Moniales aliam elegerunt, & quidem digniorem, ſanctè, & juſtè ſe geſserunt juxta* Decretum Concilii.

17 *Si æquè dignam elegerunt, nemini injuriam fecerunt, quia uſæ ſunt Jure ſuo.*

18 *Dein evincitur, quòd ſic agendo, quietem Communitatis procurarunt:*

19 *Quæ cum ita ſint, ſi Prioriſsa conqueritur, ſibi imputet; ſatis enim probavimus, ipſam ſe malè geſſiſse, Moniales verò ſumma æquitate ſibi conſuluiſse.*

1 Pro

Digitized by Google

1 PRo Reſolutione videtur, dicendum eſse ad primam partem quæſiti, Prioriſsam licitè ſe geſſiſse, modò Monialis, in cujus favorem procuravit Nominationes, ut eligeretur in novam Prioriſsam, eſset digna Prioratus; immo etiam dicendum, ipſam prudenter ſe geſſiſse, procurando electionem
2 ejuſdem ſibi multæ confidentiæ; quia procurando electionem Monialis dignæ pro gubernio Monaſterii, ex una parte non fecit injuriam eidem Monaſterio, nec Monialibus in communi,
3 ni, nec ulli Moniali In particulari, etiamſi aliqua earum foret dignior illa ſibi bene viſa, cum non ſimus in electionibus, de quibus *Concil. Trid. loquitur ſeſs.24. de reſor. cap.1.* ubi decrevit, dignores perſonas eligi ad gubernandas Eccleſias, cum gubernium Prioriſsæ Monialium non ſit tanti ponderis,& muneris ac eſt gubernium paſtorale ovium gregis Chriſti Domini: Ex quo eruitur, Prioriſsam nullam injuriam intuliſse Monaſterio,quia revera, ut ſupponitur, procuravit pro eligenda nova Prioriſsa nominationes in favorem Monialis idoneæ ad gubernium ſpirituale,& temporale omnium,& ſingularum Monialium: quòd ſi dein procuravit pro illa propter ſui mutuam confidentiam,
4 hoc non eſt imponendum ei tanquam crimen, ſed potiùs laudanda ipſius prudentia, qua ſibi conſulit habere Prioriſſam amicam, & confidentem in futuro triennio.

5 Præterea, ſtante ſic prima parte quæſiti, quoad ſecundam ſtatim dicendum videtur, Moniales, quæ tempore electionis novæ Prioriſsæ non ſervaverunt promiſſionem datam ſeniori Prioriſsæ, & loco illius Monialis, in cujus favorem promiſerant ſuas nominationes, nominaverunt aliam ſibi, & non præfatæ
6 Prioriſsæ bene viſam, videtur, inquam, peccaſse graviter, quia in materia gravi; apud enim Regulares utriuſque ſexus electio Superioris in capite reputatur negotium graviſſimum, ideòque, ratione materiæ gravis, frangendo fidem datam pro eadem, graviter peccaverunt; & præſertim contra charitatem proximi; quia Prioriſsa illa procuratrix nominationum

ad

ad favorem Monialis ſibi confidentis, utpote deluſa à Monialibus, quæ non ſuam, ſed aliam nominaverunt in Prioriſsam graviſſimè contriſtaretur de ſua, & illius Monialis deriſione, quæ inter Clauſtrales utriuſque ſexus in hujuſmodi contingentiis ſubſequi ſolet.

7 His tamen minimè obſtantibus, reſolvitur, dicendum eſse, præfatam Prioriſsam illicitè ſe geſſiſse in contingentia facti, & Moniales illas, ut ſupra, nullo modo peccaſse: ratio autem
8 primæ partis hæc eſse poteſt; quia Prioriſsa, procurando nominationes in favorem Monialis ſibi confidentis operata eſt contra *Decreta Clementis VIII.*, & *Urbani* pariter *VIII.*, ut cum *Donato* notavimus in materia conſimili *part. 1. Reſol. practicar. pro Monial. Reſol. 55.*; quod enim damnatur ibi de non procurando Superioritatem pro ſe, intelligitur etiam pro tertio, quando procurator movetur ex malitia, dolo, aut affectu partiali ad perſonam potiùs, quàm ab exigentia meriti ejuſdem, ut in contingentia facti: quod quidem ut clariùs eluceſcat, videat qui vult ipſa *Decreta Clem. VIII. edita de anno* 1599. die 25. Julii §. 22. ſub his verbis: *ut omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caveant omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione tam pro ipſis, quàm pro aliis*. Nota hic ultima duo verba: *quàm pro aliis*, in quibus literaliter apparet interdicta procuratio nominationum pro electione alterius Monialis in Prioriſsam, & propterea Prioriſsam ſeniorem ſe geſſiſse illicitè, procurando &c.: maximè quia *Decretum Clem.* innovatum, & confirmatum fuit *ab Urbano ſub die 21. Septembris 1624.*, ad cujus obſervantiam tenentur omnes utriuſque ſexus Regulares, ut advertit *Sigiſmundus à Bononia in tract. de elect. & poteſt. Prælat. Regul. part. 2. cap. 1. dub. 55.* unde, data hac obligatione impoſita per relatos Pontifices, tanquam de re gravi, præfata Prioriſsa inobediens quatenus procuravit nominationes ad favorem Monialis ſibi bene affectæ, & quidem multò ante electionem (quod ſanè notan-

dum

dum eſt, quia indicat longum ſtudium malitioſum, & induſtriam doloſam) quæ reddunt ejus culpam graviorem. Rurſus confirmatur hoc totum hac breviſſima ratione; nam ſi Prioriſſa procuravit electionem ſuæ Monialis in novam Prio-
10 riſſam, mota unicè, vel quaſi unicè ab affectu ſui, & ratione ſuæ multæ confidentiæ erga illam Monialem, procurando inſimul excluſionem alterius revera dignæ, vel dignioris, à qua ſinè illa grandi confidentia, ut ſupra, ſperari poterat à cęteris Monialibus gubernium utilius; ſolent namque hujuſmodi confidentiæ parturire animorum diſſidia in clauſtris, & præſertim Monialium, ut docet in dies eoſdem Regulares utriuſque ſexus continua experientia; dicta Prioriſſa peccavit graviter contra Juſtitiam commutativam adversùs Communitatem; attentavit enim quantùm potuit eidem ſubtrahere utilius regimen, quod tenebatur procurare, tanquam pars ſuo toti; & inſuper peccavit graviter contra Juſtitiam diſtributivam, ſi Monialis, cujus excluſionem à Prioratu intentavit, erat dignior, quia Juſtitia diſtributiva exigit, ut dignitates diſtribuantur, habito reſpectu ad merita, necnon ad idoneitatem perſonarum, poſthabito quocunque affectu humano.

11 Ratio autem ſecundæ partis, Moniales nempe, quæ non ſervaverunt promiſſionem datam Prioriſſæ de ſuis nominationibus in favorem Monialis ejus confidentis, non peccaſſe ullo modo, clariſſima eſt: quia earum promiſſio fuit illicita, & prohibita, ut conſtat ex *Decretis Clem. VIII.*, *& Urbani VIII.* ſupracitatis: promiſſio autem de re illicita, & prohibita nullam inducit obligationem in promittente; conſequenter ſi non adimpletur, non ſolùm non inducit ullam culpam in promittente; ſecluſa tamen in eodem plena, & deliberata intentione illam adimplendi, ſed potiùs manifeſtat dexteritatem promittentis in agendis negotiis, pro quorum reſolutionibus humana prudentia dictat, multoties opus eſſe artem arte deludere; unde in rem noſtram poſſet addi, Moniales ad preces pro-

priæ Prioriſſæ revera non promiſiſſe, quia cum promiſſio ex genere ſuo ſit actus ita liber, ut nullam ſapiat vim, & coactionem, ad hoc ut verè ſit obligatoria ex parte promittentis; in propoſito autem caſu non reputatur revera talis, quia Moniales requiſitæ à Prioriſsa ob metum reverentialem erga ipſam, & timore perterritæ, ne, durante Prioratu ejuſdem, tractentur inciviliter, & ſeverè, & verbis, & factis, ſi promiſerunt, advertit hic *Sigiſmundus à Bononia cit. cap.* 14. *nu.* 9. promiſerunt ſponte coactæ, & propterea nulliter, quia, inquit Doctor, preces importunæ quando ſumus in perſona, cui debetur reve-
12 rentia, juſtum metum inferunt, & vim coactionis habent; quibus poſitis, nulla fuit contracta obligatio in Monialibus ad ſtandum illi promiſſioni, ad quam fuerunt inductæ per vim, & coactè per metum reverentialem, qui quidem metus habet ſpeciem violentiæ, & præſertim in fœminis, utpote debilioris ſexus, & præcipuè in Monialibus clauſtratis ut plurimùm puſillioris animi, de quo plura diximus in *prim. part. Reſol.* 4. ubi notavimus, metum reverentialem reddere fœminam de nolente volentem; quibus ſtantibus, evincitur, à primo ad ultimum præfatam Prioriſſam illicitè ſe geſſiſse, & peccaſſe gravi-
13 ter, & Moniales nulliter promiſiſſe, & propterea nullo modo peccaſſe, immo rectiſſimè ſe geſſiſse, ſi nominarunt aliam ſibi viſam digniorem, & utiliorem ad Dei gloriam, & utilitatem Monaſterii; & hinc

Ad primum reſpondetur negando antecedens, dato etiam quòd Monialis illa, in cujus favorem Prioriſsa procuravit nominationes, fuiſſet digna dignitate Priorali, quia Prioriſsa
14 procurans, ut in hypotheſi, nominationes à Monialibus in favorem Monialis ſuæ confidentis, & in excluſionem alterius æquè dignæ, aut dignioris, facit injuriam toti communitati Monialium, necnon illi Moniali particulari, cujus excluſionem intentat: toti communitati, quia ſui quadam præpotentia Priorali videtur lædere libertatem Monialium, eaſque ligare

rè vinculo promiſſionis extortæ precibus undequaque importunis, & ſapientibus vim, & coactionem, ut advertimus ſupra cum *citato Sigiſmundo*, & demum illi Moniali æquè dignæ, aut digniori, quia lædit jus ejuſdem ad Prioratum, ad quem eligeretur à Monialibus, niſi Prioriſſa ſtuderet illius excluſioni, procurando nominationes pro exaltatione alterius ſuæ confidentis: Et hinc ſequitur, quòd ipſa peccaverit graviter contra *Decreta Clem. VIII., & Urb. VIII.*, ut clariſſimè colligitur ex verbis eorundem, immo etiam, ſaltem reductivè, contra diſpoſitionem *Sac. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap.* 1. quia quamvis *Concilium* ibi loquatur de Dignitatibus conferendis, habentibus curam animarum in Eccleſia Dei, & propterea non videantur comprehendi Prioriſſæ, Abbatiſſæ &c. cum non ſint capaces tanti muneris obeundi, utpote incapaces à Jure, tamen propter quandam ſimilitudinem gubernii ſpiritualis in regulari diſciplina moderanda, quam habet Prioratus Monialium cum cura animarum in Parochis, conſtat, in contingentia facti, Prioriſſam antedictam peccaſſe etiam contra legem indictam à *Tridentino* in procurando ex humano affectu incluſionem unius, licèt dignæ, & excluſionem alterius æquè dignæ, aut dignioris. Ad id autem, quod ultimò affertur in excuſationem ejuſdem Prioriſſæ, ſive in titulum prudentiæ, & ideò laudandam eſſe, & non condemnandam de ullo crimine, ſatisfit dicendo; Prioriſſam hanc in propoſito caſu nullo modo excuſari poſſe à crimine gravi, propter gravem injuriam illatam toti Monaſterio, & Monialibus æquè dignis, & pluribus dignioribus Prioratu, quàm quòd ſit Monialis ejus intima, in cujus promotione clariſſimè dignoſcitur, Prioriſſam hanc ſtudere potiùs ſibi, quàm bono Monaſterii: quod ſanè eſt damnabile in Clauſtris, & præſertim apud Moniales.

15 Ad ſecundum ſimiliter negatur antecedens; quia Moniales, quæ promiſerant nominationem Prioriſſæ ad favorem Monialis ejuſdem Prioriſſæ plurimùm confidentis, non peccarunt no-

minando poſtea apud Prælatum alteram Monialem in Prioriſſam, ſi hæc comparativè ad illam viſa ſit eis in Domino verè dignior, aut ſaltem æquè digna, ac Monialis amica Prioriſſæ:
16 nam ſi digniorem nominarunt ſanctè, & conformiter ad leges, quę habentur circa electiones Superiorum in clauſtris ſe geſſerunt, & ſi æquè dignam, aut digniorem nominarunt, ut ſupponitur, nemini fecerunt injuriam, utpote utentes ſuo jure, &
17 libero arbitrio in electione alterius ſibi bene viſæ, ad majorem Dei gloriam, & quietem totius Monaſterii, quæ aliquando tur-
18 batur ex præfatis confidentiis alicujus Monialis cum Superioriſsa, quia mulieres ut plurimùm ſuſpicioſæ, cujus generis ſolent eſse clauſtratæ, ægrè ferentes tantam confidentiam inter ſui conſororem, & Prioriſsam: retrahuntur in primis ab illa confidentia, qua deberent eſse versùs ipſam Prioriſsam, & dein ubique Monaſterii conqueruntur inter ſe, & murmurant de dicta confidentia, non ſinè gravi offenſa Dei, & proximi; unde etiam ex hoc titulo inferri poteſt, præfatas Moniales, quæ nominaverunt in Prioriſsam modernam apud Prælatum aliam Monialem ab ea, pro qua præcedens Prioriſsa procuraverat nominationes, non peccaſse, immo ſanctè ſe geſſiſse, quatenus tulerunt de medio tot occaſiones, quæ in facta hypotheſi datæ fuiſsent in offenſam Dei, & contra charitatem proximi: & ad ſuperadditum de gravi triſtitia ſuperveniente præfatæ Prioriſsæ conſideranti, ſe fuiſse deluſam, dicendum eſt, ipſam Prioriſsam dediſse ſibi cauſam, procurando illicitè, & imprudentiſſimè nominationes pro ſua confidente, neglectis cęteris
19 Monialibus æquè dignis, aut etiam dignioribus: ſi dolet igitur, & contriſtatur, imputet ſibi, quandoquidem in hanc rem uſurpari poteſt Divinum oraculum: *Perditio tua ex te*.

Utinam quæ hucuſque diximus, & quæ theoricè optimè ſciuntur, vellent in praxi Regulares omnes utriuſque ſexus intelligere, ut bene, & ſanctè agerent electiones Superiorum ſuorum ſecundùm *Canones*, & juxta *Conſtitutiones Ordinis ſui*.

Uti-

Digitized by Google

Utinam exterminarentur pravi abuſus contra Canonicas ſanctiones in eligendis ad ſupremas Præfecturas, quæ fiunt aliquando de indignioribus, neglectis aliorum meritis, & quod pejus eſt, non ſinè iſtorum deriſione. Sed ne ingrediamur tam mare magnum prætereamus lingua, & calamo, & interim mente meditemur ad ſalutem animæ, uſque ad mortem illud effatum apud Regulares ipſos pietate, & ſacra doctrina probatos: *Si non fuiſſem de numero Prælatorum, non eſſem de numero damnatorum*.

Monialis unius Monaſterii ſcripſit Epiſtolam ad Monialem alterius Monaſterii, narrando querimonias contra ſui Confeſſarium Ordinarium, qui triennio proximè futuro debet audire Confeſsiones tanquam ordinarius Confeſſarius apud illud aliud Monaſterium.

Quæritur; an ipſa peccaverit, & quomodo?

RESOLUTIO V.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Monialem non peccaſſe, vel peccaſſe leviter, immo leviſſimè,*

2 *Quia probabiliter non adfuit in Moniali ulla prava intentio, ſed ſimplex deſiderium ſublevandi curam animi, ut mutuò practicari ſolet ab Amicis, quando aliqua perſecutione affliƈtantur;*

3 *Vel ad ſummum erit leviter, quin leviſſimè culpabilis; ſupponitur enim ſcripſiſſe de rebus levibus, & inanibus, quarum exempla afferuntur.*

4 *Præ-*

4 *Præterea ſcripſit, ut ſupponitur, cum fundamento veritatis, ac proinde non peccavit ullo modo contra Juſtitiam, nec contra Charitatem, quod declaratur.*

5 *Nihilominus reſolvitur, Monialem in facta hypotheſi peccaſſe, & quidem graviter, tum contra Juſtitiam tum contra Charitatem:*

6 *Contra Charitatem, quia manifeſtavit defectus morales Confeſſarii: quæ eſt materia gravis ex aliàs dictis:*

7 *Operata eſt contra mandatum Chriſti, quod habetur* Jo. 3.

8 *Contra Juſtitiam graviter peccavit, quia detraxit bonæ famæ Confeſſarii: ex qua detractione demonſtratur, quanta mala oriri poſſint.*

9 *Ad primum objectum reſpondetur negando primam partem antecedentis, cum nulla ex allatis excuſationibus valeat Monialem hanc defendere à culpa gravi contra Charitatem.*

10 *Negatur ſecunda pars ejuſdem antecedentis, unà cum ratiocinio in ejus favorem adducto, quia non ſumus in materia levi, ut prætendit Adverſarius.*

11 *Ad ſecundum, dato quòd Monialis ſcripſerit cum fundamento veritatis reſpondetur, quòd nihilominus peccavit graviter contra Juſtitiam,*

12 *Quia ſemper ſtat, quòd Monialis lædat jus alienum, famam ſcilicet, & honorem Confeſſarii, non inconſideratè, ſed ſtudiosè; non ſimpliciter, ſed malitiosè.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem hanc non peccaſſe, & ſi peccavit, peccaſſe leviter, immo leviſſimè: ſcribendo namque alteri Moniali querimonias con-
2 tra ſui Confeſſarium ordinarium, poteſt dici non habuiſſe pravam intentionem contra ipſum, ſed præcisè voluiſſe cor ſuum aperire in ſui animi ſublevamen, veluti ſolet aliquando fieri confidenter ad leniendum dolorem inter Amicos ſibi mutuò communicantes proprias paſſiones, & perſecutio-

nes,

Digitized by Google

nes, quas patiuntur, nominando etiam inter ſe confidenter personas illas perſequentes, in quibus caſibus videntur excuſari à peccato; quare videtur præfata Monialis, in contingen-
3 tia facti ſimiliter excuſanda ab omni peccato, cum ſit in caſu conſimili: vel, ſi aliquo modo reputanda eſt culpabilis, videtur eſſe culpabilis de re levi, immo leviſſima, cum ejus querimoniæ contra Confeſſarium delatæ per epiſtolam ad Monialem alterius Monaſterii ſupponantur de rebus levibus, & futilibus, eò quòd Monialium lamentationes contra Confeſſarium ordinarium ſoleant eſſe hujuſmodi generis; quòd ſit nempe tardus ad audiendas Confeſſiones aliquarum, nimiùm ſollicitus pro audiendis aliis, ruſticus cum Converſis, impatiens cum ſenioribus, ſeverus cum junioribus, patientiſſimus cum ſponte dantibus, & ſimilia, quæ revera ſunt lamentationes, & querimoniæ ſatis communes in clauſtris Monialium, quæ tamen omnia utpote frequentia non inficiunt, aut leviter inficiunt Confeſſarium ordinarium, nec eius bonum nomen notabiliter diminuunt.

4 Præterea præfata Monialis, in contingentia facti, ſcribendo querimonias ſcripſit, ut ſupponitur, cum fundamento veritatis,& ſcribendo vera,non peccavit contra Juſtitiam,nec contra Charitatem in Confeſſarium: non contra Juſtitiam, quia ſcripſit, quæ jam erant notoria notorietate facti omnibus Monialibus ſui Monaſterii; quando autem communicantur alteri perſonæ hujuſmodi notoria non videtur ibi eſſe peccatum contra Juſtitiam: non peccavit contra Charitatem graviter, quia quæ ſcripſit, utpote levia, & inania, ſolita eſſe inter Moniales adversùs ſuos Confeſſarios, non dant materiam gravem ad peccatum mortale: & rurſus dici poteſt, quòd non peccaverit, neque leviter, quia quæ ſcripſit forſan inconſideratè ſcripſit, ſicut calamus ſcribæ velociter ſcribentis ſinè plena, & deliberata advertentia ad ea, quæ ſcripſit, nullo præhabito animo, ne ullum quidem minimum damnum inferendi Confeſſario.

5 His

5 His tamen non obſtantibus,Reſolvo,hujuſmodi Monialem in
contingentia facti peccaſſe, & peccaſſe graviter, non ſolùm
contra Charitatem proximi, ſed etiam contra Juſtitiam: pec-
cavit igitur primò contra Charitatem, cujus eſt operire mul-
titudinem peccatorum, & Monialis noſtra è contra, poſthabi-
6 ta Charitate chriſtiana, ſcribens ex abundantia cordis ſuas
querimonias ad alteram Monialem contra ſui Confeſſarium
ordinarium, manifeſtavit ejus defectus morales, qui, ut teti-
gimus ſupra, non ſunt tantæ levitatis, ut perperam dicebatur,
ſed multùm graves in Confeſſario, præſertim Monialium, ſi
adeſſent in eodem: rurſus quia Charitas Chriſti ſuadet, nos
debere invicem compati, alteriuſque onera portare, ipſa Mo-
nialis, ſcribendo epiſtolam querimoniarum contra Confeſſa-
rium ordinarium, locuta eſt; cum *Epiſtola* ex *Dolano* ſit *abſen-*
tis ad abſentem mandatum ſcriptis colloquium; & ſanè in ma-
teria gravi contra ipſum, & propterea contra illud præceptum
7 Domini: *Mandatum meum do vobis, ut diligatis invicem: Jo. 3.*
unde clarè colligitur, Monialem in contingentia facti peccaſſe
graviter contra Charitatem proximi ſui; quod quidem eò ma-
gìs confirmatur, quò probatur evidenter peccaſſe contra Ju-
ſtitiam; peccatum namque contra Juſtitiam, regulariter lo-
quendo, includit peccatum contra Charitatem: peccavit igi-
tur contra Juſtitiam, quia ſcribendo ad illam Monialem defe-
8 ctus Morales Confeſſarii, qui defectus, quamvis non viderren-
tur apud Laicos neſcientes vitam clauſtralem Monialium, ſunt
tamen imperfectiones multùm graves apud Moniales, cum
ſint cauſa malorum gravium contra diſciplinam regularem;
unde per dictam epiſtolam Confeſſarius conſtitutus eſt apud
illam Monialem in mala fama, apud quam ratione ſui miniſte-
rii, erat in bona fama,ſicuti ſolent eſſe omnes Sacerdotes ele-
cti ab Epiſcopis ad miniſtranda Sacramenta Sanctimonialibus,
quæ ſunt nobilior portio gregis Chriſti eorum curæ commiſſi:
dedit etiam cauſam, cur illa Monialis informata confidenter

per

Digitized by Google

per epiſtolam querimonioſam de tot imperfectionibus moralibus Confeſſarii conceperit averſionem, eò ut nondum ad miniſterium pro triennio proximè futuro admiſſus, jam illum habeat tamquam averſum à vita ſpirituali, & ſibi ipſi nullius idoneitatis, ut aſſequatur perfectionem ſpiritus, ad quam aſpirare tenetur. Inſuper taliter ſcribendo detraxit forſan omnibus illis modis, qui ſolent enumerari duobus Carminibus decantatis ab Auctoribus in præſenti materia, nimirum

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatve remiſsè.

quia mulieres utpote levioris armaturæ, multùm apprehenſivæ magna judicantes quæ minima ſunt, & præcipuè Moniales clauſtratæ, ut nos docet experientia, facilè labuntur dicendo, & ſcribendo ſuas querimonias animo turbato in hujuſmodi modis detractionis: nos non deſcendimus ad hos exemplificandos brevitatis gratia, & præſertim quia ſunt valde noti: ſtat igitur firmum, prefatam Monialem in contingentia ad theſim vocata peccaſſe, & peccaſſe graviter, ſaltem contra Charitatem, ſicuti & contra Juſtitiam proximi ſui.

9 Ad primum reſpondetur, negando primam partem antecedentis, cùm excuſatio allata non eximat à culpa, & quidem mortali Monialem, quæ ſcripſit ad aliam Monialem alterius Monaſterii querimonias contra ſui Confeſſarium de præſenti, & proximè futurum præfatæ Moniali: ſi enim interrogaretur iſta Monialis in Sacramento Pœnitentiæ, tribunal veritatis; quem animum habuerit ſcribendo illã epiſtolam querimonioſam? ſi doloroſam, & veram Confeſſionem vellet efficere, utique reſponderet, ita ſcripſiſſe ex ira, aut ex vehementi ſua paſſione adversùs mores ejuſdem Confeſſarii, non ſecus ac ſi de eodem murmuraſſet cum ſuis conſororibus Monaſterii, & etiam ut informaret amicam, ſive conſanguineam Monialem alterius Monaſterii pro ejus gubernio cum dicto Confeſſario in futuro triennio: ſtantibus itaque his reſponſionibus, quæ veroſi-

Digitized by Google

roſimiliùs dari deberent à Moniali pœnitente ſuper ſua Epiſtola, utpote querimonioſa, gravatoria, & infamatoria, quatenus compoſita de defectibus moralibus Confeſſarii, omnimodè tamen ignotis Moniali alterius Monaſterii, ut ſupponitur, non remanet locus excuſationi adductæ pro excuſanda Moniali, quæ ſcripſit talem epiſtolam ab omni culpa, quemadmodum aliquando excuſatur, qui primo animi motu, & repentina iracundia ductus, extra ſe raptus quaſi furioſus, & vehementi paſſione captus prorumpit in lamentationes, etiam graviſſimas contra proximum, & propterea excuſandus aliquo modo ex inconſideratione, & inadvertentia, qua querimonias ſuas amico aperuit. Quod ſanè in propoſito caſu effingi non poteſt, in primis quia Monialis ſtudiosè, & cum plena advertentia, licèt aliquantiſper turbata, utpote immortificata in ſuis animi paſſionibus, ſcripſit epiſtolam querimonioſam, ad quam ſcribendam præceſſerunt, utpote conſideranti patet, multi actus, ratione quorum Monialis non ſolùm non excuſatur ab omni culpa, ſed potiùs eruitur gravior ejus culpa ad ſimilitudinem illius homicidæ committentis homicidium non caſuale, ſed penſatum, quod reputatur gravius, præſertim eò quòd præceſserint multi actus ordinati ad illud patrandum. Ad ſecundam partem hujus antecedentis negatur ſimiliter totum

10 ratiocinium, quia quæ ſupponuntur, ut ibi dicitur, ſcripta per Monialem in epiſtola ſua ad aliam Monialem alterius Monaſterii, non ſunt de rebus levibus, ſunt namque defectus, & imperfectiones morales in Confeſsario Monialium ita graves, ut ſi daretur Confeſsarius ita deſcriptus, ſicuti ipſe Confeſsarius non excuſaretur à culpa gravi propter gravia damna ſpiritualia, quæ orirentur in ruinam regularis diſciplinæ, & ſpiritualis profectus Monialium, ita neque foret excuſanda præfata Monialis, revelando hujuſmodi culpam gravem ejuſdem Confeſsarii per epiſtolam ad aliam Monialem amicam: nec titulus, quòd tales defectus ſint frequentes, prodeſt ad excu-

ſan-

Digitized by Google

ſandam dictam Monialem, quia, ſuppoſito quòd ſint occulti, Confeſſarius habet Jus, ne fiant publici, cum ſit verus poſſeſſor ſui boni nominis privatim quoad neſcientes delicta ſua; & frequentia delictorum, modò delicta ſint occulta, non dat Jus alteri eadem propalandi.

11 Ad ſecundum, dato quòd Monialis ſcripſerit cum fundamento veritatis ea omnia, quæ continentur in epiſtola, non tamen excuſanda eſſet à culpa gravi contra Juſtitiam, quia, ut dictum fuit ſuperiùs, lædit Jus alienum Confeſſarii, nempe læ-
12 dendo ejus famam, & honorem, manifeſtando illius imperfectiones morales omnimodè occultas Moniali alterius Monaſterii, quamvis eſſent notæ Monialibus proprii Monaſterii, quæ notorietas non reddit licitum, ut poſſint manifeſtari per epiſtolam Moniali alterius Monaſterii, cum apud hanc Confeſſarius ſit in plena poſſeſſione ſuæ bonæ famæ, & ipſa Monialis ſcriba detractrix teneretur ſub gravi ad reſtituendam famam eidem Confeſſario, ſe retractando apud illam Monialem, cui defectus multos Confeſſarii per epiſtolam manifeſtavit, ut docent Moraliſtæ citati à *Diana in ſumma verb. Detractio. nu.* 10.; hinc facilè retorquetur argumentum circa ea, quæ addebantur in favorem præfatæ Monialis, hoc eſt, quòd non peccaverit contra Charitatem proximi, quia qui peccat in contingentia facti contra Juſtitiam in proximum ſuum, lædendo ejus famam graviter, ut advertimus in ſuperioribus, multò magìs peccare contra Charitatem; eodem modo non vertitur in dubium, cum munus principale Charitatis ſit operire, non verò aperire multitudinem peccatorum ut ex *Epiſt. Petri cap.* 4., & quæ ſcripta fuere non reputantur levia, ſed gravia, prout notavimus ſupra, propter gravia damna, quæ ſubſequuntur in ruinam proximi, diſciplinæ Regularis, & ſpiritualis profectus: & demum præfata Monialis ſcripſit non inconſideratè, ſed ſtudioſè, & malitioſè; nec eidem ſuffragatur, dicendo, ſe non habuiſſe animum inferendi nocumentum

Digitized by Google

Confeſsario, quia, ut cenſeatur rea, & in culpa detractionis, ſufficit, ſecundùm Moraliſtas de actibus humanis, quòd ejus finis malus, quamvis non fuerit per ſe intentus, & volitus; fuerit prævisſus, & non fuerit evitatus, ut in caſu præſenti.

Monialis in diebus feſtis vellet ſpatio duarum horarum circiter acu pingere opus phrygium, aut ſericos flores fabricare, & propterea conſulit ſui Confeſſarium.

Deſideratur conſilium Confeſſarii.

RESOLUTIO VI.

SUMMARIUM

1 *Videtur Confeſsarius debere reſpondere Moniali ſic poſtulanti, non licere in die feſto acu pingere, aut flores fabricare,*

2 *Quia ſunt opera mechanica, prohibita in diebus feſtis.*

3 *Confirmatur, deſumpta paritate ab arte pictoria.*

4 *His non obſtantibus, Reſolvimus; Monialem aut pingentem, vel flores efformantem in die feſto ſpatio duarum horarum circiter nequaquam peccare.*

5 *Probatur, deſumpta paritate ab arte ſcriptoria, quæ licitè exercetur in diebus feſtis;*

6 *Quod tenent plurimi ex gravioribus Canoniſtis.*

7 *Adde, quòd favent Moniali parvitas temporis, & finis honeſtas.*

8 *Ad primum objectum negatur antecedens, quia acu pingere accedit ad artem ſcriptoriam.*

9 *Notatur limitatio, in qua accipimus ly* flores fabricare.

10 *Si labor eſt in opere, per hoc opus non fit mechanicum, & ſervile.*

11 *Sa-*

Digitized by Google

11 *Satisfit ſecundo objecto, negando, quòd pingere, ſcilicet* dumtaxat pingere, *ſit illicitum in diebus feſtis: & hoc explicatur.*

12 *Quamvis autem recamare exerceatur etiam à perſonis conditionis ſervilis, ob hoc tamen recamare non ſit opus ſervile in ſe, ſicuti ſcribere &c.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem ad theſim vocatam non poſſe in die feſto acu pingere abſolutè, quia cum ſint prohibita in diebus feſtis opera mechanica, ſicuti pro-
2 hibebantur in die ſabbati opera ſervilia in Lege antiqua, juxta illud *Levitici* 23. *omne opus ſervile non facies in eo*, ſtatim deducitur, acu pingere opus phrygium, vel ſericos flores facere in diebus feſtis non eſſe ullo modo licitum, eò quòd ſint in ſe vera opera mechanica prohibita: quandoquidem opus mechanicum eſt opus illud, quod fit manu potiùs, quàm mente, prout ſunt acu pingere, ſive *recamare*, traducendo hinc & inde fila ſerica, & multò magis & ampliùs flores ſericos laborare, in quibus efformandis non ſolùm nihil elucet de arte liberali, ſed totum, quod fit revera eſt materiale, & mechanicum, & in ſe laborioſum, ut fatentur ipſæ Moniales, quæ ab exercitio hujus artis nuncupantur vulgò *le Fiorare* in Monaſterio.

3 Præterea cum non ſit licitum Pictoribus in diebus feſtis de præcepto, ut docent plurimi Moraliſtæ, pingere pennicillo, licèt pictura, ſive ars pictoria in plurium ſententia cenſeatur inter artes liberales, multò minùs erit licitum Moniali recamare, aut flores ſericos facere, cum hujuſmodi artes, & opera ſint reputanda mechanica, & ſervilia; nam licèt aliquando hæc duo, vel etiam alia opera mechanica exerceantur recreationis cauſa, & ad honeſtam occupationem à mulieribus nobilibus, ſolent tamen exerceri ut plurimùm à fœminis conditionis ſervilis, ut videre eſt in domibus nobilium Matronarum, ubi domicillæ recamaturas efficiunt in ſervitium earundem,

& in

Digitized by Google

& in aliis domibus privatis plebejorum, ubi mulieres laborant recamando, & flores fabricando pro pane lucrando in ſudore vultus ſui: quod autem illicitum eſt operari hujuſmodi mulieribus in die feſto, illicitum quoque intelligendum eſt pro Moniali; Lex enim eccleſiaſtica præcipiens abſtinentiam in diebus feſtis ab omni opere ſervili, & mechanico, omnes comprehendit, & præcipuè Sanctimoniales, quæ utpote Deo totaliter conſecratæ, nullamque habentes excuſationem faciendi talia opera in die feſto; non enim ſunt in neceſſitate laborandi pro victu, & veſtitu, debent vacare unicè ipſi Deo ſecundùm ſui Regulam, & in aliis exercitiis ſpiritualibus ad ſui electionem.

4 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Monialem in die feſto per ſpatium duarum horarum circiter poſſe acu pingere opus phrygium, & flores ſericos fabricare ad fugiendum otium, ſecluſo tamen omni minimo ſcandalo aliarum Monia-
5 lium ſpiritu ferventiorum; & ratio eſt in primis, quia ſi ex communi ſententia Doctorum ſcribere, & tranſcribere in diebus feſti de præcepto licitum eſt, eò quòd ſcribere, & tranſcribere ſunt opera liberalia, non ſervilia, quatenus referuntur ad inſtruendam mentem, ſive propriam, ſive alienam, ut notat *P. Giribaldus de præcept. Decalogi tract. 8. de obſer. feſt. cap. 1. dub. 5. nu.* 40. inde eſt, quòd etiam licitum ſit Moniali recamare, vel flores ſericos componere, cum hujuſmodi opera cenſeantur à pluribus *Auctoribus* liberalia, & ideò licita in diebus feſtis, ut ſuſtinent *Armilla*, *Azorius*, *Villalobos*, *Io. de la Crux*, *Marcantius*, *Sylveſter*, *Ghilius* relati à *Peliz. de oblig. Monial. ſect. 5. cap. 6. quæſito* 13. ex *Diana part. 6. tract. 6. reſol.* 15. & *Pater Homobonus conſult. vol. 1. part. 2. reſp.* 25. & citatus *Diana part. 3. tract. 5. reſol. 8. & part. 4. tract. 4. reſol.* 62. quorum omnium auctoritas, utpote ex gravioribus Canoniſtis, dat firmum, & rationabile fundamentum noſtræ Reſolutioni. Igitur quamvis verſetur in dubium à nonnullis, quòd acu pingere recamaturas, ſicuti flores ſericos fabricare, ſint opera liberalia nec

ne

Digitized by Google

ne, vel etiam ab aliis cenſeantur verè mechanica, nos ſequentes opinionem illorum, qui aſſerunt, eſſe opera liberalia, quatenus ſunt opus proprium ingenuarum fœminarum, & oſtentativum ingenii, non minùs quàm actus pingendi pennicillo, iterum dicimus cum *citatis Auctoribus*, Monialem in die feſto, ad vitandam otioſitatem, poſſe ad duas horas circumcirca recamare, & flores ſericos fabricare ſinè peccato, præſertim ac-
7 cedente licentia Confeſſarii, qui gerens in hac parte vices Parochi, conſideratis quæ conſideranda ſunt, hoc eſt parvitate temporis, duarum nempe horarum, & fine, ſcilicet ad evitandum otium, vitiorum originem, aut ſervitium Eccleſiæ, vel etiam aliqua indigentia ejuſdem Monialis, ſolet concedere hujuſmodi licentias Monialibus cum tali, & tanta moderatione, ut non fiat tumultus in die feſto, & nullum oriatur ſcandalum in domo Dei apud cæteras Moniales ſpiritu ferventiores.

8 Ad primum igitur reſpondetur, negando antecedens; nam acu pingere eſt quaſi penna ſcribere, & de facto multoties acu ſcribere in recamaturis eſt neceſſe: cum autem ſcribere, immo & tranſcribere etiam pro mercede in die feſto licitum ſit, quia ſcribere, & tranſcribere ſunt opera liberalia, quatenus tendunt ad inſtructionem animi, & mentis ejuſdem ſcribentis, vel alterius, dein legentis ſcripturam; ſimiliter opera recamatoria dici poſſunt, & revera ſunt liberalia, quia hujuſmodi opera; opera, inquam, nobilium fœminarum, ſive etiam domicillarum, aut aliarum mulierum conditionis ſervilis, à quibus fiunt lucri cauſa, tendunt ad oſtentationem ingenii, & ad inſtructionem animi ſui, & aliorum; ideòque hac ratione licita eſse in diebus feſtis: quod quidem dicendum videtur etiam de floribus ſericis componendis: & circa hoc advertendum cenſeo, quòd dum dicimus, licitum eſse in die feſto ſericos
9 flores fabricare, nihil aliud intelligimus, quàm ſimpliciter flores componere, ſive diſtribuere, illoſque in unum quaſi faſci-

ſci-

ſciculum ligare, & ingenioſè diſponere hinc & inde, ut, ſtudioſa varietate eorundem undequaque rectè diſpoſita, animus ejuſdem Monialis, ſimulatque inſpicientium delectetur, quod ſanè opus liberale cenſendum eſt, quia tendit ad inſtructionem animi, & propterea licitum fieri in diebus feſtis, in quibus prohibentur opera dumtaxat merè mechanica, & ſervilia, juxta præcitatum pręceptum *Levitici: Omne opus ſervile non facies in die ſabbato.* Ad illud, quod addebatur, nimirum eſſe valde laborioſum, & per conſequens eſſe mechanicum, & ſervile flores la-
10 borare, poteſt dici etiā ſcribere, & tranſcribere eſſe laborioſum, quod ſanè expertus ſum & ego ſcribens non ſinè gravi labore Hiſtoriam ſæcularem meæ Religionis, & alia Opera typis data, & nihilominus ſcribere, & tranſcribere eſse opera licita in diebus feſtis, eò quòd, quamvis laborioſa, cenſeantur in ſe liberalia: ita ſimiliter diſcurrendum in caſu noſtro, attenta præſertim parvitate temporis duarum horarum, nempe quæ, comparativè ad viginti quatuor horas diei feſti ſunt parvitas materiæ circa obſervationem feriandi à ſervilibus, & mechanicis ejuſdem diei feſti.

11 Ad ſecundum ſatisfit dicendo, Pictoribus licitum eſſe pingere (intellige pingere dumtaxat) in diebus feſtis, & propterea nullum eſse hujuſmodi objectum deſumptum à ſimili. Ut autem claritate diſcurramus, advertendum cenſeo; Pictoribus in die feſto non eſse licitum colores conterere, illoſque miſcere, tabulas parare, gypſo imprimere, pennicillos formare, & alia hujuſmodi agere, quia ſecundùm ſe ſunt ſervilia, & mechanica; pingere autem præcisè cum ſit actus liberalis non minùs quam ſit liberalis actus ſcribendi, ut notat *Giribaldus loc. cit. dub. 5. nu. 46.* cum *Trullench lib. 3. cap. 1. nu. 7. Diana part. 4. tract. 4. reſol. 62. Layman lib. 4. tract. 7. cap. 2. nu. 3. Anton. à Spiritu Sancto diſp. 5. nu. 56. Tamburin. lib. 4. cap. 3. §. 1. nu. 8. & 9. Homobono Conſult. vol. 1. part. 2. reſp. 34. & alii* apud ipſos; hinc eſt, quòd ſicuti licitum eſt in diebus feſtis ſcribere, & tran-

& tranſcribere, ita licitum ſit pingere, præſcindendo ab aliis operibus prærequiſitis ad pingendum, & ſimiliier licitum erit recamare, cum recamare ſit acu pingere flores, & figuras ef-
12 formare: licèt autem recamare, ut plurimùm, exerceatur à mulieribus conditionis ſervilis, non ſequitur eſse opus mechanicum, & ſervile in ſe, ſicuti non judicatur mechanicum, & ſervile ipſum ſcribere, & tranſcribere, quamvis qui ſcribit, & tranſcribit ſit conditionis ſervilis, & ſcribat, & tranſcribat pro pane lucrando; ubi nota, non eſſe prohibitum lucrum operis, quod fit in die feſto, ſed opus ipſum, ſi ſit mechanicum, & verè ſervile: à primo ergo ad ultimum ſtat, Confeſſarium in data hypotheſi interrogatum à Moniali, reſpondere poſſe, quòd ipſa ad modicum tempus, hoc eſt per ſpatium duarum horarum circiter, ad vitandam otioſitatem, maximè ſi eam vitare nequeat alia via, poſſit recamare, flores ſericos efformare in cella ſua citra ſcandalum, & ſinè periculo dandi anſam cæteris Monialibus, ut ſimilia exerceant ſinè licentia, ne oriantur abuſus contra obſervantiam feſtorum, in quam vacare debent toto animo omnes Chriſtifideles, & præcipuè Regulares, præſertim Virgines Deo Sacræ, utpote devoti fœminei ſexus.

Prioriſſa Monaſterii, ubi de Jure Conſtitutionum ſtatutus eſt numerus Monialium, v. g. triginta trium, & non ultra, promittit puellæ petenti Religionis ingreſſum locum primò vacaturum per obitum alicujus Monialis.

Quæritur; an hujuſmodi promiſſio ſit licita, & obligatoria.

RESOLUTIO VII.

SUMMARIUM

1 *Prioriſſa videtur licitè poſſe promittere locum primò vacaturum Puellæ petenti &c.*

2 *Non enim obſtat Lex in contrarium, & Prioriſſa in hoc quærit utilitatem Monaſterii;*

3 *Quare promiſſio fieret ſtrictè obligatoria in ſententia* Vaſquez.

4 *Præterquam quòd cum promittat, ut ſupponitur, animo ſervandi quæ de Jure ſunt ſervanda, certè promiſſio erit licita; ſi promiſſio erit licita, cur non licitè obligabitur ad ſervandam promiſſionem?*

5 *Sed contra jam dicta reſolvitur, Prioriſſam non poſſe promittere hujuſmodi locum &c.*

6 *Quatenus ſi non expreſsè, ſaltem implicitè hoc prohibetur à Conſtitutionibus Monaſterii, quas ampliare, minuere, & derogare Papa ſibi de more reſervat:*

7 *Præterea in hanc promiſſionem ſtat* Decretum Sacræ Congregationis Conc. Trid. *ut clariſſimè demonſtratur à* P.

8 *Quapropter promiſſio aliter facta eſt irrita, & inanis.*

9 Con-

Digitized by Google

9 *Confirmari poſſet, ducta ſimilitudine ab eodem* Tridentino.
10 *Falſum eſt antecedens primi objecti, quia obſtat Lex in contrarium ſuperiùs adducta.*
11 *Cætera tam debili innixa fundamento facilè diluuntur.*
12 *Sicuti pariformiter ruit totum ratiocinium ſecundi objecti: & eò magìs elucet aſſertum noſtrum, retorquendo argumentum in Adverſarios.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Prioriſſam Monaſterii poſſe in contingentia facti promittere, & quidem licitè locum primò vacaturum per obitum alicujus Monialis puellæ poſtulanti ſuſcipere habitum ſuæ Religionis, quia non
2 obſtat Lex in contrarium prohibens hujuſmodi promiſſiones; & Prioriſſa promittens locum primò vacaturum videtur agere rem utilem Monaſterio, quia ex tali promiſſione ſtatim impleretur locus vacans, & puella illico ſuffecta in locum Monialis defunctæ, deferendo ſui dotem ad Monaſterium unà cum propria perſona in ſervitium ejuſdem Monaſterii, & Monialium juxta diſciplinam regularem, eſſet revera utilis eidem Monaſterio, ut patet conſideranti, quod ſolent in hujuſmodi caſibus ore pleno fateri Moniales omnes; cum autem licitum ſit Prioriſſæ, immo teneatur Prioriſſa curare omni meliori modo quæ ſunt utilia, & in commodum ſui Monaſteri, videtur poſſe licitè, immo teneri promittere in contingentia facti locum primò vacaturũ ut ſupra puellæ poſtulanti, ut ſupra: &, quatenus Prioriſſa poteſt, tenetur ad hujuſmodi promiſſiones, eò quòd utiles ſint Monaſterio, ſi de facto promitteret, ut ſupponitur, promiſſio acceptata à puella eſſet obligatoria,
3 ita ut ſi Prioriſſa illam non ſervaret mortaliter peccaret in ſententia *Vaſquez part. 1. diſp. 85. cap. 6. nu. 8.* quia læderet Juſtitiam legalem ſic diſponentem, notat *Caſſianus in ſua Arbore Opinionum littera P. verbo promiſſio §. unico: nu. 2. & nu. 8.*

4 Præ-

4 Præterea cum ſupponendum ſit, Prioriſsam promittere puellæ poſtulanti locum primò vacaturum per obitum alicujus Monialis cum intentione ſervandi, ad veniente caſu, quæ de Jure ſunt ſervanda, nimirum cum conſenſu Prælati, & Capituli Monialium, videtur licitè promittere, & ſic licitè obligari ad ſervandam promiſſionem, quatenus eſt de re ſibi licita, ſalvis juribus Prælati, & Monialium Capitularium, ideòque hujuſmodi promiſſio cenſenda erit licita, & obligatoria.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, dicendum eſse, Prioriſsam non poſse puellæ petenti ingredi Religionem promittere locum primò vacaturum per obitum Monialis de nume-
6 ro determinato, quia quamvis Conſtitutiones Monaſterii expreſsè non diſponant in contrarium, nempe quòd non ſint acceptandæ puellæ ſupra talem numerum, v. g. triginta trium Monialium, implicitè tamen videntur prohibere excedere talem determinatum numerum, juxta illam Regulam: ſi voluiſſent poſse ſuſcipi ultra triginta tres, dixiſsent his, vel ſimilibus verbis -- non tamen prohibemus, poſse acceptari alias puellas ad habitum ſupra triginta tres -- & inſuper quia ipſæ Conſtitutiones cum ſint à Papa confirmatæ, & Papa in eiſdem approbandis ſibi reſervaverit, prout de more ſibi reſervat, illas am-
7 pliare, minuere, derogare &c. implicitè prohibent præfatam promiſſionem, eò quòd vetitum ſit à *Sacra Congregatione Concilii Tridentini* fieri hujuſmodi promiſſiones, ut teſtatur *Quaranta in Bullario, & de Monialibus cap. 2. ſect. 1. quæſit. 5.* his verbis -- Eadem Sacra Cogregatio diſtrictè prohibet, ne loca Monialium intra numerum decedentium pro tempore vacatura cuiquam puellæ ad habitum Regularem recipiendæ concedantur, neque promittantur, niſi ſecuta vera, & reali illorum vacatione, atque ita demum, & non antea de eis diſponi, ac in Monialis demortuæ locum promiſſionem, aut receptionem in Capitulo, ſeu quovis alio modo fieri jubet; ſi quid verò
8 contra à quoquam fieri contigerit irritum, & inane, ac nullius

lius roboris, & momenti fore, & eſse decrevit: ac nihilominus Abbatiſsas, Prioriſsas, & alios quoſcunque Monaſteriorum Superiores, qui cujuſvis puellæ receptioni, vel admiſſioni, aut locorum vacaturorum promiſſioni, ſeu conceſſioni adversùs præſentis Decreti diſpoſitionem conſenſerint, privationis vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque arbitrio ejuſdem Congregationis infligendis pęnis obſtrictas, & obnoxias fore declarat -- Conſtitutiones itaque cujuſcunque Ordinis Monialium, ubi numerus iſtarum eſt præfinitus, & limitatus ad talem, & talem numerum, quamvis explicitè non dicant, dictum numerum non poſse ulteriùs extendi, hoc tamen dicunt implicitè, quatenus non ſolùm nunquam adverſentur *Decretis Congregationis Concilii*, ſed quia ſemper ſubordinatæ Summo Pontifici, qui pro temporum varietate quod ſibi videtur magis expedire in Domino decernit, quæ decernuntur ab eodem de die in diem Conſtitutiones ipſæ intendunt ſemper indicere obſervanda ab omnibus, & ſingulis Monialibus. Poſſet hìc addi ad confirmandum, Prioriſsam non poſse promittere puellæ primum locum primò vacaturum in propoſito caſu, id, quod habetur in *Concil. Trid. ſeſs. 24. cap. 59.* ubi expectativæ gratiarum prohibentur omnimodè tanquam irritæ, &
9 nullæ, & propterea poſſet hic fieri argumentum à ſimili pro noſtra Reſolutione, ſed quia ſatis, & pluſquam ſatis lex indicta per allegatum *Decretum Congregationis Concilii* videtur poſitivè firmata, ideòque.

10 Ad primum reſpondetur, negando antecedens, quia obſtat Lex in contrarium promulgata, ut dictum fuit ſuperiùs à Sacra Congregatione Concilii pro Monaſteriis, ubi extat numerus Monialium taxatus à fundatione, veluti adeſt in caſu noſtro; & ſic cætera, quæ addebantur in confirmationem non
11 ſunt attendenda, quandoquidem, ruente antecedente, ſuper quod Adverſarius tamquam ſupra fundamentum ædificare videbatur, ſtatim ſuperædificatum ruere eſt neceſſe: & prop-

pte-

pterea dicendum, ſuppoſitam promiſſionem Prioriſſæ non fore utilem, immo inutilem, & nullam, ideòque tanquam prohibitam, & nullius valoris non eſſe ullo modo obligatoriam.

12 Ad ſecundum ſimiliter negatur totum ratiocinium tanquam inſubſiſtens, ſtante præfata Lege *Cong. Sac. Conc.* superiùs relata: & ut paucis, & brevibus verbis hæc omnia, & alia ejuſdem rationis ſoluta ſint, retorquetur argumentum ſic: Non poteſt Prælatus ſe ſolo, nec Prælatus cum Abbatiſsa, nec Abbatiſſa, & Prælatus cum pleno Capitulo Monialium puellæ petenti ingredi Monaſterium ad induendum habitum &c. promittere locum primò vacaturum per obitum alicujus Monialis, ut clarè loquitur *Decretum Cong. Conc. Trid.* ergo multò minùs hoc poterit Prioriſſa ſe ſola: & ſi Prioriſſa ſciens Legem latam ut ſupra, nihilominus promitteret, ut in hypotheſi facta, non ſolùm irritè, & nulliter promitteret, ſed peccaret graviter, tranſgrediendo dictam Legem in materia gravi, & foret obſtricta pœnis indictis à *Sac. Cong.* præſertim privationis vocis activæ, & paſſivæ, quæ pœna ſanè inter Regulares utriuſque ſexus eſt graviſſima, unde non ſolent privari, niſi in pœnam graviſſimi delicti.

Monialis profeſſa, morte ſubitanea defuncta, inventa fuit habere apud ſe decem Aureos, & Abbatiſsa ſtatim conſulit Confeſsarium; an ſit privanda ſepultura Eccleſiaſtica.

Expectatur reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO VIII.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, quòd ſit privanda ſepultura Eccleſiaſtica, quia cenſetur mortua proprietaria.*

2 *Reti-*

Digitized by Google

2 *Retinebat enim illos Aureos ſinè licentia ſuæ Abbatiſsæ, ut docent circumſtantiæ;*

3 *Cum præſertim ſimus in materia gravi contra Votum paupertatis,*

4 *Itaque Monialis erit privanda ſepultura Eccleſiaſtica juxta, id quod fecit* D. Gregorius *contra quemdam Monachum. Et juxta* Statutum Carthuſianorum.

5 *In oppoſitum tamen definimus,*

6 *Quia debet priùs probari rea proprietatis, & poſtea puniri ut talis;*

7 *Sed non poteſt probari proprietaria, ut infra dicetur;*

8 *Ergo non eſt punienda pęna tam gravi.*

9 *Penſatur gravitas pęnæ.*

10 *Quinam dicantur proprietarii ex* Roderico, & Donato.

11 *In quorum numerum non venire hanc Monialem manifeſtò apparet ex multis capitibus.*

12 *Negativè reſpondetur ad primum objectum,*

13 *Quia dato, quòd retinuerit Aureos ſinè licentia Abbatiſsæ, poterat tamen habere licentiam alterius Superioris.*

14 *Quo ſtante, ſi excuſari poterat à vitio proprietatis in vita, cur accuſabitur in morte.*

15 *Ad ſecundum retorquetur argumentum, & declaratur, quomodo nec id quod fecit* D. Gregorius *contra Monachum, nec* Statutum Carthuſianorum *faciat contra rem noſtram.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem hanc eſſe privandam ſepultura Eccleſiaſtica, quia cenſetur mortua
2 proprietaria, eò quòd retinuerit illos decem Aureos ſinè licentia ſuæ Abbatiſsæ, ut eruitur ex recurſu ejuſdem Abbatiſsæ ad Confeſſarium ad videndum, utrùm in contingentia facti detur locus contra defunctam privationi Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quæ eſt pęna contra Clauſtrales utriuſque ſexus dece-

decedentes proprietarios, *C. ſuper quodam de ſtatu Monac. apud Rodericum quæſt. Can. & Regular. Tom. 3. quæſt. 61. de ſcientia, & ignorantia* §. 13. *Donat. Praxis Reg. Tom. 4. tract. 15. de Voto paupertatis quæſt. 53 & alii communiter*. Non enim conſuleret Confeſſarium, an illa Monialis ſit privanda ſepultura Eccleſiaſtica, ſi de ſui licentia dictos decem Aureos ipſa defuncta detinuiſſet.

3 Præterea cum in contingentia facti ſimus in materia gravi contra votum paupertatis, quod clariſſimè conſtat, videtur Monialem in hypotheſi ad theſim vocata excuſari non poſse à culpa gravi proprietatis, & ſic mortuam proprietariam incidiſse in pęnam, hoc eſt in privationem Eccleſiaſticæ ſepul-
4 turæ. Quod enim actum fuit, & quidem laudabiliter, ut referunt auctores, à *D. Gregorio* contra quemdam Monachum, quem privavit Eccleſiaſtica ſepultura, quia in morte fuit inventus cum denariis, agendum ſimiliter videtur in caſu noſtro de Moniali defuncta inventa cum decem Aureis, inſciente Abbatiſsa: Inſuper ſi ex Statuto Ordinis Carthuſianorum habetur, quòd Monachus defunctus inventus cum duodecim denariis tantùm, quod eſt quid minimum in materia Voti paupertatis, non ſepeliatur in cœmeterio, aut ſepultus exhumetur, multò magis hoc idem faciendum eſſet de præfata Moniali, attenta graviori ſumma pecuniæ, cum qua deceſſit.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvendum eſt, dictam Monialem non eſſe privandam Eccleſiaſtica ſepultura, quia licèt privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ ſit pœna clauſtralium dece-
6 dentium in vitio proprietatis, debet tamen, antequam feratur pœna, probari vitium hujuſmodi extitiſse in eadem Moniali; non enim quis condemnatur à Judice, niſi priùs probetur reus, & ad talem, & talem pœnam, niſi conſtet de tali, & tali de-
7 licto, prout Jura diſponunt: Cum autem in contingentia facti Monialis, de qua eſt ſermo, quamvis inventa cum decem Aureis ſinè licentia modernæ Abbatiſsæ, non ſit judicanda

pro-

Digitized by Google

proprietaria, ut mox dicetur; neque eſt condemnanda ad pœnam privationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ, eò quòd graviſſima hæc pęna ferri non poteſt, niſi certò, & plenè probetur reatus proprietatis in Moniali defuncta: quòd autem hæc pœna ſit graviſſima evincitur primò, quia ſupponit peccatum grave contra paupertatem religioſam. Secundò, quia indu-
9 cit infamiam, non ſecus ac evenit morientibus in Duello ex diſpoſitione *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Refor. cap. 19.* necnon & aliis criminoſis, veluti publicis Uſurariis, & omnibus aliis, qui uſque ad ultimum diem, & horam impœnitentes moriuntur in peccato. Tertiò, quia hujuſmodi infamia præterquamquod afficiat perſonam, quæ privatur Eccleſiaſtica ſepultura, afficit etiam parentes, & conjunctos ejuſdem, & in caſu de præfata Moniali afficeret etiam Moniales omnes ſui Monaſterii, ut conſideranti patet: ſuppoſita igitur tanta, & tam magna infamia, quæ reſultaret non ſolùm Moniali defunctæ, ſed etiam parentibus ejuſdem, necnon & ipſi Monaſterio ex illa privatione ſepulturæ Eccleſiaſticæ, non videtur poſſe rationabiliter practicari contra ipſam morte ſubitanea defunctam cum illis decem Aureis apud ſe, quod ſanè non ſufficit ad probandum, obiiſſe proprietariam, quandoquidem, inquiunt *Rodericus*, *Donatus citati*, *& alii*, ut Abbas, ſive quilibet alius
10 Superior pronunciet ſententiam declaratoriam ſuper vitio proprietatis in Monachum requiritur indiſpenſabiliter ex Juſtitia, ut Superior ſit ita certus certitudine morali, quòd ſcilicet interrogatus Monachus; an haberet aliquod peculium, reſponderit non habere; tunc enim ſciens, ſe habere peculium ignotum Superiori ſuo, legitimè interrogatus, negando illud habere, ne privetur eodem ab ipſo Superiore, manifeſtum ſe facit proprietarium, & propterea in caſu mortis ſubitaneæ inventus cum peculio tractandus eſſet ut proprietarius, & ſic privandus Eccleſiaſtica ſepultura. Secus verò diſcurrendum eſſet in ca-
11 ſu noſtro, quia præfata Monialis excuſari poſſet, & quidem

Digitized by Google

rationabiliter,& multiplici titulo: primò, quia judicari poſſet, præfatam Monialem habuiſſe licentiam retinendi illos decem Aureos ab aliquo Superiore præterquam ab Abbatiſſa: ſecundò, quia poſſet ſuſpicari, illam voluiſſe dictos aureos Abbatiſſæ, vel aliis Superioribus ſuis revelare, & ob ſubitaneam, & improviſam mortem non feciſſe: tertiò, quia poſſet dici, illos decem Aureos non fuiſſe ipſius Monialis, ſed alicujus conſanguinei, vel amici ejuſdem, vel etiam ſibi depoſitos, ut alicui perſonæ deferret in eleemoſynam, aut reſtitutionem; quæ omnia, vel ſingula (ut docet *Donatus* in rem noſtram) vel exculpant à notorio mortali peccato proprietatis, quod eſt fundamentum privationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ, vel reddunt Prælatum dubium in judicando, qui tamen, ut dicebamus ſupra, debet eſſe certus in re tam gravi, & præjudiciali famæ Monialis defunctæ, & omnium ejus propinquorum; ideòque Confeſſarium in propoſito caſu debere conſulere Abbatiſſam, ut ſilentio prætereat illos decem Aureos, ipſiſque provideat neceſſaria pro danda ſepultura Eccleſiaſtica eidem Moniali morte ſubitanea defunctæ.

12 Ad primum igitur reſpondendum eſſet negativè abſolutè, quia quamvis Abbatiſsa certò ſciat, non dediſſe licentiam illi Moniali, ut retineret illos decem Aureos, poterat nihilominus
13 ipſa Monialis habere licentiam ab alio Superiore, hoc eſt, ab Ordinario, vel Monialium Vicario; & ſic non eſſet tractanda ut proprietaria: quod enim fieri potuiſſet ad favorem ejuſdem in vita, videtur congruum, & juſtum faciendum eſſe in morte
14 ipſius: & ſic quia poterat, ipſa vivente, excuſari à vitio proprietatis, donec monita à Superioribus noluerit ſe expropriare de illis decem aureis, ita etiam mortua eſſet excuſanda: & hic advertendum cenſeo, hujuſmodi monitionem eſſe neceſſariam ex parte Superioris, & pertinaciam in detentione peculii ex parte Monialis, ad hoc ut juſtè poſſit judicari verè proprietaria: quo ſuppoſito, tanquam certo ex communi Docto-

Digitized by Google

ctorum ſententia, conſideranda ſunt à Confeſſario etiam alia motiva ſuperiùs adducta in legitimam excuſationem à vitio proprietatis pro noſtra Moniali, ne privaretur Eccleſiaſtica ſepultura.

15 Ad ſecundum retorquetur in primis argumentum; nam ſi ex dictis præfata Monialis repentinè defuncta non probatur rea proprietatis, immo rationabiliter excuſatur à reatu proprietatis, ut ſatis, & pluſquam ſatis probatum eſt, ergo minimè plectenda erit tam gravi pœna privationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ: Deinde ad id, quod dicitur practicatum fuiſſe à *D. Gregorio Magno*, reſpondetur cum *Roderico*, *Gregorium* privaſſe dictum Monachum ſepultura Eccleſiaſtica, quia idem Monachus voluit obſtinatè mori proprietarius; fuerat enim admonitus, ut dimitteret denarios, & nihilominus, non obſtante monitione, mortuus erat cum denariis, ſicque verè proprietarius, ideòque privandus Eccleſiaſtica ſepultura; quod tamen non verificatur in noſtra Moniali repentinè defuncta. Ad id autem, quod addebatur de *Statuto Carthuſianorum* ſatisfit ex eodem *Roderico* citante in rem ſuam *Navarrum*; ubi docet, illud *Statutum* intelligendum eſse de illo Monacho, contra quem detentio duodecim denariorum eſſet gravis conjectura, & præſumptio vehemens, quòd idem Monachus ex contemptu Legis, vel animo ſibi appropriandi majora, mortuus fuerit revera proprietarius, cum de cætero non eſset privandus Eccleſiaſtica ſepultura, aut exhumandus à cæmeterio ob ſolum peccatum veniale, cujuſmodi eſſet illa duodecim denariorum detentio, ratione parvitatis materiæ, ut ſatis ſignificant *Canones*, & tradunt *Doctores* communiter, pœnam ſcilicet tam gravem non incurri propter culpam venialem, quæ non excludit Divinam gratiam. Et propterea in caſu noſtro ſemper ſtat, præfatam Monialem non debere, maximè propter ſuperiùs dicta, privari Eccleſiaſtica ſepultura; ſecus verò agendum eſſet, ſi ante ſui obitum monita, ut reſignaret illos decem Aureos,

Digitized by Google

noluiſſet obtemperare, quia tunc reputanda foret revera proprietaria, & ſic tractanda ut talis, prout *Innocentius III. in ſua Decretali* declaravit contra quemdam Canonicum Regularem in caſu conſimili &c. & hæc ſint ſatis &c.

Monialis Profeſſa ex gravioribus Monaſterii, cujus fuit Abbatiſsa ſæpe ſæpius violat Votum obedientiæ, & pro ſui conſcientia conſulit Confeſsarium; an ſemper peccet mortaliter.

Deſideratur votum Confeſſarii.

RESOLUTIO IX.

SUMMARIUM

1 *Videtur quòd ſic,*
2 *Quia Vota ſolemnia Regularium utriuſque ſexus regulariter obligant ſub gravi.*
3 *Clarificatur hoc doctrina* Donati *docentis, perſonas Religioſas teneri obedire Jure naturali, Divino, & humano:*
4 *Ulteriùs videtur peccare mortaliter ob peccata gravia enumerata in Reſolutione, in qua præfata Monialis trahi videtur à ſui inobedientia.*
5 *Quibus non obſtantibus, reſolvitur cum diſtinctione, ſcilicet hujuſmodi Monialem aliquando non peccare, aliquando peccare venialiter, aliquando peccare mortaliter.*
6 *Ideò primum, quia fortaſſe ex inadvertentia, ex gravi ætate, & hujuſmodi omiſit aliquas obedientias.*

7 *Qua-*

Digitized by Google

7 *Quare in hoc non eſt culpabilis, cum inobedientiæ non ſint voluntariæ.*

8 *Ideò ſecundum, quia violatio Voti Obedientiæ ſuſcipit magìs, & minus, modò non adſit contemptus;*

9 *Unde aliquando peccabit venialiter, ſi violatio Voti cadet ſub materia levi, & citra contemptum.*

10 *Aliquando peccabit mortaliter, ſi violatio cadet ſub materia gravi, vel etiam ſi cadat ſub levi unà cum contemptu formali.*

11 *Ad primum objectum reſpondetur negativè, loquendo abſolutè,*

12 *Quia Votum Obedientiæ adinſtar Voti Paupertatis ſuſcipit magìs, & minus.*

13 *Enucleatur doctrina ſuperiùs allata.*

14 *Negatur etiam ſecundum, loquendo abſolutè,*

15 *Quia violatio poteſt cadere ſub materia levi, & eſſe ſinè contemptu;*

16 *Ergo falſum eſt, quòd ſemper hæc Monialis peccet mortaliter.*

17 *Admonetur Confeſſarius, quomodo cum eadem ſe gerere debeat.*

1 PRo Reſolutione videtur reſolvendum affirmativè, quia ſi Vota ſolemnia Regularium utriuſque ſexus regulariter
2 obligant ſub gravi, ſtatim evincitur, præfatam Monialem toties peccare mortaliter, quoties violat obedientiam, cum Votum obedientiæ ſit unum ex ejus Votis ſolemnibus: quod qui-
3 dem clarificatur ex eo, quod *Donatus* docet *tom. 4. tract. 17. de Voto Obed. quæſt.* 11. Religioſum nempe (quod ſanè intelligendum eſt etiam de Moniali profeſſa, cum militet eadem ratio ratione profeſſionis ſolemnis alterutrius) teneri obedire Jure naturali, Divino, & humano, eò quòd in primis natura dictat, obediendum eſse Superioribus, necnon ſtandum eſſe promiſſis, prout contingit in caſu noſtro, ubi Monialis promiſit, ſe obedituram Superioriſſæ in iis, quæ implicitè, vel explicitè continentur in Regula: tum etiam quia tenetur ratione voti,

juxta

juxta illud *Davidis pſal. 75. Vovete, & reddite Domino Deo veſtro*: *& Eccleſiaſt. 5. ſi quid voviſti, ne moreris reddere*; & denique ratione traditionis humanæ, qua Monialis profitendo Vota ſolemnia ſe tradidit voluntati ſuorum Superiorum in iis, quæ pertinent ad regularem diſciplinam.

4 Præterea Monialis ad theſim vocata videtur ex frequentatis actibus inobedientiarum peccare peccato ſuperbiæ, quæ numeratur inter vitia capitalia: inſuper contemnere Regularem obſervantiam, & fortè cum ſcandalo Monialium, necnon cum gravi triſtitia Superioriſſæ: ex quibus omnibus, quæ de genere ſuo mortalia ſunt, communiter, inferunt *Auctores*, inter quos *S. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 105. *art.* 1. *in reſp. ad* 1. *Cajet. in ſumm. & Sylveſt. verb. Contemptus nu.* 3. *Cortellus dub. verb. Obedientia nu.* 2. *Covvarr. in Regula Peccatum* 2. *par.* §. 5. *in fine*, perſonam Religioſam, Monialem noſtram ſcilicet, peccare mortaliter.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvendum eſſet à prudenti Confeſsario cum diſtinctione, hoc eſt Monialem hujuſmodi aliquando non peccare, aliquando peccare venialiter, & aliquando peccare mortaliter; ratio primi eſt, quia ut una ex gravioribus inter Moniales, jam aſſueta, utpote aliàs Abbatiſsa Monaſterii, cæteris imperare, poteſt ex inadvertentia, &
6 inconſideratione, vel fortè etiam ex gravi ætate ſua aliquas obedientias omittere, & præſertim in materia levi, in iis, quæ vi Regulæ non cadunt ſub aliqua culpa: vel etiam ex eo quòd ſibi unicè vivens pro quiete animi ſui dumtaxat, & non alio animo, ut multoties agere ſolent Clauſtrales, dimiſso gubernio, non curet ſapere omnia, & ſingula, quæ in dies moderna
7 Superioriſsa præcipit facienda; taliter enim operando non videtur culpabilis, cum ejus inobedientiæ non ſint reputandæ verè voluntariæ, juxta illam regulam: *nullum eſſe peccatum ubi*
8 *non eſt voluntarium*: ratio ſecundi poteſt eſse, quòd violatio Voti obedientiæ cum poſſit ſuſcipere magis, & minus ad menſu-

ſuram gravitatis, vel parvitatis materiæ, modò non adſit con-
temptus poſitivus, quia tunc violatio obedientiæ in ſe levi
fieret, & revera eſſet gravis, cum contemptus ex genere ſuo
ſit peccatum mortale, ut notant communiter *Auctores* ex
Donato loc. cit. nu. 3. eò quòd ſit formaliter ſuperbia. Præſcin-
9 dendo igitur à contemptu, Monialis ad theſim vocata, violan-
do votum obedientiæ in materia levi citra contemptum, pec-
caret venialiter; & tandem peccaret mortaliter violando idem
votum in materia gravi ad ſimilitudinem illius, qui furando
aliquid modicum, animo tamen non furandi ampliùs, peccat
leviter contra ſeptimum præceptum Decalogi non furandi;
10 peccat deinde graviter ſi furetur unum ſatis uſque ad mate-
riam gravem judicio viri prudentis in contingentia furti, conſi-
deratis conſiderandis pro diverſitate caſuum de furto; immo
evincitur, præfatam Monialem peccare graviter non ſolùm
quando violaret hujuſmodi votum in materia gravi, ſed
etiamſi violaret illud in materia levi, ſi tamen adeſſet contem-
ptus Regulæ, vel contemptus formalis in perſona Superioriſſæ
præcipientis, quia contemptus Regulæ volitus cum plena de-
liberatione, & cum directa intentione in aliquam offenſionem
perſonæ Prælati, cum ſit formaliter ſuperbia vitium capitale
de ſuo genere, cenſetur peccatum mortale. Firmata igitur Re-
ſolutione,

11 Reſpondetur ad primum objectum negativè, loquendo
abſolutè, quia, ut clariſſimè probatum eſt, Votum obedien-
tiæ, non ſecus ac Votum paupertatis ſuſcipit magis & minùs,
12 hoc eſt parvitatem, vel gravitatem materiæ ad diſtinctionem
Voti caſtitatis, cujus violatio deliberatè volita eſt ſemper pec-
caminoſa mortaliter, quia in rebus venereis, ajunt *Moraliſtæ*
omnes ex propoſitione 40. *damnata ab Alexandro VII.* non datur
parvitas materiæ: in violatione igitur Voti obedientiæ cum
13 poſſit contingere fieri ex inadvertentia, & inconſideratione,
ut dicebamus, & ſic violationem non eſſe ullo modo culpabi-
lem,

lem, hoc eſt, nec mortaliter, nec venialiter peccaminoſam; vel cum advertentia, ſecluſo tamen contemptu; & eſſe culpam venialem ratione parvitatis materiæ, aut tandem cum plena advertentia, necnon in contemptum rei præceptæ, qualiſcumque ſit, levis, vel gravis, & etiam cum contemptu Superioriſſæ præcipientis, & ſic eſſe peccatum mortale; clarè infertur, præfatam Monialem in contingentia facti non ſemper peccare mortaliter, quamvis urgeat Jus naturale Divinum, & humanum; non enim ſemper committitur peccatum grave quando fit aliquid contra hujuſmodi Jura, cum multa præter intentionem, vel ex inconſideratione facta, ut dicebamus, nullo modo ſint peccaminoſa: & alia ratione parvitatis materiæ citra contemptum rei præceptæ, & perſonæ præcipientis, poſſint eſſe venialia dumtaxat: & alia demum gravia advertenter neglecta, & formaliter contempta ſint graviter culpabilia; quare ſtat ſemper firmum votum Confeſſarii conſultivum, conſideratis actibus inobedientiarum Monialis, dandum eſſe, ut ſuperiùs diximus, pro bono gubernio conſcientiæ ſuæ, & ejuſdem Monialis.

14 Ad ſecundum ſimiliter reſpondetur, quia dato quòd Monialis noſtra violet Votum obedientiæ ex ſuperbia formali, & in contemptum Regulæ, necnon cum ſcandalo omnium aliarum, vel aliquarum Monialium, aut etiam unius prudentis Monialis dumtaxat; concedimus & nos, ipſam peccare mortaliter propter motiva ab *Auctoribus citatis* adducta; ſed
15 quia violatio Voti obedientiæ poteſt contingere ſinè advertentia, & ſinè plena deliberatione, quemadmodum etiam in materia levi ſinè ullo contemptu, & abſque ullo ſcandalo,
16 hinc eſt, quòd præfata Monialis non eſset condemnanda ut rea culpæ gravis in quacumque violatione Voti obedientiæ. Deberet ſiquidem prudens Confeſſarius in hujuſmodi contin-
17 gentia facti hortari Monialem, ut in omnibus, & ſingulis obedientiis, quæ continentur explicitè, vel implicitè in Regula, omni

Digitized by Google

omni meliori ſtudio curet cæteras conſorores ſuas anteire bono ſui exemplo,& ſi ratione ſuæ gravis ætatis non poſset omnibus numeris implere Votum obedientiæ,ſibi procuret à Superiorissa diſpenſationem, juxta ſui indigentiam, ipſamque palam facere Monialibus, ad evitandum etiam omne minimum ſcandalum, quod de facili ſolet oriri in hujuſmodi contingentiis apud Clauſtrales, & præcipuè debilioris ſexus, veluti ſunt Moniales &c.

Abbatiſsa præcipit Moniali Profeſſæ aliquod opus indifferens, & Monialis recuſat obtemperare; unde plures Moniales deſumunt ſcandalum, & propterea conſulunt Confeſſarium, an aliquod peccatum illa Monialis commiſerit contra Votum obedientiæ.

Quæritur reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO X.

SUMMARIUM

1 *Non videtur peccare iſta Monialis contra Votum obedientiæ;*
2 *Quia juxta* D. Thomam *Votum obedientiæ non ſe extendit ad omnes particulares actus, qui non pertinent ad* Religionem;
3 *Cum non pertineant ad dilectionem* Dei, *& proximi, ut ſunt actus indifferentes, de quibus loquimur.*
4 *Immo Votum obedientiæ ordinatur ad ea tantùm, quæ ſunt implicitè, vel explicitè in Regula.*

5 *Igitur Monialis non agit contra Votum, cum hujuſmodi actus nec implicitè, nec explicitè contineantur in Regula.*

6 *Hoc non obſtante, dicimus, Monialem peccare ſaltem venialiter contra Votum obedientiæ;*

7 *Nam actus indifferentes poſſunt cadere ſub præcepto obedientiæ:*

8 *Poteſt ſiquidem Prioriſſa iſtos actus imperare in experimentum promptæ obedientiæ.*

9 *Nec deſunt Auctores graviſſimi ſuſtinentes, quòd obedire rebus indifferentibus non ſit tantummodo de perfectione, ſed de neceſſitate Voti apud Clauſtrales.*

10 *Maximè in noſtro caſu, in quo ſupponitur ſcandalum aliarum Monialium.*

11 *Affertur in hanc rem optima doctrina deſumpta ex* Donato: *docente, quando Religioſus teneatur, ſaltem de perfectione, obedire Superiori res indifferentes imperanti.*

12 *Ad primum objectum reſpondetur, negando antecedens.*

13 *Quia, ut ſatis probatum eſt, hujuſmodi actus poſſunt imperari in exercitium obedientiæ.*

14 *Ad ſecundum reſpondetur, negando pariter antecedens,*

15 *Quia Monialis promiſit obedire in iis omnibus, quæ implicitè etiam continentur in Regula, ut ſunt præfati actus indifferentes.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem hujuſmodi non peccare contra Votum obedientiæ, quia licèt Votum obedientiæ ad Religionem pertinens habeat quamdam univerſalitatem, eò quòd ſe extendat ad diſpoſitionem totius vitæ humanæ, ut docet *D. Thomas 2. 2. quæſt. 186. art. 5. ad quartum*, ex *Donato tom. 4. tract. 17. quæſt. 17. nu. 1. circa finem: Sylveſtro verbo Religio 6. queſt. 6. & Miranda Manual. Prælat. Regul.*
2 *quæſt. 26. art. 9. & aliis*, non tamen, inquit *S. Thomas loco cit.*, ſe extendit ad omnes particulares actus, qui non pertinent ad
3 Religionem, cum non ſint de rebus pertinentibus ad dilectionem

nem Dei, & proximi, cujuſmodi eſſent actus indifferentes, v. g. elevatio feſtucæ de terra, delatio terræ de uno ad alium locum, extirpatio inutilium herbarum in horto, & ſimilia; ideòque in contingentia facti præfata Monialis ſi recuſaret obedire Abbatiſſæ non peccaret contra Votum obedientiæ, & quidem nec venialiter, quia tales actus nullo modo continentur in Regula.

4 Præterea in his, quæ ſunt perfectionis dumtaxat, & præcisè voluntaria, ſi præcipiuntur à Prioriſſa, & Monialis recuſat obedire, videtur non poſſe dari ullum peccatum contra Votum obedientiæ, cum hujuſmodi votum ſit ordinatum tantummodo ad ea, quæ ſunt in Regula implicitè, vel explicitè; actus au-
5 tem indifferentes, veluti eſſet corpus ſuum reficere, recreare, illudque non fatigare, que omnia neque Regula præcipit, neque prohibet, neque ſunt ſecundùm Regulam, nec contra ipſam, ſed infra, aut præter Regulam, ideòque non continentur nec explicitè, nec implicitè in Regula, & propterea non poſſunt cadere ſub præcepto Superioriſſæ; ſtatim infertur, Monialem recuſantem hujuſmodi opera indifferentia facere, non eſſe culpandam ullo peccato contra Votum obedientiæ.

6 His tamen minimè obſtantibus, Reſolvendum eſt, præfatam Monialem in contingentia Caſus propoſiti peccare, ſaltem venialiter contra Votum obedientiæ. Ratio eſt, quia
7 cum actus indifferentes poſſint cadere ſub præcepto obedientiæ, quatenus Superioriſſa, cujus officium eſt Moniales ſuas exercere, ut obedientiæ perfectionem aſſequantur, poteſt imperare Moniali etiam actus indifferentes in experimentum promptæ obedientiæ, juxta illam *Regulam SS. Patrum*, & omnium Directorum ſpiritualium apud *Bernardum*: *Non attendit verus obediens quale ſit quod præcipitur, hoc ſolo contentus, quia præcipitur;* præterquamquod cum adſit opinio graviſſimorum Doctorum, teſte *Angelico Quodlibeto* 10. *art.* 10. in principio cor-
9 poris, quem unà cum *Miranda Manual. Prælat. quæſt.* 26. *art.* 9.

Digitized by Google

in princip. citat *Donatus tom. 4. tract. 14. de Voto obed. quaſt. 17. nu. 1.* opinio, inquam, quæ docet, obtemperare in rebus indifferentibus apud Clauſtrales non eſſe tantummodo de perfectione, ſed etiam de neceſſitate Voti obedientiæ, ſtatim deducitur, Monialem recuſantem obedire (quod idem eſt ac dicere inobedientem formaliter cum plena deliberatione, & totali advertentia) peccare ſaltem venialiter contra Votum obedientiæ, quod ſanè confirmari poſset de facili ex dictis in *antecedenti 9. anteacta Reſolutione*: & præcipuè in caſu præſenti, ubi ſupponitur, ex inobedientia ejuſdem Monialis veniſſe ſcandalum in

10 domo Dei apud alias Moniales, maximè ſi cum illius Monialis inobedientia fuiſset conjuncta deriſio rei præceptæ, necnon & Abbatiſsæ præcipientis, ut ex humana infirmitate ſolet evenire in hujuſmodi contingentiis apud Regulares utriuſque ſexus non ſinè detrimento ſpirituali regularis diſciplinæ, & gravi ſcandalo in ruinam proximi ſui. Hoc totum dilucido

11 cum *Donato loc. cit.* opera indifferentia juſſa Moniali ab ejus Abbatiſsa, aut ſunt contra Regulam, & in hoc caſu Monialis non tenetur obedire, niſi in caſu, quo Abbatiſsa haberet facultatem diſpenſandi ſuper eadem Regula, tribus tamen conditionibus copulativè concurrentibus, hoc eſt, quòd Abbatiſsa ſciat, ſe præcipere contra Regulam, & quòd ſciat, ſe poſſe diſpenſare ſuper illa Regula in tali caſu, & quòd habeat legitimam cauſam diſpenſandi, ut notavit idem *Donatus loc. cit. quaſt. 16. nu. 6. cum Miranda loc. cit. concluſione* 2. aut, ut dicebam, ſunt opera infra Regulam, & præter Regulam, veluti eſſent corpus reficere, recreare, ipſumque non fatigare, & ſimilia, quæ aliqualiter poſſunt reduci, & ordinari ad Regulam, & in hoc caſu Monialis teneretur obedire, quia talia opera reducibilia, & ordinabilia ad Regulam cadunt ſub Voto obedientiæ, eò quòd ad Regulam pertinent non ſolùm ea, quæ habentur expreſsè in Regula, verùm etiam illa, quæ quocumque modo poſsunt reduci ad ipſam, & ſic quia corpus refice-

re,

Digitized by Google

re, recreare, & alia indifferentia quandoque Superiorifsa putat neceſsaria pro incolumitate Monialis; ex quo judicio Abbatiſsæ apparet, quòd illa indifferentia reducantur ad Regulam, ipſa Abbatiſsa poteſt illa præcipere, & Monialis tenetur obedire, ſi non de ſtricta neceſſitate obedientiæ, ſaltem de perfectione ejuſdem obedientiæ, ad quam Regularis utriuſque ſexus tenetur, juxta doctrinam *Angelici*, & *aliorum SS. Patrum* omni meliori modo, quantùm patitur humana fragilitas, aſpirare; unde in rem noſtram *D. Bernardus* apprimè ſcripſit *de vita ſolitaria ad Fratres* (*ex Rodriquez tract.* 5. *cap.* 6.) *Perfecta obedientia eſt, maximè in incipiente, indiſcreta; hoc eſt non diſcernere quid, vel quare præcipiatur, ſed ad hoc tantùm niti, ut fideliter, & humiliter fiat, quod à Majore præcipitur.*

12 Ad primum igitur negatur antecedens, quia ſatis probatum eſt, actus indifferentes poſſe reduci ad Regulam, & ſic cadere poſſe ſub præcepto, & per conſequens obligare Monialem ad eoſdem ex Voto obedientiæ, & loquendo individualiter de actu elevationis feſtucæ allato per adverſarium, eſt reducibilis, inquiunt *Donatus*, & *Miranda loc. cit. cum aliis*, ad obedientiam, quia præcipi poteſt ab Abbatiſſa in obſequium alterius Monialis infirmæ, quia ſcilicet illa feſtuca indigeat: & loquendo de aliis relatis, nempe de delatione terræ, vel lapidum de uno ad alium locum, aut de extirpatione herbarum inutilium in horto, clariſſimè conſtat, poſſe reduci ad obedientiam, qua-

13 tenus Abbatiſſa poteſt illa omnia præcipere in exercitium ejuſdem obedientiæ, ut notum eſt, quemadmodum colligitur ex *Sacris Hiſtoriis* feciſſe Patres Spirituales docentes diſcipulos ſuos perfectionem obedientiæ ſub ratione dumtaxat virtutis.

14 Ad ſecundum ſimiliter negatur antecedens propter eamdem rationem, hoc eſt quia actus indifferentes, licèt non ſint explicitè prohibiti, nec præcepti à Regula, quatenus non ſunt nec contra Regulam, nec ſecundùm Regulam, ſunt tamen aliqualiter reducibiles ad Regulam, ut jam diximus, & quatenus

ita

ita ſunt, poſſunt cadere ſub præcepto, & ſic obligare Monia-
lem ad illos faciendos, eò quòd Monialis vovendo obedien-
tiam promiſit, ſe obedituram in iis omnibus, quæ explicitè,
15 vel etiam tantùm implicitè continentur in ipſa Regula; & hinc
clariſſimè deducitur, eamdem Monialem inobedientem in
contingentia facti peccare ad minùs venialiter, accedente ma-
ximè ſcandalo reſultante ex illius inobedientia cum ruina ſpi-
rituali proximi ſui, ut ſuperiùs diximus.

Monialis privata, aliàs Abbatiſſa Monaſterii ex anteacta conſuetudine in ſui Abbatiſſatu donat ſinè licentia modernæ Abbatiſſę ſui Pictantiam pauperibus in dies accedentibus ad januam ejuſdem Monaſterii; recogitans autem in corde ſuo hujuſmodi conſuetudinem, dubitat; an bene, vel malè ſe gerat, & propterea conſulit Confeſſarium,

A quo expectatur Reſolutio dubii.

RESOLUTIO XI.

SUMMARIUM

1 *Dicendum videtur, hanc Monialem nullo modo peccare, quin laudabiliter agere,*

2 *Quia ſic donando non infert damnum reale Monaſterio, unde non peccat contra Juſtitiam;*

3 *Immo exercet Charitatem largiendo ſui pictantiam pauperibus.*

4 *Confirmatur doctrina tradita in prima parte noſtrarum Reſolutionum.*

5 *Præ-*

5 *Præterea pictantia videtur donata à Monaſterio ipſi Moniali ſinè ulla obligatione.*

6 *Nihilominus reſolvitur in contrarium,*

7 *Quia non poteſt donare ſui pictantiam ſinè aliqua licentia Superioriſſæ;*

8 *Quatenus ſcilicet non conceditur ipſi Jus utendi ſimpliciter, ſed tantùm uſus facti, non in generali, ſed in particulari.*

9 *Adaptatur exemplificatio* Soti.

10 *Traduntur monita* Navarri, *ut optimè ſe gerat Confeſſarius in hac re.*

11 *Satisfit primo objecto, negando antecedens,*

12 *Quia peccat contra Votum paupertatis venialiter ſolùm, niſi donaret uſque ad materiam gravem.*

13 *Inſuper infert aliquod damnum Monaſterio, ideò peccat contra Juſtitiam.*

14 *Peccat etiam contra Votum obedientiæ, quia Superioriſſæ ſolent prohibere, ne diſtrahantur comeſtibilia extra Monaſterium.*

15 *Exhortatio Chriſti Domini ſupra allata non eſt contra nos,*

16 *Quia conſideranda eſt ratio, & conditio perſonæ erogantis eleemoſynam.*

17 *Ad ſecundum, dato antecedente, negatur conſequentia, aſſignando diſparitatem,*

18 *Et concluditur, non licere Moniali pro libito ſuo elargiri pictantiam in eleemoſynam.*

1 VIdetur dicendum pro Reſolutione, præfatam Monialem nullo modo peccare, immo laudabiliter ſe gerere, quia
2 donando ſui pictantiam nullum damnum reale infert Monaſterio, & propterea non peccat contra Juſtitiam; &, dum illam
3 erogat in eleemoſynam pauperibus, exercet Charitatem, ad quam Chriſtus Dominus hortatur generaliter fideles omnes, & præcipuè Clauſtrales utriuſque ſexus, exhibito in mercedem

Digitized by Google

dem æterno Regno Eleemoſynariis, ut apnd *S. Matthæum cap.* 25. legitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.*

4 Præterea cum aliàs dixerimus in *prima parte Reſolutionum practicarum* edita, *Reſolutione* ſcilicet 32. *nu.* 7. *& ſeq.* Monialem privatam in contingentia Jubilæi teneri facere eleemoſynam injunctam à Summo Pontifice pro conſecutione Indulgentiæ, ex qua obligatione clarè deducitur, illam poſſe facere eleemoſynam, non enim quis interdum obligatur, niſi ad id, ad quod facere habet poſſe, quandoquidem actus ſupponit præeſſe potentiam, in cauſa cujus eſt actus; & hinc eſt, quòd præfata Monialis in contingentia facti poſſit licitè donare ſui pi-
5 ctantiam pauperibus in eleemoſynam ſinè ulla alia licentia, tum etiam quia pictantia ſibi data à Monaſterio videtur ſibi donata uſque ad conſummationem ſinè ulla minima obligatione redonandi quid minimum ejuſdem ipſi Monaſterio; ideòque Confeſſarius rectè conſuleret Monialem, ſi reſponderet ad ejus dubium, rectè ſe gerere.

6 His tamen non obſtantibus, reſolvendum eſt negativè, dicendo Monialem in data hypotheſi non rectè, ſed malè ſe gerere, eò quòd non poſſit ſinè aliqua licentia modernæ Abba-
7 tiſſæ donare ſuam pictantiam pauperibus, & ratio eſt, quia quando Moniali, quod idem intelligendum eſt de quacumque perſona Regulari tribus Votis ſolemnibus adſtricta, con-
8 ceditur uſus rei, non conceditur ſimpliciter jus utemdi, eſt enim incapax Regularis profeſsus talis juris, cum hujuſmodi jus habeat aliquam rationem dominii, ſed conceditur uſus facti dumtaxat; & quidem non in generali, nec quilibet uſus ad arbitrium diſpoticum ejuſdem, ſed in particulari talis, vel vel talis uſus; & in caſu noſtro pictantia datur Moniali pro ſui uſu facti in particulari, hoc eſt ad ſui corpus reficiendum tantummodo, non autem ad uſum ejuſdem pictantiæ pro ſui diſpo-

Digitized by Google

diſpotico arbitrio, quaſi poſſit de illa aliter diſponere, præterquam ad ſui ipſius refectionem, ſecus agendo ſe gereret veluti domina, & patrona proprietaria; uſurparet namque jus diſponendi de illa plenariè, privata ſui authoritate, cujus juris eſt omnimodè incapax ratione Voti paupertatis: hoc to-
9 tum exemplificatur à *Soto lib. 4. de Juſtitia, & Jure quaſt. 1. art. 1. in 2. concluſione:* apud *Mirandam Manual. Prælat. quaſt. 28. art. 13. concl. 1. circa medium: Invitatur quis*, inquit, *Miranda ad cœnam ab amico ſuo: Invitatus autem non per hoc fit Dominus eſculentorum, quibus menſa ſtruitur, quaſi poſſit diſpoticè diſponere de illis, illa eſculenta donando, ſurripiendo &c. ſed tantummodo ut ipſis veſcatur quantùm ſibi placuerit, & non aliter, nec alio modo, quod quidem experientia quotidie docet: ſic & in caſu noſtro*, ſubjungit citatus Doctor, *Monaſterium quotidie invitat Moniales ad menſam, ut veſcantur pictantia illis parata pro earumdem ſuſtentatione, non autem ut illam diſtrahant in alios uſus, etiam pro facienda eleemoſyna ſinè aliqua licentia expreſſa, vel tacita, aut præſumpta propriæ Abbatiſſæ.*

10 Prudens autem Confeſſarius, veluti ſunt omnes, & ſinguli, qui audiunt ſacramentaliter Moniales Bononiæ, deberet in contingentia facti ſeriò advertere ſecundùm monitum *Navarri in capite Non dicatis nu.* 8. ubi habet plurima notatu digniſſima; deberet, inquam, advertere, an illi pauperes eſſent parentes in extrema indigentia, quia tunc, & in eo caſu Monialis utique poſſet ſuam pictantiam ſic erogare in eleemoſynam, nulla petita licentia, ut ex *Miranda loc. cit.* docuit *Gloſſa in dicto cap. Non dicatis 12. quaſt. 1. & in Clement. 2. de vita, & honeſtate Clericorum*, & inſuper *Angelicus 2. 2. quaſt. 31. art. 8. ad 1.* in quo caſu tamen adveniente poſſet dici, quòd præfata Monialis, quamvis nullam petiiſſet licentiam ab Abbatiſsa, adhuc tamen donando ſuam pictantiam parentibus in extrema indigentia conſtitutis uteretur licentia interpretativa per epichejam, quatenus ſi petiiſſet eidem non fuiſset denegata, cum non ſit reputanda Abbatiſsa ita ſtricta in dandis licentiis, ut ve-

lit reputari irrationabiliter invita, uti verè deberet haberi plenis votis in neganda licentia Moniali, ne donaret ſui pictantiam parenti ſuo in extrema paupertate conſtituto.

12 Ad primum igitur negatur antecedens, quia, ut nuper dictum fuit ſuperiùs, Monialis privata donans ſuam pictantiam ſinè ulla licentia ſuæ Abbatiſsæ peccat contra Votum paupertatis, non quidem mortaliter, niſi hoc faceret ad longum tempus uſque ad materiam gravem, ſed tantùm venialiter ratione parvitatis materiæ, ut ſolet eſse pictantia clauſtralium, & præcipuè apud Moniales; & hinc deducitur, ipſam donando pictantiam, quę non eſt ſua, ſed Monaſterii, inferre damnum
13 (qualecumque ſit) eidem Monaſterio, non ſecus ac fur in furando aliena infert damnum domino illorum ad ratam, & menſuram eorum furto ablatorum; & ſic clarè colligitur, præ-
14 fatam Monialem peccare etiam contra virtutem Juſtitiæ, necnon contra Votum obedientiæ, cum Abbatiſsæ in Capitulis, quæ nuncupantur culparum, ſoleant ſemper inculcare, ne comeſtibilia Monaſterii diſtrahantur extra Monaſterium ſinè licentia. Ad illud autem de exhortatione Chriſti ad faciendam eleemoſynam reſpondemus, deberi quidem fieri eleemoſy-
15 nam, quia præceptum Domini eſt, & Jus naturale etiam dictat, ſed ſervatis ſevandis, prout ratio, & conditio facientis
16 eleemoſynam poſtulat; & ſic Monialis profeſsa Voto paupertatis, necnon obedientiæ adſtricta in faciendis eleemoſynis, ne illas faciendo intendens agere bonum ſe ſe fallat, & malum agat, debet utpote ſpoliata omni jure, quamvis habeat uſum facti circa pictantiam, hoc eſt ad ſui refectionem dumtaxat, & non aliter, debet, inquam, petere licentiam, vel illam aliquo modo habere interpretativè per epichejam, adhoc ut ipſam pictantiam poſſit licitè ſinè ulla culpa donare Pauperibus accedentibus in dies ad januas Monaſterii: ſecus agendo faceret quidem eleemoſynam, ſed non ſibi meritoriam illius æterni Regni parati ab Æterno Patre juſtis Eleemoſynariis.

17 Ad

Digitized by Google

17 Ad ſecundum, dato antecedente, negatur conſequentia, & ratio diſparitatis eſt, quia in caſu allato de facienda eleemoſyna pro conſecutione Indulgentiæ tempore Jubilæi, prout eſt onus injunctum à Pontifice, &, quatenus injunctum eſt à Papa, videtur haberi licentiam ab eodem Papa, & per conſequens, Monialem in tali caſu facere eleemoſynam de licentia Papæ, qui eſt ſupremus dominus, habens poteſtatem diſpoticam ſupra ipſam Abbatiſſam; unde in *citata Reſolutione* 32. inter alia, quæ diximus ad probandum, quòd Monialis tempore Jubilæi teneatur facere eleemoſynam injunctam ad conſequendam Indulgentiam, dicebamus *nu.* 13. ipſam Monialem ita poſſe facere eleemoſynam à ſe ipſa, ut illam poſſet facere etiam ſinè licentia Abbatiſſæ, clandeſtinè tamen pro evitando quocumque ſtrepitu, ſuppoſito quòd licentiam petiiſſet, & Abbatiſsa denegaſſet, quia tunc, & in eo caſu Abbatiſſa foret reputanda irrationabiliter invita. In hypotheſi autem noſtra, ubi non urget præceptum eleemoſynæ, immo è contrà urget præceptum non diſtrahendi res Monaſterii, veluti eſt pictantia, ſupra quam Monialis privata non habet ullum jus, ſed tantùm uſum facti præcisè ad ſui refectionem corporalem, & non ad aliud, ſicuti dicebamus in *prima parte Reſolutionum practicarum Reſolutione* 29. *nu.* 7. 9. *& ſeq.* ſequitur, Monialem non poſſe facere eleemoſynam ſinè licentia, excepto ſemper caſu, de quo ſupra, hoc eſt niſi ageretur de facienda eleemoſyna parentibus in extrema neceſſitate indigentibus; tunc enim Monialis ſi petiiſset, & non obtinuiſſet licentiam, poſſet nihilominus erogare ſui pictantiam in eleemoſynam, quia tunc Abbatiſsa revera eſset irrationabiliter invita.

18 Non eſt ergo integrum Moniali pro libito ſuo ſuam pictantiam in eleemoſynam elargiri, quod eſt valde notandum, claudit magiſtraliter celebris *Donatus*, his verbis emphaticis; ad compeſcendum quarundam Monialium bellos humores, &c.

Puella educata in Monaſterio ab ejus pueritia uſque ad annum vigeſimum, agens decimum quintum vovit, & juramento firmavit, etiam de conſilio Confeſsarii ordinarii induere Habitum illius Inſtituti; completo autem anno vigeſimo, colaphizata ſtimulis carnis uſque ad culpam, pœnitet ſe feciſſe tale Votum, & propterea conſulit modernum Confeſſarium ordinarium quid agere debeat, & ad quid teneatur.

Expectatur conſilium ejuſdem Confeſſarii.

RESOLUTIO XII.

SUMMARIUM

1 *Videtur Confeſſarius debere conſulere Puellam, ne induat Habitum illius Inſtituti, ſed nubat,*
2 *Quia ſic uteretur conſilio* Apoſtoli 1. ad Cor. 7.
3 *Et impediret offenſam Dei.*
4 *Immo Puella quando vovit forſan non erat adeò colaphizata, nec ſuſpicabatur, ſore ut tam vehementer colaphizaretur in poſterum;*
5 *Ergo jure meritò poſſet Confeſſarius illam excuſare à tali Voto.*
6 *Sed iſta non placent in materia tam gravi; quare*
7 *Debet potiùs Confeſſarius conſulere Puellam ad obſervantiam Voti, juxta illud* Eccl. 5.
8 *Maximè quia hæc verba ſunt veluti repetita, & de Jure Divino;*
9 *Præterea quod erat Puellæ voluntarium, factum eſt per Votum & Juramentum eidem neceſſarium.*
10 *Datur conſilium pro gubernio Confeſſarii in hac re.*

Digitized by Google

11 *Inſuper ad illam conſolandam uti poſſet exemplis, doctrina* Concilii, *& teſtimonio* Pauli.
12 *Ad primum negatur aſſertum in contrarium.*
13 *Explicatur quomodo intelligendus ſit Textus* Apoſtoli,
14 *Et probatur, non poſſe adaptari in rem noſtram.*
15 *Ad ſecundum negatur antecedens, quia Confeſſarius non habet poteſtatem ſolvendi Puellam à Voto.*
16 *Interrogationes verò, quæ addebantur, ſunt periculoſæ,*
17 *Quia ex iis argumentari poſſet Puella in detrimentum animæ ſuæ.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, modernum Confeſſarium poſſe, & debere conſulere hujuſmodi Puellam, ne induat Habitum illius Inſtituti, & juxta conſilium *Apoſtoli*
2 *1. ad Cor. 7.* melius eſt nubere, quàm uri, illam hortari ad nuptias in ſæculo; quandoquidem agitata ſtimulis carnis uſque
3 ad culpam incluſivè ſponſa in ſæculo aufugeret offenſam Dei, & propterea Confeſſarius deberet illam conſulere, ne habitum indueret.

4 Præterea modernus Confeſſarius videtur, quòd poſſet relevare Puellam ab onere tanti Voti, quamvis juramento firmati, quia poſſet interrogare Puellam; an de eo tempore, hoc eſt agens annum quintumdecimum ætatis ſuæ, fuiſſet unquam ſtimulis carnis agitata, & quatenus ſic; an ita vehementer ut in præſenti facta major uſque ad vigeſimum, & quatenus non, iterum interrogare Puellam; an vovendo induere habitum il-
5 lius Monaſterii ſciret, vel potuiſſet ſuſpicari, ſe in futurum paſſuram tot, & tam graves moleſtias carnis; & quatenus non, idem Confeſſarius videtur poſſe illam excuſare à tali Voto: votum namque cum ſit deliberata, & voluntaria promiſſio facta Deo, ſupponit ſcientiam objecti, circa quod verſatur; & quatenus Puella reſponderet affirmativè, adhuc poſſet illam eximere à tali Voto, illamque hortando ad nuptias ſecundùm carnem, quæ ſunt in remedium concupiſcentiæ.

6 His

Digitized by Google

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvendum cenſeo, moder-
num Confeſſarium,habita conſideratione ſuper prudentia, &
doctrina præteriti Confeſſarii ordinarii, cujus conſilio Puel-
la vovit, & juramento firmavit induere habitum illius Mona-
ſterii,debere cautè, & planè procedere; ageretur enim in con-
tingentia facti de re permultùm gravi, veluti ſunt Votum in-
duendi habitum Religioſum, & juramentum de ſervando eo-
7 dem Voto, & propterea deberet illam conſulere pro obſer-
vantia Voti, juxta illud *Eccleſiaſt. 5. Si quid voviſti Deo, ne more-*
ris reddere; diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio: ſed quod-
8 *cumque voveris redde*. Quæ verba ſeriò perpendenda ſunt
non ſolùm quoad ſui ſenſum, qui eſt præceptivus, ſed etiam
eò quòd ſint veluti repetita præcepta, & quidem de Jure Di-
vino: tùm etiam quia,quod ab initio fuit voluntatis ſuæ,tractu
9 temporis, hoc eſt facto Voto, factum eſt neceſſitatis, adeout
nequeat non teneri ad illius obſervantiam, & præcipuè ratio-
ne juramenti facti in confirmationem ejuſdem Voti, à quo
idem Confeſſarius ordinarius non poteſt diſpenſare Puellam
ex defectu poteſtatis; quare inſiſtendo ſuper obligatione
obſervandi Votum, & juramentum pro induendo habitu Mo-
10 naſterii, deberet aperire ſenſum ſuum omni meliori modo ei-
dem Puellæ, oſtendendo in primis excellentiam, & vim obli-
gatoriam Voti,& juramenti ſub culpa gravi,cum agatur hìc de
materia gravi;laudare dein conſiliũ datũ eidem à Confeſſario
tunc temporis ordinario, commendando illius prudentiam, &
doctrinam in conſulendo ſui Votum, & approbando juramen-
tum pro confirmatione ipſius: eò quòd modernus Confeſſa-
rius pro ſua prudentia utens his, & aliis motivis, quæ ſibi vide-
buntur forſan fortiora in confirmationem Voti anteacti adim-
plens ſui miniſterium numeris omnibus, de facili Puellam in-
ducet ad ſtandum promiſſis Deo juramento firmatis, ne fiat
perjura ex inobſervantia Voti aliàs juramento confirmati
cum plena deliberatione voluntatis ſuæ, accedente præſertim
con-

Digitized by Google

conſilio dato à Confeſsario, quod idem eſt ac dicere cum plena advèrtentia omnimodè inexcuſabili ab obſervantia Voti, & juramenti. Tandem Confeſsarius prudens ne videatur ni-
11 miùm ſeverus eidem Puellæ, quia juſtus in ferendo hujuſmodi judicio, ne illam deſperet, hortari curet ad perſeverantiam in ſui Voto, exemplo aliorum utriuſque ſexus, qui quamvis in multis vexati à ſpiritu fornicationis, etiam uſque ad culpam gravem in ſæculo, habitu tamen Religionis induto caſtiſſimè vixerunt: & hoc totum poſſet ad ultimum confirmare illis verbis *Conc.Trid. ſeſſ.*24. de doctrina Matrimonii *canon. 9.*, nimirum quòd Deus donum caſtitatis rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari, ut olim ſcripſerat Apoſtolus 1. *ad Corint. cap.* 10. *Tentatio vos non apprehendat niſi humana: fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*; quibus poſitis, tamquam de Fide certiſſimis, Puella firmiter ſperans à ſupremo Domino auxilia ſibi datura ad vincendas carnis illecebras, confirmata in ſua vocatione tempore ſibi bene viſo, niſi determinatum fuerit à ſe ipſa cum voto, tenetur induere habitum Monaſterii prout fuit in Voto. Poſset Confeſsarius pro ſua prudentia demum conſulere pro recurſu ad ſacram Pœnitentiariam.

12 Ad primum igitur negatur aſsertum in contrarium, & explicatur in quo ſenſu intelligendum ſit conſilium datum ab Apoſtolo: *Apoſtolus loc. cit.* proteſtatur, ſe loqui non nuptis, & viduis, hoc eſt mulieribus verè liberis, & nullo vinculo matri-
13 monii, aut Voti continentiæ adſtrictis, & hinc ſubaddit ibidem hæc verba: *Quòd ſi non ſe continent nubant*: & in hac hypotheſi daretur apprimè locus ejus conſilio ex verbis relatis de ore illius; *melius eſt nubere, quàm uri*: At in caſu ſuppoſito nequit
14 hoc practicari, quia Puella ligata Voto, & quidem confirmato cum juramento induendi habitum Monaſterii, non eſt ampliùs libera pro eligendis nuptiis ſecundùm carnem, quatenus

iſtæ

iſtæ ſunt incompatibiles cum degente in habitu Religioſo in-
trà clauſuram; Puella etenim vovendo cum plena delibera-
tione, & integra advertentia, etiam de conſilio Confeſsarii
tunc temporis ordinarii induere habitum illius Monaſterii, ſi
non vovit ſervare caſtitatem, quia vovere induere habitum
Clauſtralem non eſt propriè vovere caſtitatem, vovit tamen
vivere in clauſura ejuſdem Monaſterii, & per conſequens in
ſtatu cælibatus; & propterea Confeſſarius in hujuſmodi con-
tingentia facti non deberet, nec poſſet conſulere puellam ad
nuptias, ſed illam hortari omni meliori efficacia ad obſer-
vantiam Voti ſui, prout dictum fuit ad Reſolutionem; non ſe-
cus ac fit à Confeſſariis cum pœnitentibus verè contritis de
præteritis incontinentiis, hoc eſt, dando illis monita ſaluta-
ria, quibus vincendo carnis concupiſcentiam vivere poſſint in
ſtatu gratiæ, ſinè offenſa Dei.

15 Ad ſecundum ſimiliter negatur antecedens, quia Confeſ-
ſarius ex defectu poteſtatis nequit ullo modo relaxare hujuſ-
modi Votum, hoc eſt nec per irritationem illud annullando, ut
ut non ſit amplius Votum; nec per diſpenſationem, hoc eſt re-
laxando Votum illud in totum, vel in partem; nec tandem
per commutationem, hoc eſt mutando materiam Voti in
aliam; nullus etenim juſtus titulus adeſt in Confeſſario reſpe-
ctu Puellæ, propter quem dici queat Superior ejuſdem cum
tanta plenitudine poteſtatis ſupra ipſam, ut valeat ipſam re-
levare ab onere Voti ſibi voluntariè, & plena deliberatione,
& juramento firmati à multo tempore, & de conſilio, non ſui,
ſed alterius Confeſſarii ordinarii ejuſdem Monaſterii: ad reli-
qua verò, quæ addebantur inquirenda per modernum Con-
feſſarium ab ipſa Puella circa ſtimulos carnis de tempore Voti
emiſſi comparativè ad tempus præſens, reſpondendum cenſeò,
eſſe inutilia, & forſan periculoſa in ruinam ſpiritualem ejuſ-
16 dem Puellæ; poſſet namque Puella taliter interrogata dicere
intra ſe, ſi ſciviſſem tunc temporis ætatis meæ annorum quin-

decim

17 decim quando vovi induere habitum Monaſterii, & plenè cognoviſſem ſtimulos carnis ita moleſtos uſque ad culpam incluſivè, non voviſſem, & progrediendo ultra fortè ſubadderet: Non plenè cognovi carnis concupiſcentiam, ergo votum meum de induendo habitu Monaſterii, cum quo eſt conjuncta continentia, non tenet: teneretur itaque Confeſſarius in caſu propoſito, neglectis his, & ſimilibus interrogatoriis Puellam hortari unicè ad obſervantiam Voti ſui monitis ſalutaribus, illamque dimittere conſolatam, juxta monitum *Davidis* 49. *Vade, & redde Altiſſimo Vota tua &c.*

Monialis, recurrente Indulgentia Plenaria conceſſa Ordini ſuo ad formam Jubilæi, habita Confeſsione peccatorum ſuorum pro conſequenda Indulgentia, recuſat adimplere pœnitentiam ſibi injunctam à Confeſſario, dicens, ſe velle illam compenſare lucratione recurrentis Indulgentiæ.

Quæritur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO XIII.

SUMMARIUM

1 *In data hypotheſi Monialis videtur poſſe eximi ab obligatione adimplendi Pœnitentiam,*
2 *Quia Indulgentia Plenaria remittit omnem pœnam.*
3 *Quod confirmatur authoritate* Bonacinæ, *& aliorum,*
4 *In quorum ſententia ſi ſatisfactio impoſita à Confeſſario poteſt com-*

Digitized by Google

penſari per alia opera bonà ſatisfactoria, etiam Monialis poterit compenſare ſuam Pœnitentiam per lucrationem iſtius Indulgentiæ.

5 *Hoc confirmatur enthymemate.*

6 *Hiſce verò rejectis, in contrarium reſolvitur,*

7 *Quia per Indulgentiam non tollitur obligatio adimplendi Satisfactionem ſacramentalem, quæ pertinet ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ;*

7 *Præſertim etiam, quia datur Pœnitentia, non ſolùm pro ſatisfactione præteritorum, ſed in præcautionem futurorum peccatorum.*

9 *Deinde, quis revelavit Moniali tam ſibi fidenti, fore ut certò conſequatur Indulgentiam?*

10 *Ratiocinium primi objecti eſt falſum,*

11 *Quia Pœnitentia eſt pars integralis hujus Sacramenti;*

12 *Quare tenetur illam adimplere, ut probatur à pari. Secus foret incapax abſolutionis.*

13 *Negatur ſuppoſitum ſecundi objecti;*

14 *Alioquin etiam Confeſſarius non teneretur imponere Pœnitentiam, quod eſt falſum:*

15 *Et denique concluditur, Satisfactionem eſſe de Jure Divino; & propterea Monialem nullo modo poſſe eximi ab eadem.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem in dato caſu eximi poſſe ab obligatione adimplendi Pœnitentiam impoſitam à Confeſsario, quia Monialis, conſequendo Indulgentiam Plenariam, & præcipuè ad formam Jubilæi, conſe-
2 quenter etiam remiſſionem cujuſcumque pœnæ debitæ peccatis ſuis, ut ex vero ſenſu verborum, hoc eſt Indulgentia Plenaria ad formam Jubilæi colligitur, & propterea non teneretur ampliùs ad executionem pœnitentiæ ſacramentalis; ceſſante namque fine, propter quem fuerat impoſita à Confeſſario, nempe ad delendam pœnam relictam ex peccatis dimiſſis, ceſ-

ſat

Digitized by Google

3 ſat quoque omnis obligatio faciendi Pœnitentiam à Confeſſario datam tanquam à Judice, non ſecus ac ceſſaret obligatio pęnæ impoſitæ reo à Judice, ſi Princeps illam condonaret eidem reo, ut docent *Bonacina ſect. 3. punct. 4. nu. 7. Diana part. 3. tract. 4. Reſol. 106. & part. 8. tract. 1. Reſol. 80. Leander quaeſt. 82. Palaus punct. 21. nu. 21. citati à Gribaldo tract. 7. de Pœnit. cap. 12. de ſatisfac. Sacramental. dub. 10. nu. 91.*; & ſic Confeſſarius videtur in contingentia facti poſſe acquieſcere conſcientiæ Monialis.

4 Secundò, quia ſi Monialis, recuſando Satisfactionem impoſitam à Confeſſario pro ejus peccatis confeſſis, poſſet illam compenſare per alia opera bona ſatisfactoria, ut advertunt *Auctores citati*, eò quòd *Concilium Tridentinum ſeſs. 14. cap. 9.* doceat hanc opinionem his verbis: *tantam eſſe Divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pęnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis ſatisfacere valeamus*; clarè deducitur, præfatam Monialem poſſe compenſare pœnitentiam ſibi injunctam à Confeſſario per lucrationem Indulgentiæ ad formam Jubilæi conceſſæ; & hoc totum confirmari poteſt hoc brevi ratiocinio: Poterat homo, ſeclu-
5 ſa inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ, ſatisfacere pro pęna ſuis peccatis debita; ergo Monialis noſtra hoc idem poterit agere, etiã poſt inſtitutionem hujus Sacramenti, eò quòd bona opera ſponte facta non ſint minùs ſatisfactoria, quàm fuiſſent priùs, ut ajunt *Auctores citati loc. cit.* Cum autem Indulgentia ad formam Jubilæi conceſſa ſubrogari poſſit loco illorum bonorum operum, quibus poteſt compenſari ſatisfactio impoſita à Confeſsario, Monialis noſtra poterit in caſu propoſito recuſare pœnitentiam injunctam, compenſandam per lucrationem ejuſdem Indulgentiæ.

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvendum eſt negativè, &

 ratio

ratio eſt, quia licèt Monialis pœnitens per lucrationem Indulgentiæ plenariæ Ordini ſuo, & ideò ſibi conceſſæ ad formam Jubilæi, poſſit conſequi remiſſionem totius pęnæ temporalis relictæ poſt abſolutionem peccatorum ſuorum, non tamen
7 liberatur ab obligatione adimplendi ſatisfactionem Sacramentalem; cum ſatisfactio Sacramentalis pertineat ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, ut docent omnes Theologi loquentes de materia proxima Sacramenti pęnitentiæ, qui unanimiter aſſerunt, ſatisfactionem Sacramentalem, quamvis non ſit de eſſentia hujus Sacramenti, veluti ſunt Contritio, & Confeſſio, eſse tamen partem integralem, & quidem de jure Divino, cui non debet, nec poteſt abſolutè prævalere jus cervelloticum Monialis, eò quòd ſalvari debeat indiſpenſabiliter integritas Sacramenti. Inſuper pœnitentia, quæ imponitur à Confeſsario non eſt dumtaxat in vindictam peccatorum præteritorum, cui videtur poſſe ſubrogari aliud opus bonum, ſed eſt etiam medicina præſervativa ad præcavenda peccata futura, ut habetur in *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 8. circa medium *Proculdubio magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pęnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pęnitentes efficiunt*; & propterea non deberet Confeſſarius in contingentia facti adhærere opinioni Monialis, maximè quia, ut advertit *Palaus citatus nu.* 21. *cum Suario, Reginaldo, & Bonacina*, rarò, vel numquam Pęnitens excuſari poteſt à pęnitentiis impoſitis per Confeſsarium in ſacro Tribunali cum ſatisfactio Sa-
8 cramentalis injuncta, ut plurimùm, eſt non ſolùm pro ſatisfactione peccatorum præteritorum, ſed etiam in præcautionem futurorum, necnon ut pęnitens bonis operibus aſsuefiat. Hoc totum confirmari poteſt ex eo, quod in præſenti materia ſolent ſapienter advertere *Auctores;* nimirum, Monialem in con-
9 tingentia facti non debere abſolvi à Confeſsario, quia cum non ſit, nec poſſit eſse certa (niſi ex Divina revelatione) quòd poſſit conſequi Indulgentiam plenariam, tenetur acceptare,

& ad-

Digitized by Google

& adimplere ſatisfactionem Sacramentalem, tanquam partem integralem Sacramenti pęnitentiæ: ſecus pertinax in ſua opinione, tanquam diſsona rationi, & juri Divino, ut ex ſuperioribus evincitur, dimittenda eſset inabſoluta.

10 Ad primum igitur negatur totum ratiocinium, quia Satiſfactio injuncta cum ſit, ex dictis, pars integralis Sacramenti pęnitentiæ, nequit abſolutè non poni, dum ponitur idem Sacra-
11 mentum pœnitentiæ; unde ſicuti tenetur Confeſsarius ſub mortali, audita Confeſſione, imponere aliquam pęnitentiam
12 ſibi bene viſam ad menſuram peccatorum, ut ſic integrum conficiat Sacramentum: quod totum colligitur ex *cap. Omnis utriuſque ſexus de Pęnit., & remiſſionib.* & ex *Trident. ſeſſ. 14. cap. 8.* his verbis *Sacerdotes Domini quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pęnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere*; ita præfata Monialis, peracta ſuorum peccatorum confeſſione, teneretur acceptare Satisfactionem faciendam de præcepto Confeſsarii, tanquam Judicis in cauſa ſui reatus, ad hoc, ut ſalvaretur, etiam ex parte ſui, integritas Sacramenti: ſecus, ſi Monialis foret pertinax eò ut nullam, etſi levem, ſatisfactionem faciendam conſtanter renueret ſub prætextu conſequendi præfatam Indulgentiam, in quo eadem Monialis non eſt certa; reputanda etiam foret incapax abſolutionis, ut docent *Bonacina*, *Palaus*, *Fagundez*, *Reginaldus*, *Candidus*, *Lugus*, *Leander*, quos ſequitur *Giribaldus tract. 7. de Sacram. Pœnit. cap. 12. dub. 4. nu. 32.* & hinc deducitur evidenter, in præfata Moniali non ceſsare obligationem adimplendi ſatisfactionem illi impoſitam à Confeſsario in pœnam peccatorum ſuorum, etiamſi confidat in Domino, Indulgentiam in formam Jubilæi ſe conſecuturam; primò, ratione integritatis Sacramenti, quæ indiſpenſabiliter debet ſalvari: ſecundò, quia non eſt certa de conſecutione Indulgentiæ, quemadmodum eſset certus adductus Reus, quòd non teneretur ad pęnam ſibi indictam à Judice, quando Princeps illam condonaret eidem.

13 Ad

13 Ad ſecundum negatur ſuppoſitum, Monialem nempe ex-
cuſari poſse ab obligatione exequendi Pęnitentiam injun-
ctam, etiamſi habeat animum ſatisfaciendi per alia opera bo-
na, ſecus excuſaretur etiam Confeſsarius ab obligatione im-
14 ponendi pęnitentiam, quod tamen falſiſſimum eſt, cum ex jam
dictis Confeſsarius teneatur ſub peccato mortali Satisfactio-
nem injungere pęnitenti pro integritate Sacramenti; ſatisfa-
ctio namque, ſi non eſt eſsentialis, eſt tamen pars integralis
ejuſdem, & quidem de jure Divino, ut conſtat ex inſtitutione
15 ipſius Sacramenti, pro quo Chriſtus Dominus dedit Sacerdo-
tibus poteſtatem non ſolùm ſolvendi pęnitentes à culpa, ſed
etiam illos ligandi aliqua pęnitentia, ut habetur in citato *cap.*
8. *Claves Sacerdotum, non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligan-
dum conceſſas etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.* Quibus
poſitis tanquam certis, à primo ad ultimum clariſſimè infer-
tur, Pęnitentiam injungi debere in contingentia facti à Con-
feſsario pro integritate Sacramenti, & quidem ſub gravi, &
propterea debere acceptari à Moniali, quæ ut verè pęnitens,
ponendo ſub clavibus Confeſsarii materiam proximam, hoc
eſt partes eſſentiales hujus Sacramenti; Contritionem ſcilicet,
& Confeſſionem, neceſſariò, & indiſpenſabiliter ponere de-
bet partem integralem, hoc eſt Satisfactionem impoſitam à
Confeſſario, ut ſic ritè, & ſanctè confeſſa, prout ſolet conce-
di hujuſmodi Indulgentia, conſequatur ipſam Indulgentiam
plenariam.

Abba-

Digitized by Google

Abbatiſsa Monaſterii, ubi non viget vita communis, dat licentiam ſuis Monialibus, ut poſſint tempore bacchanaliorum ludere, cauſa recreationis, Ludo, qui vulgò dicitur *Tarocchini*, expoſita pecunia ad lucrum, nulla præſcripta quantitate pecuniæ, & propterea aliquæ Moniales exponunt Ludo aliquando totum ſui peculium.

Quæritur; an Abbatiſſa poſſit dare hujuſmodi licentiam, & an Moniales in contingentia facti licitè ſe gerant.

RESOLUTIO XIV.

SUMMARIUM

1 *EXponitur ratio, propter quam Abbatiſſa non videtur poſſe impertiri hujuſmodi licentiam.*

2 *Ex defectu poteſtatis in Abbatiſsa deducitur, illicitum eſse Monialibus ludere ludo* de' Tarocchini.

3 *Adde, quòd timendum eſset, ne elicerent actum dominii in ludendo ſuper pecunia.*

4 *Dicimus, Abbatiſsam poſse dare hujuſmodi licentiam,*

5 *Præſertim attento tempore bacchanaliorum.*

6 *Ludus eſt boneſtus, ſinè mala circumſtantia, & ſinè ſcandalo.*

7 *Permittitur ob animi reſocillationem.*

8 *Immo permittitur aliquando Religioſis vitam communem profitentibus;*

9 *Cur ergo non poterit permitti Monialibus vitam communem non profitentibus?*

10 *Ab-*

10 *Abbatiſſa verò debet taxare pecuniam ludo exponendam.*
11 *Vide quaſnam Moniales intelligat Reſolutio noſtra.*
12 *Primum objectum refellitur rationibus ſupra adductis, & exemplo* D. Joannis.
13 *Secundò objecto ſatisfit abundantiſſimè, negando ſuppoſitum, ob rationem ſuprapoſitam.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Abbatiſſam non poſſe dare prefatam licentiam ſuis Monialibus, quia licèt poſſit, recreationis gratia, permittere aliquem Ludum, nempe honeſtum, ſecluſa quacumque circumſtantia mala, eò quòd Ludus aliquando eſt de neceſſariis ad quietem animæ, & corporis recreationem, ut docet *Angelicus* 2. 2. *quæſt.* 168. *art.* 2., & per hoc ludus dicitur actus eutrapeliæ, ſecundùm *Ariſtotelem: Ethicor. cap.* 8., neceſſarius ſcilicet ad honeſtam animi recreationem; quare S. Jo. Evangeliſta interdum ludebat cum diſcipulis ſuis, ad ſe eximendum à vehementi fatigatione corporis, ut habetur ex Collationibus Sanctorum Patrum, teſte *Divo Thoma loc. cit.*, non poteſt tamen Abbatiſſa dare licentiam Monialibus, ut ludant Ludo, vulgò dicto *Tarocchini*: hujuſmodi enim tabulæ luſoriæ reputari debent aleæ, & quatenus ita ſunt, ſunt de ludo prohibito perſonis Religioſis, ut clarè colligitur *ex cap. Clerici* 15. *de vit. & honeſt. Cleric.* ubi habentur hæc verba; *Ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint*; Abbatiſſa namque non habet poteſtatem dandi hujuſmodi licentiam, quia obſtat Lex prohibens, nempe *Sacri Canones*, & propria *Regula* Monaſterii; ergo Abbatiſſa nequit dare licentiam Monialibus ludendi *a' Tarocchini*.

2 Secundò, ex defectu poteſtatis in Abbatiſſa ſtatim deducitur, Moniales ludentes, ut ſupra, illicitè ſe gerere; primò, quia luderent, expoſita pecunia ſinè legitima, & valida licentia, eò quòd data ab Abbatiſſa non habente talem poteſta-

tem,

Digitized by Google

tem, cum ejus poteſtas non ſit ſupra *Canones*, & *Regulam*, prohibentes hujuſmodi ludos, debet reputari nulla, & præſertim quia eſt exceſſiva, quatenus non taxavit pecuniam ludo exponendam; quando enim in licentiis Superiorum, circa materiam paupertatis intervenit exceſſus, illico nullitate notantur, ut aliàs diximus in *prima parte Reſolutionum practicarum Reſolutione 43. nu. 12.* Secundò, quia Moniales ludentes, exponen-
3 do in Ludo, ſive quid modicum ſui peculii, ſive etiam totum ſuum peculium, ſemper elicerent actum dominii, tunc enim diſponerent de pecunia, quaſi eſſent veræ dominæ, & patronæ illius, attenta præcipuè nullitate licentiæ datæ ab Abbatiſſa, ut advertimus ſupra, & ſic illicitè ſe gererent, & quidem venialiter, vel graviter, conſiderata levitate, aut gravitate pecuniæ ludo expoſitæ.

4 His tamen non obſtantibus, reſolvendum eſt, Abbatiſſam poſſe dare licentiam, recreationis cauſa, ſuis Monialibus, præſer-
5 tim bacchanaliorum tempore, ut ludant præfatis aleis, exponendo pecuniam de ſuo peculio; & ratio in primis eſt, quia,
6 ex una parte, Ludus, modò ſit honeſtus, & præciſus ab omni mala circumſtantia, & fiat ſinè ſcandalo, immo & ſinè ſtrepitu, abſque eò quòd regularis diſciplina turbetur, eſt neceſſarius ad honeſtam animi recreationem, ſive refocillationem, ut adnotavimus in primo objecto, referendo exemplum *Joannis Apoſtoli*, aliquando ludentis cum diſcipulis ſuis, & ſic ſi *Joannes* nedum permiſit diſcipulis ſuis ludere, verùm etiam & ipſe ludebat cum iiſdem, cur, inquit in rem noſtram *Donatus*, *Tom. 4. de Voto Pauper. tract. 15. quæſt. 28. nu. 1.* in fine; cur, inquam, hoc idem non poterit præſtare Prælatus, quod idem eſt ac dicere Abbatiſſa? cum ſimus in favorabilibus pertinentibus ad poteſtatem dominativam, pro bono gubernio domeſtico, quam habet Abbatiſſa in ſuas Moniales, non ſecus ac Prælatus clauſtralis in ſuos ſubditos; & ex alia parte hujuſmodi ludus, licèt ſit ludus alearum, tamen non ex illis ludis alea-

Digitized by Google

rum prohibitis, ut *in cap. Clerici 15. de vita, & honeſt. Cleric.*; quandoquidem prohibitus alearum ludus eſt ille, qui vel eſt merè fortuitus, vel principaliùs, & quaſi unicè nititur ſorte, caſu, & fortuna, non autem ille, pro quo, utpote mixtus, attenditur cumulativè induſtria, & ars humana, cum aliquali
8 alearum fortuna; & hinc eſt, quòd Regulares, qui profitentur practicè veram obſervantiam Regularum ſuarum, etiam in vita communi, aliquando recreationis cauſa ludant chartis luſoriis, videntibus etiam laicis, puta quando vadunt in Patriam ſuam, proprios parentes viſuri, tunc enim ludere ſolent recreationis cauſa cum ſuis parentibus, exponendo aliquam pecuniam ludo, ex licentia tacita, vel expreſsa Superioris, quæ inde operatur, ut parentes ipſius colluſores, ſi lucrantur illam pecuniã ab eodem Religioſo expoſitam ludo, illam ipſam legitimè lucrentur, & ſic nullo modo teneantur ad reſtitu-
9 tionem. Igitur Abbatiſsa tempore bacchanaliorum, vel etiam interdum extra tempora bacchanalia, quando ſibi bene viſum fuerit, poterit licitè (modò non adſit Lex in contrarium in Regula proprii Inſtituti) poterit, inquam, licitè concedere licentiam ſuis Monialibus, ut recreationis gratia ludant inter ſe, ludo *Tarocchinorum*, eò quòd iſte Ludus, quamvis ſit in genere ludi alearum, eſt tamen ludus mixtus, hoc eſt ludus, partim fortuitus ex ipſa diſtributione tabularum, & partim artificioſus, quatenus induſtria, & arte ludentium perficitur.
10 Unum ſupereſt advertere; Abbatiſsam nempe, in concedendis hujuſmodi licentiis, debere explicitè taxare pecuniam, ludo exponendam, quia licèt Moniales quando eis permittitur ludus deberent intelligere, mentem Abbatiſsæ eſse, quòd exponatur ludo pecunia diſcretè, & religiosè, intra limites paupertatis, & non aliter, cum concedatur ludus ad recreandum animum, non ad lucrandum peculium, tamen aliqua earum forſan proclivis ad ludendum, principaliter propter lucrum, ab uti poſſet illa licentia non limitata.

11 Hæc

Digitized by Google

11 Hæc Reſolutio eſt intelligenda pro Monialibus, quarum Conſtitutiones, & Regulæ, vel etiam conſuetudo ſanctiſſimè introducta, prohibent hujuſmodi ludos; tunc enim Abbatiſſa non poſſet, ſinè culpa gravi dare talem licentiam, cum nihil poſſit contra, & ſupra Regulam ſuam profitentem practicè, & rigoroſè in hac parte legem Eccleſiaſticam Sacrorum Canonum.

12 Ad primum igitur negatur antecedens, non ſolùm propter rationes nuper adductas, ſed etiam propter ea, quæ addita fuere in objecto, nempe quia Ludus, de quo agitur, eſt ludus honeſtus nulla lege prohibitus, ut ſupponitur; & eſt ludus de modica pecunia, in quo non intenditur principaliter lucrum pecuniæ, ſed recreatio animi, & eſt ludus ſinè ullo ſcandalo, præciſus ab omni mala circumſtantia; quibus ſuppoſitis, tanquam certis, exemplum *Joannis Evangeliſtæ* poteſt adduci in argumentum à pari, dicendo, ut ſupra: Sanctus Joannes Evangeliſta ludebat interdum cum ſuis diſcipulis ludo honeſto, recreationis gratia, ut ceſsaret à fatigatione animi, & corporis; ergo à pari Moniales poterunt ludere inter ſe hoc honeſto ludo, taliter reputato generaliter ab omni genere perſonarum, Abbatiſsa licitè permittente, ut ſatis probatum eſt.

13 Ad ſecundum negatur ſuppoſitum, & totum id, quod inde infertur, tanquam falſum in contingentia facti, ubi clariſſimè conſtat poteſtas in Abbatiſsa, honeſtas ludi, & ſecluſa quacumque circumſtantia mala, eò quòd ſimus, ut adnotavimus, in Monaſterio Monialium, ubi nulla obſtat Lex prohibens, Abbatiſsam non poſse dare hujuſmodi licentiam, cauſa recreandi ſuas Moniales, in quo, illam nihil agere contra *Sacros Canones*, clarum eſt, attenta præſertim taxa pecuniæ ludo exponendæ, quæ, vel interpretativè intelligi deberet à Monialibus, quatenus iſtæ deberent ſupponere, mentem Abbatiſsæ in concedendis hujuſmodi licentiis non eſſe, quòd ludant exponendo aliquam pecuniam, niſi intra limites paupertatis religi-

 gioſæ;

gioſæ; hoc eſt, ut ludant cauſa recreationis, & non lucri gratia, & propterea Moniales ludentes hoc pacto, ludo nempe honeſto, & licito de legitima licentia ſuæ Abbatiſsæ, nullum actum dominii exercerent, ideòque licitè ſe gererent ludendo, quemadmodum & ipſa Abbatiſsa in concedenda licentia ludendi. Et his ita firmatis, nil aliud ſuperaddendum ducimus, quia quod ſatis patet expreſsè, non eſt ampliùs probare neceſse &c.

Monialis Profeſsa habens omnia requiſita ad votandum in Capitulo pro eligenda nova Abbatiſsa ſui Monaſterii, currente die illius electionis, paulò ante ipſam electionem, ex ira percuſſit graviter, clandeſtinè tamen, aliam Monialem non Profeſsam, adhuc Novitiam.

Quæritur; an poſſit, & debeat Votare in electione Abbatiſsæ illico facienda.

RESOLUTIO XV.

SUMMARIUM

1 *Dicendum videtur, Monialem hanc poſſe, & debere votare, modò percuſſio non ſit publicata,*

2 *Non enim amiſit jus votandi, quod probatur.*

3 *Nec obſtat, quòd ſit excommunicata: quia non tenetur ſe manifeſtare,*

4 *Nec vitiaret per hoc electionem faciendam.*

5 *Plu-*

Digitized by Google

5 *Plures aſſignantur viæ ad ipſam excuſandam.*
6 *Quibus non obſtantibus, dicendum eſt, hujuſmodi Monialem percu-tricem nec poſse, nec debere votare.*
7 *Ratio eſt, quia percuſſio gravis illata perſonæ gaudenti privilegio Canonis reddidit illam excommunicatam:*
8 *Propterea quid mirum, ſi removenda ab electione, & votatione, cum non gaudeat nec voce activa, nec paſſiva?*
9 *Plura adnectuntur notatu digna.*
10 *Inter quæ dubium, & periculum, ne electio facta controvertatur à Monialibus.*
11 *Negandum eſt primum objectum,*
12 *Quia Monialis debet ſcire, ſe excommunicatam eſſe,*
13 *Et incidiſſe in pęnas ab ea provenientibus, ſcilicet in privationem vocis activæ &c.*
14 *Retorquetur illatio.*
15 *Demonſtrantur inconvenientia, quæ oriri poſſent, ſi ipſa votaret.*
16 *Ad ſecundum reſpondetur, refellendo omnes excuſationes adductas in favorem Monialis.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, hujuſmodi Monialem poſſe, immo debere intervenire electioni Capitulari, & poſſe votare, non ſecus ac aliæ Moniales electrices, modò non fuerit ſtatim publicata percuſſio clandeſtinè illata ab
2 eadem Novitia; & ratio eſt, quia tunc illa, ut percuſſor adhuc occultus in foro exteriori, non amiſit Jus votandi; pęna enim privationis vocis activæ, quæ incurritur propter excommunicationem latam contra percuſsores Clericorum, juxta *Canonem: Si quis, ſuadente diabolo* non incurritur, niſi data notorietate facti, aut notorietate Juris, hoc eſt poſt Sententiam declaratoriam Judicis: in caſu autem præſenti neutrum ex his verificatur, quia percuſſio facta fuit clandeſtinè, omnibus ignota, & ſic non adeſt notorietas facti, & de eadem percuſſione, ut-

pote

pote omnimodè occulta non ſupponitur pronunciata ulla Sententia declaratoria; & hinc colligitur, præfatam Monialem poſſe votare in electione novæ Abbatiſsæ.

3 Secundò videtur, præfatam Monialem, etiamſi ſe noverit irretitam excommunicatione, ut revera ob illam percuſſionem eſſet irretita, poſſe, & debere intervenire ad votandum pro electione novæ Abbatiſsæ, quia non teneretur ſe prodere excommunicatam; nullius enim eſt aperire turpitudinem ſuam, ex qua poſſit infamari: tum etiam, quia votum iſtius Mo-
4 nialis, quatenus excommunicatæ, non vitiaret electionem; hujuſmodi enim electio foret valida per aliarum Capitularium vota, unius namque excommunicatio poteſt irritare actum ipſius, non tamen actum aliarum Monialium, eò quòd unius culpa, vel pęna non debeat aliis nocere: tum etiam, quia non
5 poſſet alia via tenere in abſcondito ſuam excommunicationem, immo nec ſe eximere ab eadem electione, puta fingendo ſe infirmam, quia in electione novæ Abbatiſſæ Moniales, àbſentes ex infirmitate à Capitulo, ſolent votare; ipſas enim adeunt duæ, vel tres Capitulares, pro colligendis earum votis, aut eædem in lecto decumbentes mandant alicui Moniali, ac ſi uterentur opera Procuratoris, dare ſua vota, ut notavit *Miranda tom. 2. Manual. Prælat. Regul. quæſt. 23. art. 6. concluſ. 1. ex Hoſtien.*; tum etiam, quia præfata Monialis, ſequendo opinionem, quòd Novitia non ſit adhuc verè Religioſa, & propterea ipſam non gaudere privilegio Canonis, poſſet reputare, ſe non eſſe excommunicatam, & propterea, in contingentia facti, poſſe legitimè ferre ſui votum pro eligenda Abbatiſſa: tum etiam, quia poſſet ſtatim conteri de percuſſione illata, & ſic liberari à vinculo excommunicationis; ſi enim poſſet per actum contritionis liberari à culpa, videtur de conſequenti liberari à pęna ejuſdem, hoc eſt ab excommunicatione, juxta illam Regulam *propter quod unumquodque tale, & illud magis*: tum etiam, quia ſi Sacerdos excommunicatus occultus, & per conſe-

Digitized by Google

conſequens privatus ſuſceptione activa, aut paſſiva Sacramentorum, poſſet nihilominus ſuſcipere, & miniſtrare Sacramenta in urgenti neceſſitate, puta ad vitandum ſcandalum, & periculum infamiæ, ut notat *Diana in ſum. verb. Excom. effe-ctus ex Præpoſito in 3. part. quæſt. 2. dub. 7. nu. 39. vide nu. 12. part. 5. tract. 9. reſol.* 81. ita à pari in caſu præſenti præfata Monialis ex eodem motivo poſset votare. Inſuper ſi Sacerdos excommunicatus, denunciatus, quamvis privatus activa Sacramentorum, & Sacrificii oblatione, *cap. latores, de Cler. excom. miniſtr.* ſi celebraret, validè conſecraret, & Sacrificii fructum applicaret, *Ex Coninc. diſput. 14. dub. 5. nu. 35. reſol.* 83. §. *nota etiam*, multò magis præfata Monialis poſſet votare, cum in preſenti caſu non agatur de materia tam gravi, ac in caſu de Sacrificio Miſsæ; ideòque in contingentia facti poterit validè, & deberet ex multiplici titulo intervenire electioni, & pro ea votare.

6 His tamen non obſtantibus, reſolvendum cenſeo, Monialem, in contingentia facti, non debere, immo nec poſſe votare; & ratio eſt, quia illa Monialis propter gravem percuſſionem illatam ex ira Moniali Novitiæ remanſit illico excommu-
7 nicata, ſecundùm *Canon. ſi quis, ſuadente diabolo*, & quidem excommunicatione majori, quia percuſſio fuit gravis, & fuit facta Novitiæ, quæ gaudet privilegio ejuſdem Canonis, ut notant communiter *Auctores*, quamvis *Texeda contr. 11. dub. 1. nu. 16. part. 5. tract. 13. reſol. 14.* videatur diſsentire, *teſte Diana in ſum. verb. Excommunicat. nu. 2. & Marchinus in deſenſ. hiſt. Ord. art. 4. nu. 37. & art. 5. nu. 90.* In favorabilibus, quæ juxta illam Regulam favorabilia ſunt amplianda, ſicuti è contra odioſa ſunt reſtringenda, Novitii, niſi expreſsè ſint excepti, veniunt nomine Religioſorum, unde gaudentes privilegio fori more Religioſorum gaudent etiam privilegio Canonis, quod ſimiliter dicendum eſt de Moniali adhuc Novitia, propter eandem rationem, hoc eſt propter reverentiam debitam ſta-

tui

tui religioſo ejuſdem Monialis Novitiæ; cum autem Monialis excommunicata, ut ſupra, facta ſit inhabilis ad votandum; quandoquidem excommunicatio, unà cum pluribus aliis pœ-
8 nis, inducit pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ, & præcipuè in contingentia facti, ubi non eſset expectanda Sententia Judicis, ut verificetur excommunicationis incurſus, quia hic ageretur de excommunicatione non ferenda, ſed jam lata, in quam illico incidit Clerici percuſsor, & ſimiliter præfata Monialis, percutiens Monialem Novitiam, ſtatim ſit verè excommunicata, ſtatimque privata voce activa, non poſſet votare; nemo enim dat quod non habet, veluti eſſet hæc
9 Monialis irretita hujuſmodi canonico impedimento, ratione cujus non haberet ampliùs in ſe vocem activam; & hinc eſt, quòd in Capitulis Regularium, in quibus fiunt electiones Superiorum, antequam fiant electiones eorumdem, in prima ſeſſione Capitulari, ex auctoritate Apoſtolica ſolet impertiri omnibus congregatis de Capitulo abſolutio ab omni vinculo excommunicationis, ad effectum, ut omnes actus Capitulares, & præſertim Superiorum electiones canonicè, hoc eſt
10 validè, & legitimè fiant, ne poſſit unquam controverti de canonica electione, ut evenire poſset in ſuppoſito caſu, ſi ſtatim ac fuerit facta electio Abbatiſsæ, Monialis Novitia publicaret percuſſionem ſibi illatam à Moniali profeſsa; tunc enim daretur locus dubitandi, an electa in Abbatiſsam fuerit legitimè, & canonicè electa, ex eò quòd ad ſui electionem concurriſſet illa Monialis verè excommunicata, omni & quocunque Jure, non habens ampliùs vocem activam, ut ſuperiùs dictum fuit: in qua contingentia magni momenti eſſet, ſi hujuſmodi excommunicata Voto ſuo (quamvis in ſe nullius momenti, quia in ſe nullum) implevisset numerum pro electione habita, ita ut ſi dictum Votum ſuum defuiſset, nominata ad Abbatiſsatum, non remanſiſset electa, ut advertit *Donatus tom. 2. part. 1. tract. 4. de Electoribus quæſt. 8. nu. 5.*, tunc enim electio

foret

foret cenſenda nulla, ex *Cap. Maſſana de elect. & cap. ult. de Procuratoribus ibi cit.* His firmatis,

11 Ad primum reſpondetur negativè, etiamſi percuſſio non fuerit publicata per Novitiam, quæ fuit ex ira graviter percuſſa, quia Monialis percutrix, ſibi conſcia (non enim ſupponi debet cum ignorantia juris, hoc eſt, quòd neſciat, percutien-
12 tem graviter Novitiam incidere in excommunicationem, necnon incurrere pęnam privationis vocis activæ) de tali delicto, & de pęna ſpirituali excommunicationis, ſcilicet latæ ſententiæ, contra percuſſores perſonarum Eccleſiaſti-
13 carum, quatenus privat ſuſceptione Sacramentorum, & participatione orationum &c. & inſimul de aliis pęnis temporalibus, inter quas privatio vocis activæ, temerè ſibi uſurparet jus votandi, cujus fuit ſpoliata per excommunicationem, in quam illico incidit, cum ex ira Novitiam percuſſerit, juxta *citatum Canonem; Si quis, ſuadente diabolo*, ut omnes autumant Moraliſtæ, abſque eo quòd requiratur notorietas juris, hoc eſt Sententia Judicis, quia in hoc, & ſimilibus caſibus, Judex nihil ponit in eſſe rei, nempe circa valorem excommunicationis, ſed tantùm declarat, hujuſmodi percuſſorem eſſe excommu-
14 nicatum; & hinc retorquetur illatio, dicendo, præfatam Monialem non debere, nec poſſe votare, debereque abſtinere abſolutè ab hujuſmodi actu capitulari, nedum ad ſalutẽ animæ ſuæ, quia votando peccaret, quod eſt luce meridiana clarius; quandoquidem votando ſibi uſurparet quod alienum eſt, verùm etiam ad præcavenda inconvenientia, & quidem gravia,
15 quæ procul dubio orirentur, ſi percuſſio ſecuta paulò ante electionem Abbatiſsæ, de occulta fieret publica, ut de facili eveniret, cum ſimus inter mulieres, & mulieres clauſtratas, faciles ad loquendum, & præcipuè ad ferendas ſui querimonias.

16 Ad ſecundum ſimiliter negatur antecedens, quia licèt nullus teneatur prodere turpitudinem ſuam, immo teneatur conſervare omni meliori modo ſui bonam famam, quod quidem

Digitized by Google

intelligendum eſt ſano modo, modis nempe licitis, & nunquam cum præjudicio Tertii, & ſic præfata Monialis ſi non teneretur ſe publicare excommunicatam, adhuc tamen non deberet, nec poſſet intervenire electioni Abbatiſsæ, & poſſet invenire modum ſe eximendi ab illo actu capitulari, puta eſſe doloribus affectam, aut ſe renunciare pro illa vice juri ſuo votandi propter ſcrupulos, quibus inopinatè agitatur, aut alio modo ſibi bene viſo ad ſalvandum ſui bonum nomen: Ad id, quod ſecundò addebatur, tranſeat ſuppoſitum, ut docet *Donatus loco cit. nu.* 3. & 4. Sed ſi daretur caſus (prout eſt poſſibile dari) quòd votum Excommunicatæ impleret numerum pro complemento Electionis, electio eſſet vitiata, ut advertimus circa finem fundamenti pro Reſolutione, ideòque ſtat firmum, præfatam Monialem debere ſe abſtinere ab actu Capitulari pro electione novæ Abbatiſsæ. Ad ſuperadditum tertio loco negatur, præfatam Monialem non poſſe alia via tenere occultam ſui excommunicationem, quia ex mox dictis poſſet dicere, ſe pro illa vice renunciare juri ſuo in voce activa, vel alia via non intervenire electioni. Ad quartum reſpondetur, opinionem adductam eſſe omnimodè inſubſiſtentem, quia clamant adversùs illam omnia Jura in favorem Regularium utriuſque ſexus, etiam Novitiorum dumtaxat, ut videre eſt apud *citatum Marchinum*, & alios *Canoniſtas*. Ad quintum, dato, quòd per actum contritionis præfata Monialis poſſit juſtificari apud Deum, quatenus per veram, & perfectam contritionem liberaretur à culpa, in quam incurrerit percutiendo Novitiam, non tamen liberaretur ab excommunicatione, eò quòd hæc ſit pęna lata contra percuſſores perſonarum Eccleſiaſticarum ab ipſa Eccleſia, cujus tantùm eſt abſolvere ab eadem, juxta illam regulam; *Illius eſt ſolvere, cujus eſt ligare*, prout Chriſtus dixit *apud Matth.* 18. *quæcumque alligaveritis ſuper terram &c. & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo*. Ad ſextum, tranſacto, non tamen dato antecedente,

te,

te, cum ſtudeamus brevitati, negatur conſequentia, eò quòd non currat paritas, quia in data hypotheſi non urget tanta neceſſitas, ut in caſu relato de Sacerdote excommunicato occulto, & propterea nullam eſſe illationem factam ad favorem hujus Monialis excommunicatæ; poſſet enim hæc Monialis tergiverſari ad non votandum, ut dictum fuit in ſuperioribus. Ad ultimum tandem reſpondetur, paritatem, de Sacerdote excommunicato non currere in caſu noſtro de Moniali, quia Sacerdos excommunicatus validè conſecrat, & applicat Sacrificium, eò quòd id facit in perſona Chriſti, & dependenter ab ipſo Chriſto, non ab Eccleſia, ut apud *Dianam in ſum. verb. Excom. effectus nu. 16. ex Coninc. diſp. 14. dub. 5. nu. 35. reſol. 83. ut §. Nota etiam*; Monialis autem habens ab Eccleſia jus votandi, quatenus Sacri *Canones* ita diſponunt, & præſcribunt, quoties eſt ab Eccleſia revera excommunicata, & per conſequens privata voce activa, nec debet, nec poteſt licitè, aut validè, in electione novæ Abbatiſſæ dare vocem, quam ampliùs non habet, juxta illud effatum: *Nemo dat quod non habet*.

Monialis Profeſſa emit de ſuo peculio quædam Animalia, quæ poſuit in prædio ſui Monaſterii, facta conventione cum Colono ejuſdem, ut ſibi ſolvat certam pecuniam pro ſingulis beſtiis, ſub aliis quibuſdam pactis ſervandis: dein dubitans, an hoc ſit ſibi licitum conſulit Confeſſarium.

Deſideratur Judicium ejuſdem Confeſſarii.

RESOLUTIO XVI.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, in caſu expoſito, Monialem poſſe ita implicare pecuniam ſuam,*

2 *Quia cum habeat uſum facti ſui peculii, poterit illum implicare, ut ſibi fructificet,*

3 *Et eodem tempore fructificet Monaſterio,*

4 *Nec adeſt periculum faciendi contra Votum paupertatis.* Ergo &c.

5 *Præterea non poſſet dici negotiatrix,*

6 *Quia rem ageret per interpoſitam perſonam: Neque vagaretur huc, illuc;*

7 *Ob hoc igitur non diſtraheretur à ſervitio Dei; quare ſibi liceret &c.*

8 *Attamen in oppoſitum decidimus,*

9 *Quia diſponeret de peculio tanquam domina, & patrona.*

10 *Quod clariſſimè demonſtratur.*

11 *Et aperitur quomodo diſtraheretur à ſervitio Dei, & fieret procul dubio negotiatrix.*

12 *Ad primum, quod opponebatur, Reſpondemus, dicendo; Monialem præter uſum facti ſui peculii ſpoliatam eſſe quocumque jure dominii ſuper eodem.*

13 *Quod*

Digitized by Google

13 *Quod addebatur, gratìs aſſerebatur.*
14 *Ad ſecundum retorquentur illata contra Monialem,*
15 *Quia & diſtraheretur a Divinis, & (cum corpore non poſſet) mente, & animo vagaretur.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem hujuſmodi poſſe licitè de peculio ſibi permiſſo emere animalia, illaque concedere colonis ſui Monaſterii, ut vulgò dicitur *a giovatico*, pro certa pecunia quolibet anno ſibi perſolvenda; quandoquidem habens uſum facti ejuſdem peculii videtur habere
2 poſſe diſponere licitè de eodem pro ſuis indigentiis, & propterea poſſe illud implicare, ut ſit ſibi aliquo modo fructiferum ad proprias indigentias; & præſertim quia reſultaret in bene-
3 ficium Monaſterii non minùs, quàm in commodum, & utilitatem ejuſdem Monialis, juxta illam regulam: *quicquid acquirit*
4 *Monachus acquirit Monaſterio*: & inſuper, quia non ageret contra ſui Votum paupertatis, eò quòd poſſideret illa animalia, veluti peculium ſibi permiſſum, & nomine Monaſterii, & non aliter, nec alio modo.
5 Præterea contra Monialem ad theſim vocatã non videntur militare argumenta contra Clericos negotiatores; primò, quia in propoſito caſu Monialis non diſtraheretur à ſervitio Dei, eò quòd inito contractu cum præfato Colono, cui dat animalia vulgò *a giovatico*, ampliùs non contractat cum eodem; vel ad
6 ſummum bis, aut ſemel tantùm in Anno tempore exactionis fructuum; & poſſet emere, & locare dicta animalia per interpoſitam perſonam, nullo habito verbo cum colono, omnia & ſingula remittendo in manibus, & arbitrio Factoris ruralis ſui Monaſterii: Agendo autem hæc omnia non per ſe ipſam, ſed per alium, quamvis videatur negotiari illicitè contra ſui ſtatum clauſtralem, revera tamen non eſt ita: ad ſimilitudinem illorum Nobilium, qui negotiantes per interpoſitum merca-

to-

Digitized by Google

torem, licèt exigant lucrum ex negotio, non repulantur veri negotiatores, eò ut decidant à ſtatu Nobilitatis.

Secundò, quia Monialis, utpote clauſtrata non vagatur huc, illucque per nundinas, quod eſt unum ex motivis, ratione
7 quorum prohibita eſt mercatura Clericis etiam ſæcularibus, & multò magis clauſtralibus, ne diſtrahantur à ſervitio Dei, & à regulari diſciplina, prout ſolet evenire in contingentia negotiationis.

8 His tamen non obſtantibus, reſolvo, præfatam Monialem non poſſe ſinè ſpeciali licentia Superioris emere de ſuo peculio animalia, ad effectum illa locandi, ut vulgò dicitur *a giovatico*,
9 & ratio eſt, quia Monialis ſic agendo diſponeret de ſuo peculio tanquam domina, & patrona ejuſdem; exponeret enim ſuum peculium periculo illud perdendi, quod eveniret, adveniente morte eorum animalium, prout contigit paucis abhinc annis, graſſante mortalitate beſtiarum.

10 Eſt autem illicitum Moniali voto paupertatis adſtrictæ, hoc eſt ſpoliatæ omni jure dominii, diſponere diſpoticè de peculio cum hujuſmodi periculo, quia ita diſponere, hoc eſt propria auctoritate independenter à ſui Superiore, immo, ut in præſenti contingentia facti, contradicente Superiore, diſponeret non ſecus ac laicus capax veri dominii, diſponens de ſuo, omni, & quocumque modo ſibi bene viſo; cum autem Monialis nequeat de ſui peculio diſponere hoc modo, eò quòd de illo non habeat, niſi uſum facti ad proprias indigentias, & mens ſui Superioris ſit eidem permittere uſum facti dumtaxat, & non ad præfata negotia emendi, & locandi animalia, ex multiplici capite, & ſanè rationabili; primò ad evitandas occaſio-
11 nes, quæ darentur Monialibus, quippe quæ hujuſmodi ſæcularia negotia ſectantes à Divinis diſtraherentur cum gravi detrimento regularis diſciplinæ, quia modò iſtæ, modò illæ frequentiores eſſent ad crates ad colloquendum cum conductoribus ſuarum beſtiarum, ut ſolent mulieres in ſuis negotiis die,

noctu-

Digitized by Google

noctuque cogitantes de futuro provē tu ſuarum beſtiarum cum timore deperdendi capitale, ipſa nempe animalia, ſemper pavidæ, utpote debilioris ſexus, nimiùm ſollicitæ cum Martha turbarentur in ſe, & fortè etiam conſorores turbarent, illis narrando quæ contingere ſolent in hujuſmodi locationibus vulgò dictis *a giovatico*, & propterea cum detrimento ſpirituali ſui, & aliarum Monialium. Inſuper in hypotheſi ad theſim vocata videntur militare contra præfatam Monialem ea omnia, quæ paſſim habentur apud *Auctores* contra Clericum negotiatorem, immo multò magis, quia Clericis interdictum eſt negotiari præcisè, ne avvocentur à Divinis cum ſcandalo ſæcularium; Regularibus verò utriuſque ſexus Voto paupertatis adſtrictis omni, & quocumque jure ſpoliatis, præter uſum facti, negotiatio eſt prohibita, non ſolùm ut non diſtrahantur à Divinis, & non incidant in ſcandala, quæ ſumerent ſæculares ex eorum negotiis, & ne regularis diſciplina patiatur ullum detrimentum, ſed etiam ut aufugiant vitium proprietatis contra ſui Votum paupertatis, in quod de facili ruerent agendo hujuſmodi, & alia negotia ſibi utilia, tanquam privata perſona, & præſertim ſi agerentur, ut ſupponitur in contingentia facti, ſinè licentia Superioris, immo contradicente ipſo Superiore, de quo dubitatur ab *Auctoribus*, an poſſit dare hujuſmodi licentiam, à quibus tamen, inhærendo Decretis *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. de Regularibus*, ut advertit in rem noſtram *Donatus tom. 4. de Voto paupertatis tract. 15. quæſt. 10. nu. 1. & ſequent.* ubi citat plures, & plures Doctores graviſſimos, concluditur, Superiores Ordinum clauſtralium non habere poteſtatem concedendi ſuis Religioſis talia negotia agere nomine ſuo; quod quidem ſimiliter dicendum foret de noſtro Eminentiſſimo, qui gerit perſonam Generalis omnium Ordinum in Moniales ſibi ſubjectas.

12 Ad primum igitur negatur antecedens, quia licèt concedatur Moniali habere peculium, & uſum facti ejuſdem pro ſuis indi-

indigentiis, eò quòd Monaſterium nequeat ei ſubminiſtrare omnia neceſſaria pro victu, & veſtitu, & fortè etiam pro medicinalibus tempore infirmitatis, non tamen datur ei facultas aliter diſponendi de ſuo peculio; etenim quando licentia datur à Superiore taxativè, & reſtrictivè ad hoc, vel illud, non debet, nec poteſt extendi licitè ad aliud, & præſertim urgente Lege prohibente hoc aliud, & repugnante juſto impedimento perſonali, ut in contingentia facti, ubi Monialis habet quidem licentiam retinendi peculium, illoque utendi pro ſuis indigentiis dumtaxat, & non aliter, nec alio modo, juxta mentem, & intentionem expreſſam Superioris concedentis; & ex alia parte, utpote Voto paupertatis adſtricta ſit quocumque jure Dominii ſpoliata, & propterea ſinè poteſtate implicandi ſuum peculium ad alia, præterquam ad proprias indigentias. Nec valet dicere, quòd emendo animalia, illaque
13 locando *a giovatico* ageret negotium, & rem utilem Monaſterio, quia hoc gratìs aſſeritur à Regularibus revera proprietariis, licèt videantur, & dicant hæc, & ſimilia negotia agere nomine Monaſterii: quamvis enim vera ſit illa Regula: *Quicquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*, non eſt tamen licitum Monacho aliquid acquirere Monaſterio modis illicitis, ut in contingentia facti, ubi præfata Monialis facta mercatrix de ſuo peculio, quatenus diſpotica, invito ſuo Superiore, de eodem diſponeret ad lucrandum ſibi, ſinè animo lucrifaciendi pro Monaſterio, non ſecus ac retineret ipſa animalia titulo ſuarum indigentiarum in dies nomine proprio, prout ex uſitato modo loquendi ejuſdem Monialis clarè colligitur; habens enim ſermonem de iiſdem ſolet dicere; *vacca mea*, *pecora mea*, *mei ſues*; & ſimilia, quæ ſapiunt vitium proprietatis.

14 Ad ſecundum negatur pariter antecedens, retorquendo illata contra præfatam Monialem, quia multùm diſtraheretur à Divinis, quamvis ſui contractum haberet uſque ad conſummationem per interpoſitam perſonam, ut clariſſimè conſtat

ex

Digitized by Google

ex dictis pro Reſolutione; & ad id, quod addebatur de Nobili negotiante per tertiam perſonam, dico, paritatem non currere, quia in caſu noſtro urget Lex in contrarium, attento paupertatis Voto; & ad illud ultimum, quod in Monialibus clauſtratis ceſſet illud motivum vagandi per nundinas, propter quod probibita fuit Clericis ſæcularibus negotiatio, reſpondetur, Monialem clauſtratam non vagari corporaliter per vicos, plateas, & nundinas ad negotiandum; implicatam verò in hujuſmodi negotiis, de quibus in propoſito caſu, eò longè etiam in Templo frequenter vagari cogitationibus ad beſtias per ſpatia imaginaria, ut Deus ſcrutator cordium poſſet non infrequenter de ea conqueri, ut aliquando de populo ſuo *Matth.* 15. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

Monialis Profeſſa die ultima carnis privii, dimiſſo Habitu Religioſo, induta Habitu virili, acceſſit clandeſtinè à Monialibus ad Crates Locutorii cauſa recreationis, & confabulationis cum fœminis extraneis dumtaxat: die ſequenti Cinerum pro habenda Sanctiſſima Communione confitetur ſacramentaliter, & ſe accuſat de hujuſmodi acceſſu.

Quæritur à Confeſſario, quomodo ſit tractanda.

RESOLUTIO XVII.

SUMMARIUM

1 *SI Monialis ſit in Diœceſi Bononiæ, tractanda videtur ut excommunicata excommunicatione Archiepiſcopo reſervata,*

2 *Quia*

2 *Quia hoc probibetur Monialibus in* Synodo Bonon. *ſub pęna excommunicationis ipſo facto incurrenda;*

3 *Quare non eſt abſolvenda, neque admittenda ad Eucbariſtiam illa die:*

4 *Præſertim cum hoc fieri poſſet ſinè ſcandalo, quod demonſtratur.*

5 *Hiſce non obſtantibus, reſolvitur in contrarium,*

6 *Quia hujuſmodi excommunicatio non eſt reſervata Archiepiſcopo.*

7 *Quapropter cum Confeſſarius non habeat manus ligatas, debebit Monialem abſolvere, & ad Eucbariſtiam admittere.*

8 *Ne, quod occultum fuit, evadat manifeſtum cum detrimento boni nominis iſtius Monialis.*

9 *Falſum eſt ſuppoſitum antecedentis primi objecti, & cætera, quæ addebantur, inſubſiſtentia exiſtunt.*

10 *Falſo quoque ſuppoſito innititur ſecundum objectum.*

11 *Concludimus igitur, Monialem hanc abſolvendam eſſe ab excommunicatione, & ad Sanctiſſimam Communionem admittendam eſſe.*

1 PRo Reſolutione videtur, Monialem hanc in Diœceſi Bononienſi, tractandam eſſe tanquam excommunicatam, excommunicatione reſervata Eminentiſſimo Archiepiſcopo,
2 cum idem Eminentiſſimus in ſua *Synodo lib. 4. cap. 4. §. Virorum habitus &c.* mandaverit omnibus, & ſingulis Monialibus, ne perſonatæ, & ſub habitu virili ſe conferant ad crates, ſub pęna excommunicationis ipſo facto incurrenda; & propterea Confeſſarius deberet illam dimittere inabſolutam, eamque
3 repellere à Sacra Communione ſumenda, quia inter effectus excommunicationis, qui multi ſunt, eſt privare perſonam excommunicatam participatione Sacramentorum, donec proviſus idem Confeſſarius de opportuna facultate, poſſit dictam Monialem abſolvere.

4 Secundò, quia licèt habeatur Communio generalis, ut ajunt, ab aliis Monialibus in die Cinerum, poſſet nihilominus

Digitized by Google

nus præfata Monialis, pluribus titulis, & quidem veroſimilibus excuſari à Sacra Communione, ſinè ullo minimo detrimento ſui boni nominis; poſſet namque, ſe dicere aliqualiter infirmam, & non bene ſe habentem ex cauſa recreationis habitæ in præcedentibus diebus carnis privii, & ita dicendo, nullum proferret mendacium, quia impedimentum, propter quod non accederet ad Sacram Communionem, revera eſſet à ſui acceſſu in habitu perſonato ad Crates Locutorii, quatenus per ipſum acceſſum ſub habitu virili ipſo facto incidit in excommunicationem, prout dictum fuit ſuperiùs ex *Diœceſana Synodo loc. cit.*

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Confeſſarium, in contingentia facti, poſſe, & debere abſolvere, ab excommunicatione prædicta præfatam Monialem, modò ſit, ut ſupponi debet, ritè diſpoſita in cæteris requiſitis ad veram confeſſionem Sacramentalem; & ratio in primis eſt, quia excommunicatio, quam Eminentiſſimus in Diœceſana Synodo indixit ipſo facto incurrenda, quamvis illam indixerit Monialibus
6 perſonatis, in pęnam ſui acceſſus ad crates Locutorii, non tamen illius abſolutionem ſibi reſervavit, ut clarè colligitur ex verbis ipſis, quibus Legem hanc promulgavit; non enim legitur ibi, ubi dicitur *ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda*, quòd voluerit abſolutionem ejuſdem eſſe ſibi reſervatam: ſi hujuſmodi reſervationem voluiſſet dixiſſet, addendo hæc verba; *Nobis reſervata*, prout in aliis caſibus ſparſim in eadem *Synodo*, & præcipuè *lib. 2. cap. 6. de caſibus reſervatis*. Inſuper Confeſſarius deberet illam abſolvere, ut unà cum cæteris Monialibus ſumere poſſet Sacram Synaxim, ſecus idem Confeſſarius graviter delinqueret in ſui miniſterio contra Juſti-
7 tiam, cum teneatur jure Divino abſolvere pœnitentem verè contritam, ut ſupponitur de præfata Moniali, ab omnibus peccatis, & in contingentia facti à criminoſo ſui acceſſu ad Crates, ratione cujus incidit in excommunicationem; ſiquidem

Digitized by Google

Pœnitens, datis ſignis veræ pęnitentiæ de ſuis peccatis præteritis in ſacramentali Confeſſione, habet a Jure Divino jus exigendi abſolutionem eorundem peccatorum, & quarumcunque cenſurarum, ubi Confeſſarius non habeat manus ligatas, per aliquam reſervationem à Superiore, propter ſui poteſtatem juriſdictionis ſupremam. Inſuper idem Confeſſarius te-
8 neretur illam abſolvere, ne criminoſus acceſsus ejuſdem Monialis ad Crates Locutorii, utpote qui fuit clandeſtinus, de occulto fieret publicus, & propter alia incommoda, quæ inde orirentur contra bonum nomen ejuſdem Monialis, ſi obſervaretur (ut de facili contingit inter Moniales) ipſam non ſumere Sacram Euchariſtiam, unà cum cæteris Monialibus, in eadem die Cinerum.

9 Ad primum igitur, negando ſuppoſitum antecedentis, reſpondetur, cætera, quæ addebantur, inutilia eſſe ad rem noſtram; etenim ſtatim ac excommunicatio, in quam Monialis, per ſui acceſſum ad Crates Locutorii ſub habitu virili, incideret, non eſt reſervata Eminentiſſimo Archiepiſcopo, ut conſtat evidenter, ex dictis in ſuperioribus, clariſſimè dignoſcitur, Confeſſarium habere manus ſolutas, ideòque poſſe, immo debere illam abſolvere ab excommunicatione, & unà cum omnibus ejus peccatis, ab acceſſu illo, verè peccaminoſo, & quidem mortali, non enim indicitur excommunicationis pęna graviſſima, niſi propter peccatum grave; ideòque, Monialem ipſam admittere unà cum cæteris Monialibus ad Sanctiſſimam Communionem.

10 Ad ſecundum ſimiliter negatur totum ratiocinium, utpote innixum falſo ſuppoſito: ad quid fingere ſubterfugia, quamvis veroſimilia, ubi nulla urget neceſſitas? Nulla ſiquidem neceſſitas adeſt in contingentia facti, cum ex una parte Monialis ſupponatur ritè diſpoſita ad recipiendam abſolutionem, & ex alia Confeſſarius habet plenam facultatem abſolvendi: quibus poſitis, ſtat firmum, præfatam Monialem non eſſe tra-

Digitized by Google

11 ctandam à Confeſſario tanquam excommunicatam excommunicatione reſervata Eminentiſſimo Archiepiſcopo, ſed ſolvendam eſſe ab illa excommunicatione, in quam de facto inciderat, ratione gravis inobedientiæ, accedendo ſub habitu virili ad Crates Locutorii, quæ tamen nulli ſupponitur reſervata, ut dictum fuit in ſuperioribus.

Abbatiſsa Monaſterii S. Baſſi recreationis gratia permiſit ſuis Monialibus, dimiſso habitu Monaſtico, induere habitum virorum, tum mulierum in ſæculo, ut choreas ducant, & ludicram repræſentationem nuptiarum habeant coram aliis Monialibus, necnon præſentibus puellis educandis.

Quæritur, an licitè.

RESOLUTIO XVIII.

SUMMARIUM

1 *Iſta permiſſio Abbatiſſæ videtur prorſus illicita,*
2 *Quia conceſſa contra Decretum* Sac. Cong.
3 *Videtur inſuper incidere in maledictionem Dei.*
4 *Secundò, eſſet cauſa alterius ruinæ ſpiritualis;*
5 *Unde & in* Clementinis *videtur prohiberi hæc habituum transformatio.*
6 *Immo in hac Diœceſana Synodo virorum habitus penitus excluditur à Monialibus.*
7 *Nihilominus in contrarium reſolvitur, modò non obſtet poſitivè Regula Monaſterii,*

8 *Quia*

Digitized by Google

8 *Quia ſicuti Abbatiſsa poteſt ſuas Moniales diſpenſare in multis aliis ſibi bene viſis, ita & in hoc poterit eas diſpenſare.*

9 *Maximè quia rarò id evenit, & res agitur inter Moniales tantùm, & Puellas educandas,*

10 *Et in animi ſublevamen: quod practicatur à Religioſis vitæ etiam rigidioris:*

11 *Ultra quòd hæc fieri ſolent, ſcientibus, & non contradicentibus Prælatis earumdem Monialium.*

12 *Quare non obſtat primum, quia Decretum* Sac. Cong. *non eſt ampliùs in uſu.*

13 *Explicatur, qualis ſit ſenſus aſſignati Textus* Deuter.

14 *Ad ſecundum dicimus, choreas non eſſe malas per ſe, ſed per accidens.*

15 *Prohibitio allata in* Clement. *non facit contra Moniales clauſuræ obnoxias.*

16 *In* Synodo *denique habetur potiùs Monitum, & cohortatio, quàm Præceptum, & prohibitio.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, hujuſmodi permiſſionem eſſe omnimodè illicitam, quia contra *Decretum*
2 *Sac. Cong. emanatum de anno 1604. die 27. Aprilis*, teſte *Barboſa lib. 1. de Jure Eccleſiaſtico cap. 44. nu. 57.* ex quo habetur, prohibitum eſſe Monialibus habitum mutare occaſione alicujus repræſentationis faciendæ: extante igitur tali Decreto, ſtatim intelligitur, illicitam eſse permiſſionem Abbatiſſæ, quæ non habet facultatem contrafaciendi eidem Decreto quoad hanc partem, permittendo Moniales induere virorum habitum; prohibitio namque non mutandi habitum in genere, multò magìs urget in ſpecie, hoc eſt non mutandi habitum Monaſticum in habitum virorum, quandoquidem mulier induendo habitum maſculinum inducit ſibi maledictionem à Deo, juxta
3 illud *Deuteronomii cap. 22. Non induetur mulier veſte virili, nec vir*

ute-

Digitized by Google

utetur veſte fœminea ; maledictus enim eſt à Deo qui facit hoc : & propterea videtur inferendum, præfatam permiſſionem Abbatiſsæ illicitam eſse, maximè quia in contingentia facti ſimus inter Moniales Sponſas Chriſti, non verò inter mulieres ſæculi.

4 Secundò videtur, præfatam permiſſionem illicitam eſſe, etiam ad ducendas choreas, quia choreæ ſolent eſse, & ſunt occaſio ad malum, præſertim quando habentur inter viros, & mulieres, ad quarum ſimilitudinem eſſent choreæ Monialium ſub habitu virorum ex una, & ex alia parte ſub habitu mulierum in ſæculo, hoc eſt in habitu pompoſo, vano, & fortè etiam immodeſto, quæ omnia ſolent eſse incitamenta ad amorem pravum : & in confirmationem hujus opinionis extat id, quod
5 in *Clement. de ſtatu Monachor. cap.* 2. dicitur, teſte *Caſſiano in ſua Arbore verbo Chorea* §. 1. *nu.* 7. *de Monialibus* ; *Non choreas, non feſta ſæcularium proſequantur* : præterquamquod repræſentationem nuptiarum agere, choreaſque ducere in habitu mentito, virorum ſcilicet, & mulierum inſtrumenta ſunt, quibus utitur Dęmon, ut immittat ſpurciſſimas cogitationes, etiam in mentes puriſſimas : & in *Synodo Diœceſana* Eminentiſſimi Archiepiſcopi
6 Noſtri virorum habitus in quacumque actione, & temporum qualitate à Monialibus excluditur, etiam inter ipſas, quia quoad crates accedentes ſub habitu virili, & præcisè perſonatæ plectuntur ipſo facto pęna excommunicationis, ut videre eſt *lib.* 4. *cap.* 4. §. *Virorum habitus*.

7 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Abbatiſsam præfati Monaſterii poſſe licitè permittere ſuis Monialibus induere habitum virorum, & mulierum ſæcularium cauſa recreationis, repræſentationis ludicræ, & chorearum habendarum inter ſe,
8 modò non obſtet poſitivè Regula ejuſdem Monaſterii ; & ratio eſt, quia Abbatiſsa tanquam Materfamilias, ſi aliquando ad levandum animum ſuarum Monialium poteſt, immo debet, illas diſpenſare ab aliqua Regulari obſervantia, v. g., ut recitent

Horas

Digitized by Google

Horas canonicas nocturnas in Choro, orto jam ſole, vel etiam
in veſperis diei antecedentis, ut ipſæ Moniales dormiant tota
nocte uſque ad manè diei ſubſequentis, quamvis Regula præ-
ſcribat illas recitandi choraliter in media nocte, ita etiam, re-
creationis gratia, poterit ſinè ulla culpa permittere ipſis Mo-
nialibus mutare Habitum, ad repræſentationem ludicram fa-
9 ciendam per ipſas, & ad ducendas choreas inter ſe, maximè
quia hujuſmodi permiſſio raro contingit in anno; & non eſt in-
honeſtum apud Moniales geſtare larvas intra propria clauſtra,
& choreas ducere ſecretò, & ſolùm coram ipſis Monialibus,
vel etiam coram Puellis educandis: quandoquidem hone-
ſtum eſt agere ad majorem profectum ſpiritualem, quod indi-
cat Lex naturalis, conſona rectæ rationi, pro bono eiuſdem
naturæ, ut eſt quòd mobile aliquando quieſcat tantiſper, cau-
ſa motus velocioris habendi, & ſic ſimiliter inter Clauſtrales
utriuſque ſexûs feriare aliquando, & ad breve tempus corpo-
re ceſsare ab opere, ut inde ſpiritu facti vegetiores, regulares
obſervantias majori fervore adimpleant; quare ſolent in dies
dari manè, & veſperè ad certum tempus determinatum, ho-
10 ræ, ut ajunt, recreationis, ad levandum animum; &, recur-
rentibus feriis carnis privii, permittere choreas, repræſentatio-
nes, & larvas inter ſe; & quod, in hac materia, in rem no-
ſtram, obſervandum duco, eſt quòd hæc omnia permittuntur
ſuis Religioſis à Superioribus Ordinum rigidioris vitæ in Ec-
cleſia Dei: ex quo facilè intelligitur, Habitum mutare, cho-
reas ducere, & ludicra repræſentare, habitu mentito, non eſ-
ſe intrinſecè malum, & inhoneſtum, & per conſequens, mo-
dò non adſit in Regula lex prohibens, ut advertimus in ſu-
perioribus, Abbatiſsa Monaſterii poterit ulla ſinè culpa per-
mittere ſuis Monialibus, cauſa recreationis, induere virorum
habitus, choreas ducere, & repræſentationes ludicras agere
inter ſe coram Monialibus Profeſſis, Converſis, Novitiis, &
puellis educandis dumtaxat: quibus omnibus addi poteſt,

quod

quod notatur à *P.* de *præcipuis Monialium prohibitionibus cap. 7. in Reſp. ad quæſt.* 37., hujuſmodi choreas, repræſentationes ludicras, &c. pluribus in Monaſteriis Monialium fieri,
11 ſcientibus, ac plerumque non contradicentibus Prælatis earumdem Monialium; unde *Suarez diſp.* 23. *de Cenſur. ſect.* 4. *nu.* 29. *& Tamburin. in Decalog. lib.* 7. *cap.* 8. *nu.* 1. *ex Caſſiano in ſua Arbore lit. C. verb. Chorea* §. 1. *nu.* 3. 6. in contingentia facti excuſant à peccato Moniales aſſumentes habitum virorum, proprio dimiſſo.

12 Ad primum igitur, dato quòd fuerit facta illa prohibitio à *Sac. Cong.*, reſpondetur, non eſſe ampliùs in uſu, ideòque nullius valoris, & non eſſe attendendam in data hypotheſi: unde Abbatiſſa, nulla extante prohibitione in *Regula* Monaſterii, & nulla reputata per non uſum prohibitione *Sac. Cong.*, & accedente, etiam in frequenti contingentia facti, conſenſu Prælatorum, qui ſciunt, & non contradicunt, poteſt licitè permittere ſuis Monialibus induere in ſpecie habitum virorum, cauſa honeſtæ recreationis, ludicræ repræſentationis, & chorearum habendarum inter ſe ipſas. Ad illud autem, quod
13 afferebatur in contrarium ex *Deuteronomio*, reſpondetur, quòd quamvis literaliter videatur præceptivum prohibens mulieribus uſum habituum virorum, & prout negativum ſemper eſſet illicitum mulieri mutare habitum proprium in habitum viri; tamen revera, & in ſenſu omnium *Sanctorum Patrum*, verba *Deuteronomii* intelligenda ſunt diverſimodè: & primò literaliter ſonat, cum utrique ſexui diverſum indumentum natura dederit, ut ex *Gloſſa interlineari*, quòd mulier non deferat paſſim, & ex conſuetudine arma, quibus utuntur viri, ut notat *Nicolaus de Lyra*: & moraliter, & myſticè, hoc eſt quòd mulier non debeat exercere actus viriles in Eccleſia Dei, prædicare nempe, & docere, ut docent *Auguſt. quæſt.* 32. & *Ambroſius epiſt.* 15. *ad Irenæum*, & *alii loc. cit. Gloſ. ordinar.* ſive, ut clariùs in rem noſtram inquit *Lyranus ibidem*, ſi *Textus* intelligatur

Digitized by Google

tur de veſte communi, prohibetur his talis uſus, vel potiùs abuſus, prout eſt occaſio libidinis, quia mulier in veſte virili poſſet licentiùs cum hominibus luxuriam exercere, & ſimiliter vir in veſte mulieris, quia liberius poſſet loca ſecreta mulierum ingredi. Hæc autem inconvenientia, & delicta non debent in contingentia facti ſupponi, quia mutatio Habituum, depoſito ſuo Monaſtico, non fieret ad ullum malum finem, eò quòd quamvis fieret ſecretò inter ſe, fieret tamen apud ipſas Moniales palam, & publicè, cauſa recreationis honeſtæ, pro tota Communitate, vel cauſa alicujus repræſentationis, ſcilicet Nuptiarum in ſui theatro, ſive gratia chorearum, tamen ſinè ulla prorſus licentia in verbis, actibus, & geſtibus; ideòque licitè ex permiſſione licita Abbatiſsæ.

14 Ad ſecundum negatur antecedens, loquendo de per ſe, quia choreæ non ſunt intrinſecè malæ, & peccaminoſæ, ſed tantùm per accidens, quatenus illis abutuntur carnales, illas exercendo obſcænis geſtibus &c. Adſunt enim choreæ pudicæ, & puræ, cujuſmodi ſunt, inquit *Tamburin* in rem noſtram *lib.7. Decalog. cap.8. §.7. nu.1.* teſte *Caſſiano loc. cit.* illæ, quæ fiunt inter perſonas ejuſdem ſexus ſinè ullo turpitudinis geſtu, vel ulteriori pravo fine, quas nemo tanquam peccaminoſas condemnat; immo eas permittunt Superiores Clauſtrales in Tragœdiis, & ſimilibus repræſentationibus ad juvenes exercendos, & ſublevandos, ut dein magis hilares habeant in obſervantia regularis diſciplinæ: Cum autem Abbatiſsa permittat Monialibus ducere choreas pudicas, & puras, & veroſimiliter cognoſcens oves ſuas, hoc eſt, ipſas Moniales ſibi ſubditas eſſe modeſtas, prout decet ſtatum Religioſum, ideòque certa, quòd non abutantur eiſdem choreis, ſed illis utantur præcisè ad levandum animum; hinc eſt, quòd illarum chorearum permiſſio licita ſit, & ſimiliter illas ducere licitum. Quòd ſi poſtea aliqua Monialis incauta, in calore lætitiæ, in manuum contactu, in ſaltando &c. aliquid impudicum admit-

tat,

Digitized by Google

tat, imputet ſibi, & non permiſſioni Abbatiſſæ, cujus finis in permittendo choreas fuit animi recreatio, non relaxatio, & diſſolutio Spiritus, cum choreæ, ut ſupra de per ſe non ſint occaſio ad malum, ſed tantùm per accidens ex prava intentione ſaltantium. Ad illud autem, quod addebatur in con-
15 trarium ex *Clementin.* quoad choreas, reſpectu Monialium dic, habuiſſe locum reſpectu illius temporis, quo Moniales non tenebantur ſervare clauſuram. Cæterùm quia hodie, per *Conſtitutionem S. Pii V., de clauſura Monialium*, Moniales non egredi ſepta Monaſterii, per conſequens ſæcularium feſta, & choreas proſequi non poſſunt, unde nihili faciendum eſt in caſu noſtro, quod ibi aſſerebatur: ad illud verò, quod ſuperaddebatur ex parte dęmonis, reſpondetur hoc contingere, non quia choreæ, & habitus mentiti ſint per ſe inſtrumenta aptè nata ad pravas cogitationes, ſed quia diabolus circuens Moniales incautas, quas devoret, nedum in ducendis choreis, ſed etiam in ipſa Eccleſia, & continuè ſtudens animarum perditioni, utitur aliquando non ſolùm rebus profanis indifferentibus ad bonum, & malum, ſed etiam ſacris, ad labefactandas animas noſtras. Ad ultimum tandem adductum,
16 ex *Diœceſana Synodo*, reſponderi poteſt, mentem Eminentiſſimi non fuiſſe imponere præceptum, cum dixit virorum habitus in quacumque actione à Monialibus excludatur, ſed ſolùm fuiſſe, monere Moniales juxta ſaniora conſilia, cum non ſit uſus verbo *mandamus*, prout è contra uſus fuit eodem verbo *mandamus* ſub pęna excommunicationis ipſo facto contra Moniales accedentes ſub habitu virili ad crates: & ſic ſtat firmum, Abbatiſsam Monaſterii, poſſe licitè recreationis cauſa permittere ſuis Monialibus &c.

Digitized by Google

Monialis Profeſſa habens peccatum reſervatum confitetur illud unà cum cæteris peccatis ſuis Prælato proprio, ſive habenti facultatem delegatam; ſed ex defectu doloris, aut firmi propoſiti amplius non peccandi, ejus Confeſsio eſt ſacrilega, & nulla. Dein iterum confitetur eadem peccata Confeſſario ordinario Monaſterii habens verum dolorem, & firmum propoſitum non peccandi de cæterò.

Quæritur; quomodo Confeſſarius ordinarius debeat ſe gerere cum eadem.

RESOLUTIO XIX.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, quòd Confeſſarius ordinarius debeat dimittere hanc Monialem inabſolutam, tanquam adhuc ream peccati reſervati.*

2 *Quia reſervatio peccati non fuit ablata ab habente poteſtatem ob nullitatem Confeſſionis.*

3 *Et ſicuti Pœnitens tempore Jubilæi confitendo ſacrilegè peccata ſua vel Papæ, vel Ordinario ſuo, non remanet liber à reſervatione peccatorum, ita in noſtro caſu &c.*

4 *Immo ſicuti Monialis habens duo peccata reſervata ſi confiteatur ſacrilegè unum peccatum, alterum malitioſè reticendo, non intelligitur ablata reſervatio, ita &c.*

5 *Quibus minimè obſtantibus, reſolvimus, Confeſſarium ordinarium in data hypotheſi poſſe, & debere abſolvere hujuſmodi Monialem.*

6 *Quia*

Digitized by Google

6 *Quia cum manifeſtaverit peccatum reſervatum Perſonæ poteſtatem habenti, adimplevit ſui obligationem, unde fuit ablata reſervatio.*
7 *Dilucidatur hæc ſententia.*
8 *Ad primum objectum reſpondetur, negando antecedens.*
9 *Monialis enim obtinuit ablationem reſervationis per hoc, quòd confeſſa ſit Prælato, vel habenti poteſtatem delegatam de peccato reſervato, & acceptaverit ab eodem pœnitentiam impoſitam pro ſatisfactione ſui peccati.*
10 *Satisfit ſecundò, negando antecedens, quia in dato Caſu abſolutio valet, ſi non ut Sacramentalis, ſaltem ut ablativa reſervationis.*
11 *Aſſignatur diſparitas, per quam tollitur tertium objectum.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Confeſſarium ordinarium debere tractare hujuſmodi Monialem tanquam adhuc ream peccati reſervati, & propterea illam dimittere inabſolutam; quandoquidem reſervatio illius peccati non fuit
2 ablata, nec à Prælato vigore ſuæ poteſtatis ordinariæ, nec ab habente poteſtatem delegatam in facta ſuppoſitione Confeſſionis ſacrilegæ, quia reſervatio revera non tollitur, niſi mediante ſacramentali abſolutione, qualis non fuit illa, quando Monialis, ex defectu doloris, & firmi propoſiti ampliùs non peccandi, non erat rectè diſpoſita, & ejus Confeſſio fuit invalida, & nulla.
3 Secundò, quia ſicuti Pœnitens, tempore Jubilæi, confitendo invalide, & ſacrilegè peccata ſua Papæ, ſive Ordinario ſuo non remanet liber à reſervatione peccatorum, quæ confitetur, eò quòd, facta Confeſſione ſacrilega, non obtinet Indulgentiam, ad quam tanquam conditio neceſſaria requiritur Confeſſio valida, ut docent *Rodriquez*, *Suarez*, *Filliucius*, *Layman*, *Homobonus*, & *Boſſius de Jubilæo ſect. 1. caſu 34. relat. à Giribaldo tract. 7. de Sacra Pœnit. dub. 7. nu. 40.*, & per conſequens non

non conſequitur alios favores, veluti eſt ablatio reſervationis: ita ſimiliter Monialis, confitendo peccatum reſervatum Prælato ſuo, ſive alteri habenti facultatem delegatam, ſed Confeſſione invalida, ut ſupponitur, non remaneret liberata à reſervatione, & per conſequens iterando, quamvis ex parte ſui Confeſſionem validam apud Confeſſarium ordinarium, non deberet, immo non poſſet abſolvi ab eodem, qui, utpote ligatis manibus vinculo reſervationis, hoc eſt, reſtrictæ juriſdictionis, non poſſet illam ſolvere ab eadem, juxta illam regulam: *illius eſt ſolvere, cujus eſt ligare*.

4 Tertiò, ſicuti Monialis habens duo peccata reſervata ſi confiteatur ſacrilegè Prælato, vel habenti poteſtatem delegatam unum peccatum reſervatum, reticendo malitiosè alterum, non intelligeretur ablata reſervatio ex defectu Confeſſionis invalidæ, ita ſimiliter, in propoſito caſu, non intelligitur ablata reſervatio illius peccati reſervati, quia Confeſſio præfatæ Monialis fuit invalida, ex deficientia doloris, ſive firmi propoſiti.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Confeſſarium ordinarium, in hypotheſi ad theſim vocata, poſſe, & debere abſolvere præfatam Monialem, quamvis ejus Confeſſio facta Prælato ſuo, vel alteri Sacerdoti habenti poteſtatem delegatam, fuiſſet invalida ex defectu doloris, aut firmi propoſiti non peccandi de cæterò; & ratio eſt, quia per Confeſſionem invalidam, quamvis remaneat in pęnitente obligatio repetendi veram, & validam Confeſſionem, ut liberetur à culpa peccatorum ſuorum, tollitur reſervatio illius peccati: quandoquidem Monialis in Confeſſione habita apud ſui Prælatum, vel apud alium Sacerdotem habentem facultatem delegatam pro abſolutione reſervatorum, manifeſtavit ſui peccatum reſervatum illi, vel alteri; manifeſtando autem ſui peccatum reſervatum Prælato, vel habenti poteſtatem delegatam, adimplevit in integrum ſui obligationem, & propterea fuit ablata reſer-
6

ſer-

Digitized by Google

ſervatio ſuper illo peccato à ſe manifeſtato, ut ſuperiùs diximus, & per conſequens Confeſſarius ordinarius poſſet in contingentia facti, & deberet illam abſolvere directè ab omnibus ejus pecatis, hoc eſt etiam ab illo reſervato, de quo ſe accuſavit apud Superiorem in præhabita Confeſſione invalida:
7 tractanda enim eſſet hujuſmodi Monialis à Confeſſario ordinario, veluti quidam pęnitentes, qui habentes aliquem caſum reſervatum, nolentes habere Confeſſionem ſacramentalem apud Pœnitentiarios Eccleſiæ Metropolitanæ, petunt facultatem poſſe abſolvi à ſui Confeſſario ordinario, cui ſolent confiteri; & eorum Confeſſarii, ex dicto ipſorum Pęnitentium, quòd petierint, & obtinuerint talem licentiam, de facto abſolvunt illos à reſervatis, eò quòd quæ erant reſervata ex voluntate Superioris, voluntate ipſius concedentis licentiam abſolvendi, non ſint ampliùs reſervata, cum poteſtas juriſdictionis, quæ erat reſtricta reſpectu ſimplicis Confesſarii, fuerit eidem ampliata, conceſſione licentiæ: ita ſimiliter peccatum præfatæ Monialis, in hypotheſi præſenti, non debet reputari ampliùs reſervatum, quia quando ipſa Monialis illud manifeſtavit Prælato, vel habenti poteſtatem delegatam, quilibet eorum abſtulit reſervationem, quatenus Prælatus, vel Delegatus, in danda pœnitentia, & abſolutione intellexit uti plenaria ſui poteſtate, auferendi nempe reſervationem ab illo peccato revelato, & dandi abſolutionem à culpa; quòd ſi Confeſſio illius foret invalida ex defectu doloris, aut firmi propoſiti, Monialis non remaneret abſoluta à culpa, remaneret nihilominus abſoluta à reſervatione, quia ablatio reſervationis non pendet à validitate Confeſſionis, docent *Sylveſter*, *Cajetanus*, *Suarez*, *Commnnib. teſte Palao tract.* 23. *diſp. unica punct.* 15. §. 6. *Mazuchell. difficul.* 19. *Averſa quæſt.* 17. *ſect.* 8. *Fran. à Jeſu Maria cap.* 13. *punct.* 3. *nu.* 41. *Vaſquez*, *Nugnus*, *Comitolus*, *Boſſius*, *Leander quæſt.* 42. *Lugus diſp.* 20. *nu.* 106. *relati à Giribaldo tract. ett. de pœnitentia cap.* 16. *de poteſtate abſolvendi à reſer-*

vatis

Digitized by Google

vatis, dubio 7. *nu.* 38., ſed pendet à voluntate potentis ponere, & tollere reſervationem, cujuſmodi eſt Prælatus, vel potentis tollere præcisè ipſam reſervationem, uti de facto poteſt habens poteſtatem delegatam: Præterquamquod, ſi Monialis, immediatè per ſe ipſam, aut mediatè per interpoſitam perſonam, ſuppreſso etiam ſui nomine, extra Sacramentum Pœnitentiæ, à Prælato, vel habente poteſtatem delegatam petiiſſet ablationem reſervationis, utique obtinuiſſet; cum autem manifeſtando uni, vel alteri eorum in ſua Confeſſione petierit ablationem reſervationis ab illo peccato, & abſolutionem ejuſdem à culpa, quamvis non fuerit conſecuta ex defectu Confeſſionis invalidæ, ut ſupra, obtinuit nihilominus ablationem reſervationis, quia hujuſmodi ablatio non pendet neceſſariò à Sacramentali Confeſſione, cum poſſit auferri etiam independenter à ſacramento pœnitentiæ, ut modò dictum fuit: Confeſſarius igitur monitus à Moniali de acta Confeſſione, ut ſupra, poſſet, immo deberet, audita ejus Confeſſione ſacramentali, illam abſolvere.

8 Ad primum igitur reſpondetur, negando antecedens, quia licèt præfata Monialis, ex defectu Confeſſionis invalidæ, ratione deficientiæ veri doloris, & firmi propoſiti non peccandi de cęterò, non remanſerit abſoluta à culpa, nihilominus re-
9 ſervatio peccati ſui fuit ablata per hoc, quòd idem peccatum manifeſtaverit Prælato, aut habenti poteſtatem delegatam, & pœnitentiam impoſitam acceptaverit ab uno eorumdem: etenim finis reſervationis in Reſervante eſt, quòd incidens in caſum reſervatum recurrat ad ſe ipſum, & à ſe ipſo recipiat pœnitentiam faciendam in ſatisfactionem peccati, & hoc ad ædificationem animarum, quatenus ex difficultate obtinendi abſolutionem à cęteris Confeſſariis, fideles abſtineant à quibuſdam certis peccatis gravioribus, quod quidem præſtitit præfata Monialis, quamvis ſacrilegè confeſſa, maximè quia parata ſupponitur ad faciendam pęnitentiam ſibi impoſitam in

Digitized by Google

Confeſſione invalida, iterum ei imponendam à Confeſſario ordinario in Confeſſione valida, cum teneatur illam adimplere.

10 Ad ſecundum negatur ſimiliter antecedens *cum Vaſquez, Comitolo, Sylveſtro, & aliis apud Giribaldum loc. cit.* quia, ut dictum fuit, in hypotheſi ad theſim vocata, qui confitetur tempore Jubilæi, quamvis ſacrilegè ex defectu doloris, aut firmi propoſiti non peccandi de cęterò &c., et per hoc non liberetur à culpa, & non conſequatur Indulgentiam, ad quam requiritur ſtatus gratiæ; manifeſtando tamen peccata reſervata Confeſſario, & acceptando pęnitentiam adimpleat omnia requiſita pro ablatione reſervationis; unde *Boſſius citatus nu.* 12. docet, quòd tunc illa abſolutio, ſi non valet ut ſacramentalis, valet ſaltem ut ablativa reſervationis, quæ non pendet ab ablatione culpæ; unde Confeſſarius, in propoſito caſu, monitus à præfata Moniali de ſui præhabita Confeſſione, ut ſupra, deberet ſinè ulla hæſitatione illam abſolvere, quia per dictam ablationē reſervationis habet manus ſolutas pro abſolutione ejuſdem.

11 Ad tertium tandem reſpondetur, aſſignando diſparitatem; ideò Monialis habens duo peccata reſervata, confitendo ſacrilegè; ex defectu integritatis materialiter, & formaliter, ratione reticentiæ malitioſæ unius ex illis peccatis reſervatis apud ſui Prælatum, vel alium habentem poteſtatem delegatam, non poſſet abſolvi poſtea in ſequenti Confeſſione validè facta Confeſſario ordinario, quia licèt remanſiſſet ſoluta à reſervatione illius peccati reſervati, quod manifeſtavit, quia illud manifeſtando, & pro illo accepta pęnitentia per Prælatum impoſita, omnia requiſita ad ablationem reſervationis adimpleverit, non remanſit tamen ſoluta à reſervatione alterius reſervati, quod doloſè reticuit, eò quòd non manifeſtando illud Prælato, vel alteri habenti poteſtatem delegatam, non adimpleverit requiſita, ad tollendam ipſam reſervatio-

nem: Cum autem præfata Monialis in facta hypotheſi poſuerit omnia requiſita pro ablatione reſervationis peccati ſui, ſequitur, Confeſſarium ordinarium poſſe, immo debere illam abſolvere à culpa &c.

Monialis pluries confeſſa eſt ſacramentaliter certum quoddam peccatum grave, quod commiſit, data occaſione proxima peccandi; Confeſſarius ordinarius miſericordia motus illam abſolvit: Videns autem idem Confeſſarius, Monialem abuti tanta miſericordia, ſeriò admonet Monialem, ut dimittat dictam occaſionem, & Monialis renuit illam dimittere.

Quæritur; quomodo Confeſſarius ſe gerere debeat.

RESOLUTIO XX.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Confeſſarium debere dimittere inabſolutam Monialem nolentem dimittere occaſionem proximam peccandi,*
2 *Quia non cenſetur diſpoſita ad Sacramentum Pœnitentiæ.*
3 *Videtur enim habere propoſitum inefficax, ut advertit* Giribaldus.
4 *Confirmatur à pari.*
5 *Quibus non obſtantibus, reſolvitur cum diſtinctione.*
6 *Si hujuſmodi occaſio proxima peccandi eſt voluntaria, Monialis dimittatur inabſoluta;*
7 *Si occaſio verò ſit verè involuntaria, & neceſſaria, abſolvatur.*

8 *Ideò*

Digitized by Google

8 *Ideò primum, propter rationes adductas contra ſententiam affirmativam.*

9 *Iſta contingentia quodam exemplo dilucidatur.*

10 *Ideo ſecundum, propter ſcandalum, & detrimentum, ſeu infamiam &c. quæ accidere poſſent.*

11 *Præterea quia Monialis fecit quantùm per ſe potuit.*

12 *Admonetur Confeſſarius, ut cautè ſe gerat in dignoſcenda qualitate occaſionis.*

13 *Satisfit objectis dicendo, quòd vera eſt doctrina Adverſarii, ſi verſemur in primo caſu: & quòd falſa eſt, ſi verſemur in ſecundo, ut ex ſupradictis ſatis abunde conſtat.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Confeſſarium in contingentia facti debere dimittere inabſolutam Monialem nolentem dimittere occaſionem proximam peccandi, cum Monialis nolens dimittere illam occaſionem ſibi proximam
2 peccandi non cenſeatur diſpoſita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quatenus perſeverare in occaſione proxima peccati non videtur habere propoſitum efficax non peccandi de cæterò, quia volens manere in morali periculo peccandi perinde ſe habet, ac volens peccatum, juxta illud *Eccleſiaſtici* 27. qui amat periculum in illo peribit: quod quidem non eſt compatibile
3 cum abſolutione ſacramentali, ut docent communiter Moraliſtæ: quia, ut advertit *Giribaldus tract. 7. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 10. de occaſ. peccat. vitandi dub. 1. nu. 3.* manens in periculo peccandi non ſolùm peribit in peccato, quod poſtea committet, ſed etiam ipſum periculum, utpote volitum ex tunc eſt peccatum: & propterea cum occaſio proxima peccandi, & periculum proximum peccandi ſint penitus idem, inquit *Giribaldus loc. cit.*, præfata Monialis nolens dimittere ococcaſionem proximam peccandi deberet dimitti inabſoluta; incompoſſibilis enim eſt abſolutio à peccato cum volitione peccati, ut conſideranti patet.

4 Secundò, quia ſicuti manens in occaſione proxima pec-
candi in genere, hoc eſt ad plura peccata committenda, nem-
pe modò ad unum, modò ad aliud peccatum; ut ſi quis habe-
ret ſocium, aut amicum, ex cujus converſatione ſępe rueret
in varia pecata, ſive furandi, ſive fornicandi &c. non deberet
abſolvi, ut docent *Lugus*, *Suarez*, *Dicaſtillus*, quos citat, & ſe-
quitur *Anton. à Spiritu Sancto tract. 5. diſput. 3. ſect. 10. nu.* 134.,
eò quòd non poſſit eſſe propoſitum non peccandi in commu-
ni unà cum voluntate peccandi in communi, ita ſimiliter non
eſſet abſolvenda præfata Monialis exiſtens in occaſione pro-
xima peccandi aliquo peccato tali, quia ſimiliter eſt incompoſ-
ſibile propoſitum efficax non peccandi ampliùs tali peccato
cum exiſtentia in tali occaſione proxima ejuſdem peccati.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvo cum diſtinctione, con-
ſiderata qualitate occaſionis proximæ in contingentia facti:
6 vel occaſio proxima peccandi eſt verè voluntaria; & ſic dico,
præfatam Monialem nolentem illam dimittere dimittendam
7 eſſe inabſolutam; vel eſt occaſio proxima revera involunta-
ria, & neceſsaria; & ſic dico, fore abſolvendam: ratio primi
colligitur ex ratiociniis ſuperiùs adductis pro objectis contra
8 ſententiam affirmativam: conſtat enim evidenter ex commu-
ni *Doctorum* opinione verè conſona doctrinæ *Sanctorum Pa-*
trum, & Eccleſiæ univerſalis, peccatorem volentem pecca-
tum non eſse abſolvendum, quia volens peccatum non eſt re-
vera pęnitens, cujus eſt ita pęnitere de peccato præterito, ut
habeat etiam firmum propoſitum non peccandi ampliùs in fu-
turum: cum autem præfata Mònialis ſi eſset in occaſione pro-
xima peccandi ex ſua voluntate, quatenus poſſet illam pro li-
bito ſuo aufugere, ſi vellet; hinc eſt, quòd non deberet, nec poſ-
ſet abſolvi à Confeſsario, ſi pertinax in ſui prava voluntate
9 nollet illam dimittere. Hujuſmodi contingentia facti poſset
dilucidari exemplo cujuſdam Monialis, quæ occaſione ſui of-
ficii; v.g. eò quòd ſit Cameraria, Janitrix, Sacriſtana, Piſtrix

&c.

Digitized by Google

&c. contraxit multam confidentiam, & amicitiam pravam cum perſona extranea, ex cujus converſatione, & familiaritate ſępe ruit in aliquod peccatum grave: & ſic Confeſſarius non deberet, nec poſset, poſtquam pluries abſolvit in præterito de eodem peccato gravi, non poſset, inquam, ampliùs abſolvere hujuſmodi Monialem nolentem dimittere ſui occaſionem proximam peccandi, quia cum ſit ei voluntaria, & ideò in ſua poteſtate illam dimittendi, nolens autem dimittere cenſetur indiſpoſita pro abſolutione ſacramentali ex ſuperiùs ſatis

10 dictis. Ratio autem ſecundi hæc eſse poteſt: ſuppoſito nempe quòd occaſio proxima peccandi præfatæ Moniali ſit neceſsaria, quatenus domeſtica intra clauſtra Monaſterii, & non poſſit illam dimittere, vel quia omnino tolli non poteſt, vel non ſinè magno ſcandalo gravi, & magno detrimento, ſeu infamia, tunc præfata Monialis renuendo his juſtis titulis dimittere hujuſmodi occaſionem proximam peccandi, deberet toties quoties accedit confiteri abſolvi à Confeſsario, dummodo ipſa Monialis toties quoties confitetur ſit verè contrita, & habeat verum propoſitum non peccandi ampliùs, & vitandi etiam, quantùm poterit, illam occaſionem, ut v. g. non loquendi ampliùs ſola cum ſola, præſertim in locis ſolitariis, & remotis in abſcondito, fugiendique certos quoſdam actus (ut ajunt confidentiales) nec non adhibendi alia media orationis Deo, Beatæ Virgini, Sanctiſquè ſuis Advocatis apud ipſum Deum: ſiquidem præfata Monialis conſtituta in occaſione proxima peccandi neceſsaria, & nullo modo ipſi voluntaria, ſi non poteſt illam dimittere, neque tenetur illam dimittere, ideòque poſse, & debere in contingentia facti à Confeſsario abſolvi, quia ex parte ſui fecit quan-

11 tùm potuit, nimirum pęnituit cum vera contritione, & firmo propoſito non peccandi ampliùs, ut mereatur abſolutionem: Hæc doctrina eſt communis apud Moraliſtas, teſte *Bonacina quæſt. 4. de Matrim. puncto* 14. *nu.* 11.

12 Pla-

12 Placet hìc advertere, quòd in hypotheſi ad theſim vocata Confeſſarius debet uti magna, immo maxima ſui prudentia pro dignoſcenda prædicta occaſione proxima; an ſit verè neceſſaria, & non poſſit dimitti ſinè magno detrimento ejuſdem Monialis, quia tres extant Sententiæ damnatæ ab Innoc. XI. quæ ſunt ſub num. 61. 62. & 63. nimirum prima, *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmo directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*. Secunda: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit*. Tertia: *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi*. Habens enim Confeſſarius hujuſmodi opiniones ad manus facilè intelliget, an occaſio proxima peccandi ſit Moniali verè neceſſaria, an non: quia licèt ipſa Monialis, utpote clauſtrata habeat occaſionem proximam peccandi intra Clauſuram, poteſt nihilominus eſſe non neceſſaria, ſed verè voluntaria.

13 Ad primum igitur reſpondetur, Confeſſarium non debere, immo non poſſe abſolvere Monialem nolentem dimittere occaſionem proximam peccandi, ſuppoſito quòd occaſio proxima peccandi ſit ſuæ voluntatis; ſi verò ejus occaſio proxima peccati eſſet titulo neceſſitatis, Monialis in contingentia facti poſſet, & deberet abſolvi, modò in reliquis ſit diſpoſita, hoc eſt, habeat verum dolorem de præteritis peccatis, & firmum propoſitum vitandi quantùm poterit ipſam occaſionem, & adhibendi alia media ſalutaria in præſervationem ſalutis animæ ſuæ; quibus ſuppoſitis, non urgent quæ addebantur in contrarium, quia ſtatim ac Monialis eſt contrita de peccatis præteritis, & eſt firmiter reſoluta vitandi illam occaſionem proximam peccandi, non datur ampliùs locus dicendi, quòd amet periculum, & in illo ſit peritura, quia abhorrens ab illa occaſione, abhorret ſimul à periculo peccandi, & ſic pro eo tunc præfata Monialis, quæ, quantùm eſt ex parte ſui, abhorret

&

Digitized by Google

& ab occaſione proxima peccandi, & habet firmum propoſitum vitandi eamdem occaſionem, ne ampliùs peccet, intelligitur ſufficienter diſpoſita pro abſolutione ſacramentali obtinenda.

Ad ſecundùm ſimiliter cum eadem diſtinctione reſpondetur, eſſe veriſſimum pęnitentem manentem in occaſione proxima peccandi in genere non eſſe abſolvendum, ſi nolit (cum poſſit) dimittere illam occaſionem proximam, quia hujuſmodi pęnitens exiſtens in tali occaſione ſibi voluntaria (voluntaria enim eſt occaſio illa, quam quis poteſt liberè omittere ad ſui beneplacitum ſinè ulla violentia extranea) non intelligitur diſpoſitus ad abſolutionem ſacramentalem, cum iſta non ſit danda, niſi pęnitentibus verè contritis de peccatis præteritis, & habentibus ſimul firmum propoſitum non peccandi ampliùs de cæterò: Pœnitens autem conſtitutus in occaſione proxima peccandi voluntaria nolens illam dimittere non intelligitur contritus, neque quòd habeat dictum propoſitum, & propterea dimittendus eſſet inabſolutus à Confeſsario: at ſi ejus occaſio proxima peccandi foret illi neceſſaria, quatenus ipſe pœnitens, etiam volens non poſset ullo modo illam dimittere, dura neceſſitate coactus manere in eadem; contritus verò de peccatis præteritis, habens firmum propoſitum illam vitandi quantùm poterit ex parte ſui, utique poterit abſolvi à Confeſsario: Hæc ad rem noſtram applicanda ſunt pro præfata Moniali conſtituta in occaſione proxima peccandi aliquo peccato in ſpecie, hoc eſt abſolvendam eſse, ſi ejus occaſio proxima peccandi eſt verè neceſsaria, & non eſse abſolvendam in ſuppoſitione, quòd occaſio proxima peccandi ſit illi verè voluntaria.

Quædam

Quædam Monialis Profeſſa in Monaſterio S Leopoldi Pariſiorum ſatis perita in arte Pictoria pennicillo ſuo formabat Mulieres famoſas, & pulchriores illius regionis ad petitionem cujuſdam Equitis Angli: tractu temporis dubitans, an licitè pingeret, conſulit ſui Confeſſarium: itaque

Quæritur Reſponſio ejuſdem Confeſſarii.

RESOLUTIO XXI.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Monialem in data hypotheſi licitè poſſe pingere.*

2 *Ratio eſt, quia cum ars Pictoria ſit ars liberalis, licitè exerceri poteſt,*

3 *Maximè ſi pingeret pro ſuis indigentiis ad victum, & veſtitum.*

4 *Præterea hujuſmodi actio eſt de ſe indifferens, & bono uſui inſervire poteſt.*

5 *Adde, quòd Monialis per hoc fieri poteſt Pictrix famoſa, & in poſterum Monaſterio quoque lucrifacere.*

6 *Attamen reſolvimus in contrarium,*

7 *Quia ars Pictoria eſt virtus quidem laudabilis, ſed abuſus ejuſdem eſt vitioſus, & peccaminoſus etiam mortaliter, ut accidit in cæteris artibus.*

8 *Inſuper probatur, quòd eſſet cauſa quamplurimis peccandi mortaliter; quare & ipſa lethaliter peccaret;*

9 *Immo voluntariè ſe exponeret periculo peccandi, quod eſt peccatum;*

10 *Confirmatur aſſertum authoritate* Doctorum *& quidem à fortiori.*

11 *Ad*

Digitized by Google

11 *Ad primum objectum ſatis ſuprà reſpondimus.*

12 *Ad id, quod addebatur in fine ejuſdem objecti, dicimus; non eſſe facienda mala, ut eveniant bona.*

13 *Ad ſecundum reſpondetur, Monialem hanc abuti ſua arte, & fieri ream peccatorum commiſſorum ab aſpicientibus impudicè illas Imagines inhoneſtas à ſe pictas;*

14 *Et lucrum non eſſe cauſam urgentem; amplificationem verò ſui nominis eſse motivum inane, & incapax ad cohoneſtandam hujuſmodi actionem.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem in contingentia caſus propoſiti licitum agere, ageret enim artem
2 Pictoriam, quæ utpote inter artes liberales licita eſt; quàndoquidem *S. Lucas Evangeliſta*, & alii, qui ſanctitate morum celebres fuere in Eccleſia Dei, profeſſi ſunt artem Pictoriam; ideòque concludendum, præfatam Monialem, in hypotheſi ad theſim vocata, efformando nempe ſui pennicillo famoſas, & pulchriores mulieres Pariſiorum, ad inſtantiam illius Equitis Angli, licitè ſe gerere, cum exerceat artem licitam, prout eſt
3 verè licita ſui ars pictoria; & præcipuè ſi præfata Monialis pingeret illas mulieres cauſa lucrifaciendi pro ſuis indigentiis ad victum, & veſtitum, utpote quæ ſit in Monaſterio, ubi non viget vita verè communis, & in quo emiſit profeſſionem, nullo ſibi reſervato peculio annuo, cauſa paupertatis domus ſuæ.

4 Secundò videtur, præfatam Monialem, in facta hypotheſi, poſſe, & quidem licitè, pingere famoſas, & pulchriores feminas, quia hujuſmodi actio de ſe eſt indifferens, & bono uſui poteſt deſervire, ut ex dicto aliorum advertit *Diana part. 5. tract. 7. de Scandalo reſol. 5.* ubi pro hac opinione citat *Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 1. cap. 7. nu. 40. Alphonſ. de Leone de officio Confeſſ. tom. 1. reſol. 14. nu. 34. & 36. Caſtro Palaus tom. 1. tract.*

Q 6. *diſp.*

Digitized by Google

6. diſp.6. punct. 12. *nu. 6.*, & propterea Confeſſarius, conſultus à præfata Moniali, poſſet illi reſpondere, ſibi licere pingere mulieres ſpecioſas ad petitionem dicti Equitis: Præterquam-quod in pingendo eadem Monialis utens tota ſui arte, & in-
5 duſtria pennicilli, fieri poſſet famoſa pictrix, etiam apud exteros, & ſic lucrari multam pecuniam, non ſolùm pro ſuis indigentiis perſonalibus ad victum, & veſtitum, ſed etiam pro faciendis beneficiis in officiis, ut ajunt, in ſervitium ſui Monaſterii.

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, præfatam Monialem non poſſe pingere dictas Mulieres famoſas, & pulchriores ad petitionem illius Equitis, & illas pingendo peccare graviter, quia licèt ars pictoria ſit virtus laudabilis, abuſus tamen ejuſ-
7 dem vitioſus eſt, & peccaminoſus, etiam mortaliter; contingit namque in abuſu artis pictoriæ quod contingit in cæteris artibus, quarum uſus perutilis eſt, & ipſarum abuſus peſſimus: exempli gratia Medicina eſt ars utilis, utpote neceſſaria pro curandis infirmis, ſi medicus bene utitur illa in remedium morbi: Si autem medicus abuteretur eadem in medendis ægrotis, quatenus ipſis propinaret pharmaca, non ad reparandam vitam, ſed ad inferendam mortem, tunc artis medicæ virtus revera in ſe bona, & utilis humanæ Reipublicæ, fieret, ex dicto abuſu, pernicioſa, & mala in ſui uſu: ita ſimiliter in caſu noſtro: Monialis pingendo exercet quidem artem licitam, ſed quia pingendo mulieres famoſas, & ſpecioſiores, abutitur arte ſua, quatenus pingit mulieres impudicas, & immodeſtas; Eques enim ille non petiit à Moniali pictrice, quòd ſibi pingeret imagines Sanctarum Virginum ad pietatem excitandam in ſe ipſo, ex illarum pio aſpectu, ſed petiit ſibi fieri ſatis perito ejuſdem ſacræ pictricis pennicillo, Imagines ad vivum, quantùm poſſibile eſt, repræſentantes pulchritudinem illarum mulierum ad ſui complacentiam prototypon, & delectationem, quam inde ſperabat ex frequentatis aſpectibus earum-

rum-

rumdem, intra ſui domeſticos lares Londini: Cum autem hujuſmodi aſpectus ad delectationem ſenſualem capiendam, oculorum concupiſcentia, peccaminoſi ſint, & quidem lethaliter, quia in rebus venereis non datur parvitas materiæ, Monialis, pingens eaſdem imagines laſcivas, & immodeſtas, eſſet cauſa principalis, cur Eques ille peccaret graviter in delectatione venerea, oculórum concupiſcentia captus; & propterea
8 utpote cauſa peccati Equitis, & fortè etiam aliorum plurium, illas imagines ſpectantium, reputanda eſt rea peccati mortalis: juxta illam regulam; *cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati*. Præterquamquod præfata Monialis, in pingendis dictis mulieribus famoſis, voluntariè ſe exponit periculo peccandi, etiam ipſa
9 in actu pingendi, quia cum mulieres hujuſmodi (maximè quando plures ſunt pingendæ, ut ſupponitur in hypotheſi) ſoleant effigiari oculariter præſentes, & ut plurimùm ſint faciles ad obſcæna, & turpia colloquia, præfata Monialis pecunia empta, & voluntariè adſtricta ad illas effigiandas, velit, nolit, dat aures verbis impudicis, & dęmon eiſdem utitur, ut immittat cogitationes ſpurciſſimas in ejus mentem, contra ſui votum caſtitatis, cum graviſſimo periculo conſentiendi: exponere autem ſe voluntariè periculo peccandi, quod eſt idem dicere ſe exponere occaſioni proximæ voluntariæ peccandi, eſt peccatum, ut dicebamus in reſolutione de Moniali poſita in occaſione voluntaria proxima peccandi, & ſic præfata Monialis in contingentia facti peccaret graviter. Hanc opinio-
10 nem habui ab *Auctoribus* docentibus, Pictorem non poſſe, ſinè gravi culpa, pingere imaginem Amaſiæ Amaſio, inter quos *Homobonus Conſult. tom. 2. reſponſ. 141. ad 2. q.* ubi citat *Philiarc. de officio Sacerd. part. 2. lib. 3. cap. 1. Saſyr. in Clavi Regia lib. 2. cap. 7. nu. 2. Nald. verb. Amaſius nu. 1.*; &, ſtante hac opinione contra ſuſtinentes oppoſitam, qui verè pauci ſunt; urgente tamen graviſſima cauſa, ut inquiunt ipſi, poteſt argumentari à pari ſic: Si Pictori, qui publicè profitetur ſui artem pictoriam,

& per hoc expoſitus in publicum, quaſi venditor, venalia faciens opera ſui pennicilli, non licet pingere imaginem puellæ laſcivæ petitione, & precibus laſcivi adoleſcentis, quem probabiliter credit malè affectum, nimirum ad libidinem uſurum ea imagine, ut docet *Azorius Inſtit. Moral. part. 2. cap. ultimo ad 9. §. hinc judicari*: à fortiori non erit licitum præfatæ Moniali effigiare dicto Equiti mulieres famoſas, quem probabiliter credere debet malè, nimirum ad delectationem veneream, uſurum iiſdem imaginibus: ſunt namque, inquit *citat. Azorius cum Bonacina diſput. 2. de peccatis quæſt. 4. puncto 2. §. unico nu. 19. apud Dianam part. 5. tract. 7. de ſcand. Reſol. 5.* ſunt, inquam, hujuſmodi effigies ſolitæ fieri nudæ, ad pectus, & ubera ſub oculis virorum illas inſpicientium, veluti arma donata parato occidere, cum illæ ſint fomentum, & incitativum turpis amoris ad occidendam animam. Itaque

11 Ad primum reſpondetur, præfatam Monialem pingendo, exercere quidem artem licitam, cum licita ſit ars pictoria, propter delectationem ſimpliciter ocularem; malè tamen ſe gerere in data hypotheſi, quia tunc abuteretur arte pictoria, in ſe bona, ad malum proximi ſui, quatenus crederet probabiliter, illum Equitem malè, hoc eſt ad delectationem veneream uſurum, iiſdem imaginibus, veluti Amaſius de imagine ſuæ Amaſiæ; & propterea clarè infertur, eidem Moniali non licere pingere hujuſmodi mulieres famoſas, ſinè culpa gravi: ad illud autem, quod addebatur, quòd illi Moniali videatur licitum, eaſdem pingere, cauſa lucri pro ſuis indigentiis, negatur ſuppoſitum, quia etiam data, & non conceſſa opinione illorum, qui aſſerunt, urgente graviſſima cauſa poſſe pingi effigiem Amaſiæ, precibus importunis Amaſii, lucrum in caſu noſtro non eſſet cauſa urgentiſſima, cur debeat dici, licitum eſſe Moniali pingere mulieres famoſas ad preces illius Equitis: Monialis enim, voto paupertatis adſtricta non debet, nec poteſt ſi-
12 bi comparare neceſſaria ad victum, & veſtitum mediis illicitis, ſed

ſed licitis dumtaxat, pingendo ſacras Imagines, vel alia delectabilia oculariter. Quandoquidem non ſunt facienda mala, ut adveniant bona; & hinc ſim liter reſpondetur

13 Ad ſecundum paucis verbis, quia Monialis, in contingentia facti, uteretur quidem arte ſua, quæ ſanè licita eſt, ſed quia eadem abuteretur, ut advertimus in ſuperioribus, illicitè ſe gereret, & culpabiliter pingeret, & eſſet rea peccatorum omnium, quæ inde committerentur ab inſpicientibus eaſdem Imagines cum delectatione venerea: & illud additum de lucro, in beneficium ſui, & Monaſterii, necnon in amplificationem ſui nominis inter Pictrices, ſimiliter ſatisfit, dicendo,

14 in primis, lucrum (qualecunque poſſet eſſe) non eſſe urgentiſſimam cauſam, ratione cujus aliqui, ut tetigimus ſupra volunt, poſſe effigiari Amaſiam Amaſio à Pictore, qui publicè profitetur vendere artem ſuam, & propterea poſſe cogi ad illam pingendam, quod tamen de Moniali non debet dici, cum Deo data, clauſtro addicta, & à ſæculo penitus abdicata, de facili poſſit renuere dictas mulieres famoſas effingere, abſque metu mortis, vel vulneris, quod ſolet dici cauſa graviſſima urgens excuſans à peccato gravi Pictorem pingentem Amaſiam ſui Amaſio: ad illud autem quod dicebatur, de amplificatione ſui nominis inter Pictrices, cum ſit nullius momenti, non immoramur; conſtat enim evidenter, hoc futile motivum non poſſe cohoneſtare actionem illicitam, abutendo arte pictoria ad fovendos turpes amores in dictis imaginibus; & ſic ſtat firmum, Confeſſarium in facta hypotheſi debere conſulere Monialem, ut in poſterum abſtineat effigiare hujuſmodi mulieres, veluti ab occaſione proxima voluntaria peccandi, ſibi, & proximo ſuo, quia ſi Chriſtus Dominus dixit: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo*: ut plurimùm de hujuſmodi mulierum imaginibus ad minus verificatur quod ſcripſit *Bernardus*: *Si culpa non eſt, culpa tamen occaſio eſt*.

Monia-

Monialis ex gravioribus inter Profeſſas ejuſdem Monaſterii ultra montes obſervavit homines Piſtores ad conficiendum Panem pro Monialibus, currente hyeme, introduci ante ortum Solis in clauſuram Monaſterii. Electa eadem Monialis in Abbatiſſam dubitans, an eorum ingreſſus pro tali tempore licitus ſit, conſulit pro ſui conſcientia Confeſſarium.

Quæritur Judicium Confeſſarii.

RESOLUTIO XXII.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Abbatiſſam poſſe permittere Piſtoribus ingredi clauſuram ante ortum Solis,*

2 *Quia dies aliquando ſunt breves, & multum temporis requiritur ad conficiendum Panem;*

3 *Maximè cum urgeat gravis neceſſitas:*

4 *Ulteriùs ſicuti Medici, & Chirurgi poſſunt, urgente neceſſitate, vel media nocte ingredi clauſuram, ita &c.*

5 *Et præſertim in contingentia antiquatæ conſuetudinis, quòd ingreſſi fuerint ante ortum Solis;*

6 *Et denique pro bono pacis unius, vel alterius Monialis.*

7 *Quibus rejectis, reſolvitur, Abbatiſſam conſulendam eſſe ad non permittendum hujuſmodi ingreſſum in clauſuram ante ortum Solis,*

8 *Quia agitur de materia valde delicata;*

9 *Nec datur locus Epichejæ rationabili, ut apparet ex verbis ipſis in* Ordinationibus pro Monialibus.

10 Se-

Digitized by Google

10 *Secus verò ſe habent verba in licentiis Medicorum, Chirurgorum &c.*

11 *Adde, quòd licentia conceſſa Piſtoribus ingrediendi clauſuram eſt nulla ante ortum Solis.*

12 *Aliter docendo Confeſſarius peccaret, & quidem graviter.*

13 *Satisfit primo objecto, negando ſuppoſitum, & aſſignatur, quomodo poſſent Moniales ſe gerere in hac re.*

14 *Ad ſecundum, dato antecedente, negatur conſequentia, cum non ſit utrobique par ratio.*

15 *Nec tandem admitti debet tanquam antiquata conſuetudo, cum potiùs dicendus ſit abuſus contra obſervantiam clauſuræ, & mentem Ordinarii.*

16 *Et querimoniæ unius, vel alterius Monialis forent injuſtæ.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Piſtores, ſuppoſita licentia Epiſcopi, poſſe ingredi clauſuram Monaſterii, urgente neceſſitate conficiendi panem pro Monialibus; cum autem ad conficiendum panem multum tempus ſoleat impendi, ut conſideranti conſtat, &, currente hyeme, quando dies breves ſunt, non adſit tempus ſufficiens ante prandium ad
2 coquendum panem ab ortu Solis ad ipſum prandium; hinc eſt, quòd Piſtores licitè ingredi poſſint clauſuram Monaſterii ante, & multò ante ortum Solis, ſaltem tempore hyemali, & propterea Confeſſarius in ferendo ſui judicio poſſet conſulere præfatam Abbatiſſam, ut permitteret Piſtoribus ingredi clauſuram Monaſterii ante ortum Solis; urgente ſiquidem gravi
3 neceſſitate hujuſmodi ingreſſus, reputatur undequaque licitus, juxta illam regulam: *neceſſitas non habet regulam.*

4 Secundò, ſicuti Medici pro curandis Monialibus infirmis, & Chirurgi ad minuendum ſanguinem Moniali ægrotanti poſſunt, & quidem licitè, non ſolùm ante ortum Solis, ſed etiam media nocte ingredi clauſuram Monaſterii, non alia ratio-

tione, niſi quia urget neceſſitas præſcribendi pharmaca, mi-
nuendi ſanguinem, non omnibus Monialibus, ſed uni dum-
taxat Moniali, ne pereat, ita ſimiliter poterunt Piſtores ingre-
di ſepta Monaſterii, urgente neceſſitate conficiendi panem
tempore opportuno, hoc eſt ante ortum Solis pro parando
5 prandio totius Communitatis Monialium;& præſertim in con-
tingentia antiquatæ conſuetudinis, quòd fuerint ingreſſi an-
te ortum Solis: & in contingentia etiam, quæ ſanè dedit oc-
caſionem inſtituendi præſentem Reſolutionem, ſi variando
tempus eorumdem Piſtorum ingreſſus uſque ad ortum Solis,
6 orirentur querimoniæ unius, vel alterius Monialis; unde, ſal-
tem in hujuſmodi contingentia, videtur, Confeſſarium, ex illo
dicterio ſatis trito in clauſtris, cum detrimento tamen multo-
ties regularis Diſciplinæ, hoc eſt pro bono pacis, poſſe move-
ri ad conſulendam præfatam Abbatiſſam, ut permittat Piſto-
ribus tanquam licitum antiquatum ingreſſum in clauſuram
ante ortum Solis pro bono pacis unius, vel alterius Monialis.
7 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, præfatum Confeſ-
ſarium in contingentia facti teneri conſulere, Abbatiſſam nul-
lo modo permittere Piſtoribus ante ortum Solis ingredi clau-
ſuram Monaſterii; & ratio eſt, quia ex una parte quando agi-
tur de clauſura Monialium, clamant *Moraliſtæ*, & *Canoniſtæ*
8 omnes, agitur ſemper de materia valde, delicata, & pe-
riculoſa, ideòque omni majori circumſpectione tractanda,
& ex alia parte in caſu ſuppoſito non datur locus epichejæ ra-
9 tionabili, nempe interpretandi voluntatem concedentis li-
centiam pro eorum ingreſſu, poſſe fieri ante ortum Solis; quan-
doquidem in Monaſteriis Bononiæ voluntas Superioris clarè
expreſſa omnibus Abbatiſſis pro omnibus Operariis deputatis
ad opera ſervilia, & laborioſa intra clauſuram, ut habetur in
*Ordinationibus pro Monialibus Eminentiſſimi Archiepiſcopi ſub nu-
mero vigeſimo*, non poteſt abſolutè interpretari in alium ſenſum
ab eo, quem verba ſonant, qui ſonus, & quæ verba ſunt hu-
juſmo-

juſmodi: *le perſone, che entrano in clauſura per neceſſità del Mona-
ſtero, e con licenza in iſcrittto, non entreranno prima del levar del So-
le*: quibus verbis clariſſimè conſtat, mentem, & voluntatem
Superioris concedentis licentiam ingrediendi clauſuram eſſe
cum præſcriptione temporis determinati pro ingreſſu, & non
aliter, nec alio modo, loquendo de hujuſmodi Operariis ad
præſtanda ſervitia laborioſa, dico de hujuſmodi Operariis,
10 quia in caſu de Confeſſario, Medico, & Chirurgo licentia eo-
rum ingreſſus non reſtringitur ad ortum Solis, ſed ampliatur
ad quodlibet tempus die, noctuque, urgente neceſſitate Mo-
nialis infirmæ pro ſuſcipiendis Sacramentis, aut pro curanda
ejus infirmitate periculoſa. Inſuper non poteſt Abbatiſſa per-
mittere Piſtoribus ingredi clauſuram Monaſterii ante ortum
Solis, non ſolùm quia non urget tanta neceſſitas, quanta re-
quiritur ad poſſe ingredi licitè; hoc enim pendet à judicio Su-
perioris, à quo debet approbari cauſa tanquam legitima ingre-
diendi, ſed etiam quia licentia data pro tali circumſtantia tem-
11 poris, hoc eſt poſt ortum Solis actuanda, & non aliter ante or-
tum Solis, perinde ſe habet ac verè nulla, juxta illam regulam,
qua propoſitio poteſt tranſire de vera in falſam, mutato tem-
pore, cujuſmodi eveniret de dicta licentia Superioris, quæ fo-
ret valida, verificato tempore, pro quo data fuit, & nulla,
variato per illius abuſum tempore determinato ab eodem Su-
periore, cujus eſt unicè in hac materia concedere ingreſſum
clauſuræ quoad ſubſtantiam, illumque quoad modum circum-
ſtantiare, prout ſibi videtur in Domino expedire: Cum autem
Abbatiſſa nequeat permittere ingreſſum non habentibus ve-
ram licentiam, & niſi juxta mentem, & voluntatem Superio-
ris illam concedentis, evidenter infertur, præfatum Confeſ-
ſarium teneri conſulere illam, ne permittat Piſtores ingredi
12 ante ortum Solis clauſuram Monaſterii; ſecus, conſulendo di-
verſimodè, Confeſſarius peccaret graviter, quia docendo
doctrinam falſam fieret reus illorum ingreſſus illiciti, ratione

circumſtantiæ temporis non permiſſi ad ingrediendum, & ratione abuſus ejuſdem licentiæ, cujus abuſus eſt peccatum mortale; nam Eminentiſſimus Archiepiſcopus in hujuſmodi licentiis monet Operarios hujus generis, quòd ſi abutantur licentia ſibi data pro ingreſsu in clauſuram, noverint, ſe incurrere excommunicationem reſervatam Summo Pontifici, non ſecus ac ingredientes ſinè ulla licentia Monialium clauſuram: cum autem hæc pęna graviſſima non afficiat niſi propter grave peccatum, inde eſt, quòd abuſus hujuſmodi licentiæ ſit peccatum mortale, & ſic Confeſsarius fieret particeps ejuſdem peccati lethalis, utpote cauſa, vel concauſa illius ingreſsus illiciti, quotieſcumque conſuleret præfatam Abbatiſsam, ut daret manum Piſtoribus pro ingreſſu ante Solis ortum in clauſuram, quia in hypotheſi ad theſim vocata ſunt attendenda æquè primò hæc duo, nempe ingreſſus, & tempus ingreſſus, eò quòd tempus, ut ex verbis concedentis licentiam non fuit adjectum incidenter, ſed fuit appoſitum æquè principaliter, & cumulativè à Superiore approbante ipſum ingreſſum taliter, & non aliter.

13 Ad primum igitur negatur ſuppoſitum; non enim in caſu præſenti urget tanta neceſſitas ingrediendi clauſuram Monaſterii quanta ſupponitur; vel dari poteſt, poſse variari tempus præſcriptum Piſtoribus ad ingrediendum ſepta Monialium, cum ſinè ullo minimo damno reali Monaſterii, & ullo abſque præjudicio, & incommodo ipſarum Monialium differri poſſit eorum ingreſſus uſque ad ortum Solis; tunc enim, paratis in veſperis diei antecedentis quæ paranda ſunt ad conficiendum panem, cæteriſque neceſsariis ad fornacem ſpectantibus, adeſſet tempus ſufficiens ad coquendum panem pro prandio, & ſi non pro prandio, ſaltem pro cęna ejuſdem diei, & nulla urget neceſſitas, quòd habeatur ille panis potiùs pro prandio, quàm pro cęna, cum non ſit novum in clauſtris, quòd Moniales panem coctum die Lunę v.g. comedant in diē ſequentem Martis,

& ul-

Digitized by Google

& ultra: nulla autem urgente neceſſitate pro ingreſſu Piſtorum ante ortum Solis in clauſuram Monaſterii, ingreſſus eorumdem pro tali tempore eſſet illicitus, maximè quia in ipſorum licentia data à Superiore non excipiatur tempus hyemale ab obſervantia temporis præſcripti, ad quod reſtricta eſt licentia, nempe ut non ingrediantur ante ortum Solis; & hinc facilè intelligitur, præfatum Confeſsarium non debere, nec poſſe Abbatiſſam conſulere, ut permittat illos ingredi, nec multò, nec paulò ante ortum Solis: quandoquidem in materia clauſuræ, ſuper qua Prælati ſe oſtendunt ſatis zelantes, debent Abbatiſsæ omni majori cautela ſe gerere, ne ullus introducàtur abuſus, & ſi qui ſunt, illos amovere.

14 Ad ſecundum, dato quòd aſserebatur de Confeſsario, Medico, & Chirurgo, negatur illatio, cum caſus de iſtis ſit valde diverſus ab eo, qui dicitur de Piſtoribus: & in primis obſervandum eſt id, quod communiter docent *Auctores* de Confeſsario, Medico, & Chirurgo, quòd poſſint nempe omnes iſti in quibuſdam contingentiis ingredi clauſuram Monialium, non expectata licentia Prælatorum, eò quòd non adſit tempus eos adeundi pro approbanda cauſa tanquam legitima ad ingrediendum, ut ſi contingeret, aliquam Monialem ex caſu furtivo, & inexcogitato conſtitutam eſse in evidenti, & proximo diſcrimine vitæ: tunc enim non ſolùm Confeſsarius, Medicus, & Chirurgus ordinarii, ſed etiam quilibet Confeſsarius, immo etiam quilibet ſimplex Sacerdos, & quilibet Medicus, & Chirurgus licitè ingrederentur, quia in illo caſu per epichejam interpretaretur, Superiorem non eſse rationabiliter invitum, immo conſentire, prout poſtulant Juſtitia ſui muneris, & Charitas ad proximum. Dein Superiores in concedendis licentiis ingrediendi clauſuram Monaſterii Confeſsario, Medico, & Chirurgo non limitant tempus, veluti faciunt pro reliquis Operariis: illis enim concedit poſse ingredi die, noctuque pro quolibet die, etiam feſtivo, & quacumque hora, & toties quo-

 ties

ties urget neceſſitas eorum miniſterii, quod totum non permittitur aliis Operariis, ut notant communiter *Auctores*, immo eiſdem prohibetur propter illam Clauſulam limitativam temporis ad ingrediendum, ut ſupra.

Ad illud autem, quod addebatur de parando prandio ſatis fuit dictum in ſuperioribus: & ad abundantiam dicitur, hoc poſse reparari in die antecedenti prævidendo, & providendo ab Officialibus neceſsaria pro prandio ſequentis diei, & differri panem coctum ad cęnam Monialium ejuſdem diei: ad illud
15 verò, quod dicebatur, ſervandam eſse antiquatam conſuetudinem, Piſtores ingredi ante ortum Solis, reſpondetur, tollendam eſse omnimodè tanquam peſſimum abuſum contra obſervantiam clauſuræ, & contra expreſsam voluntatem Ordinarii, etiamſi conquereretur una, vel altera Monialis, quia hujuſmodi querimoniæ forent injuſtæ, & etiam ſcandaloſæ cæteris Monialibus, quibus vera pax eſt, ut ajebat *Divus Leo Magnus* à
16 Dei voluntate non dividi, hoc eſt à voluntate Superiorum ſuorum recedere: quibus firmatis &c. evidenter conſtat &c.

Monia-

Monialis, recurrente ſolemnitate omnium Sanctorum audivit ſacram Concionem ſuper Virtutibus Theologicis Fidei, Spei, & Charitatis, & hinc deſumit occaſionem quærendi à ſui Confeſſario; an, quando, & quomodo teneatur actus Fidei, Spei, & Charitatis elicere; itaque

Deſideratur Reſponſio adæquata Confeſſarii.

RESOLUTIO XXIII.

SUMMARIUM

1 *Videtur Confeſſarius poſſe conſulere Monialem, dicendo quòd ſufficit, ut ſemel in vita eliciat actum Fidei.*

2 *Quod à ſimili probatur.*

3 *Similiter poſſet docere de actu Spei, cum nullum adſit præceptum iterandi talem actum,*

4 *Et ſimiliter poſſet docere de actu Charitatis.*

5 *Vel poſſet admonere Monialem, ut eliciat actus Fidei, Spei, & Charitatis quinto quoque Anno uſque ad ſui mortem, & hoc pro majori ſui cautela, & quiete;*

6 *Contrarium tamen ſentimus,*

7 *Et dicimus, Monialem admonendam eſſe teneri ſub pęna peccati lethalis ad eliciendos hujuſmodi actus ſemel in Anno, & quoties urget neceſſitas;*

8 *Quia ſi Monialis, ut cęteri fideles, tenetur ex præcepto Eccleſiæ ad Confeſſionem Sacramentalem ſemel in Anno, ſequitur, ipſam quoque teneri ad eliciendos actus Theologicos ſemel in Anno.*

9 *Vide*

Digitized by Google

9 *Vide, quomodo hoc totum ex præmiſſis tam certis clariſſimè inferatur.*

10 *Immò Moniales videntur teneri ad hos actus, quoties accedunt ad Sacramentum Altaris.*

11 *Ad primum refellitur reſponſio Confeſſarii tanquam erronea, & damnata ab* Innoc. XI.

12 *In eo, quod addebatur de Vaſſallo, non currit paritas cum noſtro caſu.*

13 *Ad ſecundum negatur totum ratiocinium, applicando ſuperiùs dicta.*

14 *Ad tertium reſpondetur, negando quidquid ibi opponebatur, cum conſtet, eſſe valde probabile, quòd quilibet Fidelis teneatur actum Charitatis elicere ſemel, ſaltem ſingulis Annis; ergo &c.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, ne detur locus ſcrupulis, dato in primis tanquam certiſſimo, quòd ſit neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem credere myſteria Fidei, juxta illud Chriſti Domini apud *Marcum ultimo, Euntes in Mundum univerſum, prædicate &c. qui crediderit ſalvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur*, poſſe Confeſſarium reſpondere
2 Moniali, ſe ipſam teneri ad eliciendum actum Fidei ſemel in vita ſua; ideòque, ſemel emiſſo actu Fidei circa myſteria credenda ad ſalutem, nullo modo ampliùs obligari ad ipſum actum eliciendum, ad ſimilitudinem illius Vaſſalli, qui, ſemel emiſſo juramento de fidelitate obſervanda Principi ſuo, non tenetur, nec ſolet obligari ampliùs renovare idem juramentum; vel, ut obſervatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* cum Clerico proviſo de aliquo Beneficio curato, qui ſemel tantùm in vita ſua emittit profeſſionem Fidei.

3 Secundò in ordine ad actum Spei videtur, Confeſſarium poſſe reſpondere pro quiete conſcientiæ Monialis, ſemel emiſſo in vita ſua actu Spei Theologicæ, quatenus ſi aliquando

pro

Digitized by Google

pro una vice dumtaxat ſperaverit in Deo, & à Deo ipſo beatitudinem, remiſſionem peccatorum, & cætera omnia neceſſaria ad ipſam beatitudinem, & remiſſionem peccatorum, non eſſé ampliùs opus ad ſalutem animæ illum replicare: videtur namque diſcurrendum eſſe de obligatione actus Spei eodem modo, quo fuit dictum ſuperiùs de actu Fidei; maximè quia nullum extat præceptum obligans fideles ad iterandum hujuſmodi actus Fidei, & Spei.

4 Tertiò ſimiliter idem Confeſſarius, ad tollendos omnes ſcrupulos illi Moniali, poſſet reſpondere, ipſam teneri quidem ad eliciendum actum Charitatis erga Deum, urgente illo præcepto Divino in *Deuteronomio cap. 6.*, & apud *Matth. 22. Diliges Dominum Deum*, non tamen teneri ad eliciendos plures hujuſmodi actus, cum non adſit præceptum obligans ad pluralitatem eorundem; quod ſanè cum applicari poſſit etiam pro actibus Fidei, & Spei, videtur inferri pro quietanda conſcientia præfatæ Monialis, Confeſſarium poſse reſpondere unico verbo ad ejus plura quæſita in facta hypotheſi, dicendo, teneri quidem ad eliciendos actus Fidei, Spei, & Charitatis pro unica vice in vita ſua, ſed pro majori cautela, & plena quiete ſuæ
5 conſcientiæ, ut eoſdem eliciat quinto quoque Anno uſque ad ſui mortem.

6 His minimè obſtantibus, Reſolvo, Confeſſarium in contingentia facti debere pro adæquata reſponſione docere Monialem, teneri ſub pęna peccati lethalis ad eliciendos actus Fidei,
7 Spei, & Charitatis ſaltem ſemel in Anno, & toties quoties urget neceſſitas illos elicere: & ratio eſt, quia ſi Monialis, veluti
8 cæteri fideles, tenetur ex præcepto Eccleſiaſtico ad Confeſſionem ſacramentalem, ſaltem ſemel in anno pro tempore determinato ab ipſa Eccleſia, ſequitur & ipſam teneri ad actus Fidei, Spei, & Charitatis ſaltem ſemel in Anno: quandoquidem hujuſmodi actus ſunt neceſſariò connexi cum ſacramentali Confeſſione, non enim quis poteſt conteri de peccatis
9 ſuis,

ſuis, ut illa confiteatur validè ſacramentaliter, niſi credat; Deum illa peccata ſibi poſſe remittere; unde *Tridentinum ſeſs. 6. cap. 6.* docet, actum Fidei enumerari inter diſpoſitiones requiſitas ad gratiam ſacramentalem: de duobus autem neceſſariò connexis volito uno, intelligitur etiam volitum & aliud: Obligat igitur præceptum Eccleſiaſticum ad Confeſſionem ſacramentalem, ſaltem ſemel in Anno; ergo pariter obligat ad actum Fidei ſaltem ſemel in anno, cum haberi nequeat vera contritio annualis pro Sacramento Pęnitentiæ ſinè fide actuali, ut docent *Suarez*, *Sanchez*, *Palaus*, *Ovviedo*, *Bonacina*, & *Leander*, quos citat *Giribaldus tract. 4. in 1. præcept. Decal. de virtute, & neceſſitate Fidei dub. 5. nu. 41.*, & ex hucuſque dictis clarè colligitur, fideles omnes, & in caſu noſtro præfatam Monialem teneri ſaltem ſemel in Anno ad eliciendum actũ Spei, quia ſi tenetur ſaltem ſemel in anno ad ſacramentalem Confeſſionem, ad quam ritè agendam requiritur neceſſariò actus Fidei, ut ex modò dictis, ſtatim reſultat, teneri etiam ad eliciendum ſimul, & eodem tempore actum Spei, cum pœnitens confiteatur peccata ſua, quia credit, poſſe ſibi remitti virtute clavium à Deo, & ab eodem Deo ſperet in remiſſionem peccatorum gratiam, & gloriam: ſic diſcurrendum ſimiliter de actu Charitatis, quia ſi omnes tenemur ſub gravi confiteri ſacramentaliter, ſaltem ſemel in anno, & ad Confeſſionem ſacramentalem requiritur actus Contritionis perfectæ, vel imperfectæ, inde habetur, juxta illam regulam; *de duobus neceſſariò connexis volito uno, eſſe volitum & aliud*, quod præceptum obligans ad Confeſſionem ſacramentalem, ad quam requiruntur actus Fidei, Spei, & Charitatis, obliget etiam pro eodem tempore, & quidem ſub eadem pęna ad ipſos actus earundem virtutum Fidei, Spei, & Charitatis, & ſic ſaltem ſemel in Anno.

10 Præterquamquod cum *Tridentinum ſeſs. 25. cap. 10. de Regul. & Monial.* moneat Epiſcopos, & omnes Superiores, ut diligenter

Digitized by Google

ter attendant, ſuas Sanctimoniales ſaltem ſemel ſingulis menſibus Confeſſionem ſacramentalem facere, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipere, clarè conſtat, præfatum Confeſſarium, inhærendo huic diſpoſitioni *Tridentini* debere docere Monialem, propter ſuperiùs dicta, & urgente *Tridentino* de Confeſſione ſacramentali facienda, & Euchariſtia ſumenda, ſaltem ſingulis menſibus, ſe teneri elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis non ſolùm ſemel in Anno, ſed etiam ſingulis Menſibus; & inſuper cum fuerit introducta ſanctiſſima conſuetudo circa frequentationem utriuſque Sacramenti pœnitentiæ, & Euchariſtiæ apud Moniales Bononiæ, quæ ſolent confiteri, & communicari non ſolùm in omnibus diebus feſtivis de præcepto, verùm etiam recurrentibus iis ex pura devotione, immo & in pluribus Feriis cujuslibet hebdomadæ, idem Confeſſarius deberet conſulere, præfatam Monialem teneri ad actus Fidei, Spei, & Charitatis toties quoties accedit ad Sacramenta, & propterea non ſemel tantùm in anno, ſed pluries & pluries in dies, ſicut orare debet pluries quotidie pro ſuis neceſſitatibus ſpiritualibus, & temporalibus Deum, quem credit remuneratorem; Deum, à quo ſperat remunerationem, & Deum, quem diligit ut ſui ultimum finem infinitè diligibilem.

11 Ad primum igitur, dato, ut dicebatur, actum Fidei eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, quia ſinè Fide impoſſibile eſt placere Deo, ut ſcripſit *Apoſtolus ad Hebr.* 11. & ut antea dixerat *Chriſtus Dominus*: *qui non crediderit condemnabitur*, quæ omnia traduntur tanquam certiſſima in Eccleſia Catholica *ab omnibus Conciliis*, ut notant *Auctores*, & præſertim *Giribaldus tract.* 4. *in* 1. *præcep. Decalog. cap.* 1. *de virtute*, *& neceſſitate Fidei dub.* 2. *nu.* 12., negatur tamen, Confeſſarium poſſe, aut debere reſpondere Moniali, teneri elicere actum Fidei pro una vice dumtaxat in vita ſua, cum hujuſmodi opinio tanquam erronea *Anno* 1679. *die* 2. *menſis Martii* fuerit damnata

S ab

Digitized by Google

ab *Innocentio XI.* quæ eſt *in ordine numero* 17. ſub iſtis terminis: *Satìs eſt, actum Fidei ſemel in vita elicere.* ſicut & alia huic conſimilis *numero* 65. *Sufficit illa myſteria*, hoc eſt Trinitatis, & Incarnationis *ſemel credidiſſe*: qua reprobatione poſita, ſtatim evincitur, præfatum Confeſſarium non debere, nec ullo modo reſpondere poſſe, Monialem non teneri elicere actum Fidei tantummodo ſemel in vita ſua: cum idem *Innocentius* in virtute Sanctæ Obedientiæ ſtrictiſſimè prohibuerit, ne prædictæ opiniones deducantur ad praxim: ad illud autem, quod allatum
12 fuit de juramento Vaſſalli ſemel dato proprio Principi non iterari ampliùs: reſpondetur in primis, paritatem non currere, quia juramentum de fidelitate ſemel datum non datur ampliùs, quia Princeps non ſolet illud de novo exigere; in caſu autem noſtro quiſque Chriſtifidelis tenetur replicare actus Fidei in pluribus contingentiis ſuſcipiendi Sacramenta, vel orandi, & alia opera ſalutaria faciendi: dein poſſet dici, quod ſicut Princeps, urgente aliqua cauſa, & toties quoties cauſa urgeret, poſſet exigere iterum, atque iterum novum juramentum à Vaſſallo, ita etiam urgente cauſa, & Divino præcepto, Deus Rex Regum poteſt exigere novos actus Fidei a præfata Moniali, & ſic ipſam teneri elicere pluries, & pluries, ut adnotavimus ſuperiùs. Id autem, quod addebatur de profeſſione Fidei emiſſa à Clerico, retorquetur in favorem Reſolutionis, quia ſicuti Clericus Curatus, emiſſa profeſſione fidei, tenere tur illam denuo emittere, ſi fieret Canonicus, & de Canonico Epiſcopus, ut colligitur ex *citato Tridentino*, ita ſimiliter in caſu noſtro, diſcurrendo de actu Fidei toties quoties urget præceptum, quod ſemper urget in caſibus, prout dictum fuit ſuperiùs.

13 Ad ſecundum negatur apertè totum ratiocinium, cum certiſſimum ſit, dari præceptum affirmativum Spei, quo per ſe, & directe obligantur omnes fideles ſperare in Deo, & à Deo beatitudinem æternam, remiſſionem peccatorum, & omnia neceſ-

Digitized by Google

neceſſaria ad utramque conſequendam: quamobrem *Alexander VII.* damnavit illam erroneam propoſitionem *ſub. nu.* 1. nempe. *Homo nullo unquam tempore vitæ ſuæ tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Et ſic applicando ſuperiùs dicta de actibus Fidei ad actus Spei deducitur, præfatam Monialem teneri ad plures, & plures actus Spei, quemadmodum ad actus Fidei.

14 Ad tertium ſimiliter ex dictis negatur in integrum totum id, quod opponebatur contra Reſolutionem, non ſolùm propter jam dicta de actibus Fidei, & Spei, quæ ſunt applicabilia pro actibus Charitatis, ſed etiam quia, ut docent *Giribald. loc. cit. dub.* 2. *de charitate nu.* 17. *& alii*, Chriſtifidelis tenetur elicere quando debet de peccatore fieri juſtus per contritionem, vel quando urget tentatio gravis in contrarium, quæ alio modo ſuperari non poteſt; in articulo mortis, & ſæpius etiam in vita, nec differri poſſit ultra quinquennium, & ſic valde probabile, quòd quilibet fidelis teneatur actum Charitatis elicere ſemel ſaltem ſingulis annis: quòd ſi hoc aſſeritur de ſimplici Chriſtifideli, à fortiori tenendum eſt de præfata Moniali: quibus omnibus tandem in confirmationem Reſolutionis poſſent addi propoſitiones reprobatæ, & condemnatæ ab *Innoc. XI. quinta, ſexta, & ſeptima*: quinta nempe *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret condemnare non audemus*. Sexta *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum*. Septima, *Tunc ſolùm obligat quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus*. Quibus ita firmatis, & confirmatis, habetur qualis deberet eſſe reſponſio adæquata Confeſſarii danda præfatæ Moniali.

Monialis in Monaſterio, ubi non viget vita verè communis, emiſit profeſſionem, nulla reſervata ſibi penſione: tractu temporis infirmata cum diſcrimine vitæ multa incommoda paſſa eſt, ex defectu pecuniæ ad ſui uſum, dein ſanata furata eſt Monaſterio dietim multa modica ad faciendum unum ſatis pro indigentiis, occurrente alia infirmitate, & tunc conſulit Confeſſarium pro ſalute animæ ſuæ.

Deſideratur ſana doctrina Confeſſarii.

RESOLUTIO XXIV.

SUMMARIUM

1 *Videtur Confeſſarius poſſe docere, Monialem licitè ſe geſſiſſe,*
2 *Quia, attentis circumſtantiis, videtur conſtituta in gravi, & extrema neceſſitate.*
3 *Et ſicuti Filiusfamilias patri, Uxor marito licitè furari poſſunt pro ſuis indigentiis, ita Monialis &c.*
4 *Præſertim cum antea teneretur gravia incommoda perpeti.*
5 *Non obſtantibus his, reſolvendum eſt, Monialem graviter peccaſse, non ſolùm quando per plura furtula pervenit ad materiam gravem, ſed etiam in primo furto patrato, animo faciendi alia furtula, uſque ad materiam gravem;*
6 *In hoc enim haberet animum inferendi grave malum tertio,*
7 *Et retinendi eadem furta pro ſe, invito Monaſterio; quod eſt contra Juſtitiam.*
8 *Inſuper seriò conſideranti Monialis iſta apparebit proprietaria.*
9 *Concludimus, obligandam eſse ad reſtitutionem.*
10 *Primum objectum diluitur, negando ſuppoſitum, & totum ratiocinium,*

11 *Quia*

Digitized by Google

11 *Quia non licet alienum ſurripere pro futura neceſſitate.*

12 *Negatur, quòd hæc Monialis poſſit dici conſtituta actualiter in gravi neceſſitate, & quòd in tali neceſſitate liceat furari.*

13 *Satisfit ſecundo, negando illationem, quia Pater, & Maritus reſpectivè non cenſentur inviti; ſicuti probatur, invitum fore Monaſterium in caſu noſtro.*

1 PRo Reſolutione videtur, Confeſſarium docere poſſe præfatam Monialem, licitè ſe geſſiſſe, quandoquidem hujuſmodi Monialis recogitans multa, & gravia incommoda in præterita ſua infirmitate toleraſse, propter deficientiam pecuniæ ad ſui uſum, & volens conſulere ſuis indigentiis in futurum, ſi denuo infirmaretur, reputatur conſtituta in gravi, vel etiam in extrema neceſſitate. Quando autem verificatur eſse in gravi, vel extrema neceſſitate, ſurripiens multa modica Monaſterio ſuo, ad faciendum unum ſatis pro ſuis indigentiis in futurum, videtur licitum agere, juxta illam regulam; *omnia bona eſse communia, urgente gravi, & extrema neceſſitate*, veluti eſset in ſtatu gravis infirmitatis.

3 Secundò, ſicuti Filiusfamilias adoleſcens pro ſuis indigentiis ad veſtitum, immo etiam ad aliquam recreationem honeſtam, poteſt licitè furari patri ſuo aliquam pecuniam; & ſimiliter Uxor poteſt accipere pro victu, veſtitu, cæteriſque ſibi neceſsariis, inſcio marito, pecuniam, ſibi bene viſam, ita etiam præfata Monialis videtur, quòd poſſit furtivè accipere à ſui Monaſterio tantum, quantum judicat, ſibi fore neceſsarium pro infirmitate, quam timet futuram, ad reparanda gra-
4 via incommoda, quæ aliàs tulit infirma, cum diſcrimine vitæ; & præcipuè ex hoc, quòd non habens peculium ad ſui uſum non habebat copiam Medici, & Chirurgi, toties quoties ſibi opus erant, unde coacta fuit tolerare graves moleſtias animi, & corporis, à quibus itaque volens ſe præſervare in futurum, viden-

videntur ſibi licita eſse illa modica furta, uſquedum conſti-
tuant unum ſatis pro expenſis neceſsariis ad ſui curam corpo-
ralem in contingentia alterius infirmitatis; quod quidem poſ-
ſet dici conſonum Legi naturæ pro conſervatione individui.
5 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Confeſsarium, in
contingentia facti, debere, & teneri docere præfatam Mo-
nialem, illicita eſse illa modica furta ſub gravi, non solùm
quando de facto coaleſcunt in unum ſatis pro indigentiis fu-
turæ infirmitatis, hoc eſt quando ex dictis furtulis actu habe-
tur materia gravis, ſed etiam ab initio eſse peccatum mortale
primum furtum factum, animo faciendi alia furtula uſque-
dum coaleſcant in materiam gravem, qualis eſset totum ab-
latum à Monaſterio ſufficiens pro indigentiis futuræ infirmita-
tis, ut patet conſideranti, neceſsaria pro curandis infirmis; &
ratio, cur etiam primum furtulum, actum animo faciendi alia
furtula, ſit illicitum ſub lethali, datur communiter ab *Aucto-
ribus*, ut notat *Giribaldus tract.* 12. *in* 7. *præceptum Decalogi cap.
unico de furto dub.* 3. *nu.* 25. quia, inquiunt, committens pri-
mum furtulum, animo furandi uſque ad quantitatem gravem,
6 habet animum inferendi grave malum tertio; quando autem
habetur intentio,& animus paratus ad committendum malum
grave, ſtatim intelligitur adeſse grave peccatum, quia ma-
lum volitum cum plena advertentia, eſt peccatum in eo gene-
re, in quo eſt, ita quòd, ſi ſit in ſe malum grave, vel leve, ſit
ſimiliter peccatum mortale, vel veniale; & propterea Monia-
lem in contingentia facti, committendo illud primum furtu-
lum, animo parato ad furandum, uſque ad quantitatem gra-
vem, juxta exigentiam pro indigentiis futuræ infirmitatis,
quam timet, conſtat evidenter, fieri ream culpæ gravis: præ-
7 ſertim, quia habet animum retinendi omnia illa furtula, ex
quibus conſurgit quantitas gravis, juxta illam regulam: *multa
modica faciunt unum ſatis*; & habendo hunc animum illa reti-
nendi, jam rea peccati lethalis contra Juſtitiam, eò quòd
abſtu-

abſtulerit illam quantitatem gravem in commiſſis furtulis, ſuo Monaſterio rationabiliter invito; fit etiam rea vitio proprieta-
8 tis contra ſui votum paupertatis, quandoquidem Monialis profeſſa reputatur proprietaria ſtatim ac independenter à voluntate Superiorum, clandeſtinè retinet apud ſe aliquid excedens parvitatem materiæ, animo diſponendi diſpoticè ſinè licentia Superiorisſæ, ut eveniret in caſu propoſito, cum ſupponatur, præfatam Monialem non velle aperire turpitudinem ſuam de furtis commiſſis, & velle iiſdem uti pro indigentiis, tempore infirmitatis, tanquam ſi eſſet peculium ſibi permiſ-
9 ſum, veluti cæteris Monialibus. Quibus ſic ſtantibus, hoc eſt, quòd prava intentio Monialis, habita in committendis pluribus furtulis, immo etiam in primo furtulo, faciat ipſam Monialem ream peccati mortalis, ſtatim dignoſcitur, ejus Confeſſarium teneri ſub gravi docere illam, ſe commiſiſſe peccatum mortale, & propterea ipſam obligare ad reſtitutionem faciendam Monaſterio, & ita docent *Moraliſtæ*, inquit *Giribaldus loc. cit. nu. 18. & 25.*, *qui* citat *Lugum de Juſt. diſp. 16. ſect. 3. nu. 36. Sanch. in ſum. tom. 2. lib. 7. cap. 21. nu. 7. Bonacinam de Contr. diſp. 2. quæſt. 8. punct. 2. nu. 4. Anton. à Spiritu Sancto diſp. 6. nu. 222.*

10 Ad primum igitur, in primis negatur ſuppoſitum, hoc eſt, Monialem, tunc temporis bene valentem, conſtitutam eſſe in gravi, aut extrema neceſſitate pro indigentiis infirmitatis, quæ adhuc non extat: dein negatur etiam totum ratiocinium, eò quod, quamvis liceat ſurripere alienum in actuali extrema neceſſitate, non eſt tamen licitum hoc idem agere pro futura,
11 non tamen certò futura neceſſitate, ſecus homines puſillanimes, & parum confidentes in Divina providentia, quæ in dies conſulit indigentiis tot irrationabilium, volatilium, quadrupedum, & aquatilium, immo & vegetabilium, pauperes bonis fortunæ fierent fures, ad reparanda majora incommoda in Senectute, & præſertim pro infirmitatibus, in quas timent incidere, quod non eſt licitum, cum ſit contra Jus naturale, &

con-

Digitized by Google

contra *ſeptimum præceptum Divinum*: Non exiſtente igitur actuali neceſſitate extrema, nullo modo eſt licitum aliena ſurripere, quia ceſſante illa, ceſſat jus aliena furandi, ſicuti illa exiſtente, quæ facit omnia communia, datur cuilibet jus illa accipere, quæ ſunt ſimpliciter neceſsaria ad vitæ conſervationem; quod in communi ſententia *Doctorum* eruitur ex *cap. exiit* §. *Ne quidquã de verb. ſignific. in* 6. ubi habetur: *Nec jure poli in extrema neceſſitatis articulo ad providendum ſuſtentationi naturæ via omnibus extrema neceſſitate detentis, conceſſa præcluditur: cum ab omni lege extrema neceſſitas ſit exempta*. Ad illud autem, quod dicebatur de gravi neceſſitate, facilè reſpondetur negativè, cum habeatur in contrarium *Decretum Innoc. XI.* qui damnavit illam *propoſitionem, quæ in ordine eſt* 36. ſcilicet: *Permiſsum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi;* non enim militant
12 pro gravi neceſſitate, quæ proſunt in extrema. Cum autem præfata Monialis non eſſet actualiter in gravi, nec in extrema neceſſitate, ut dictum fuit ſuperiùs, conſtat evidenter, peccaſſe lethaliter, ſurripiendo illa furtula modo dicto.

13 Ad ſecundum, dato quòd Filiusfamilias, & Uxor poſſint licitè furari Patri, & Marito reſpectivè, aliquam pecuniam pro ſuis indigentiis, & etiam pro quibuſdam recreationibus honeſtis, non ſequitur tamen, Monialem præfatam poſse licitè furari Monaſterio, præſertim nulla extante actualiter neceſſitate, animo præcipuè furandi uſque ad quantitatem gravem: & ratio diſparitatis eſt, quia ſi Filius furatur Patri pro ſuis indigentiis ad veſtitum, & ad aliquam recreationem honeſtam; & Uxor marito ſuo pro victu, veſtitu, ceteriſque ſibi neceſſariis ad ornatum fœmineum, Pater, & Maritus reſpectivè non intelliguntur rationabiliter inviti, immo, ut plurimùm hoc contingit, ipſis ſcientibus, quatenus Pater videns ejus filium indutum novo habitu, & Maritus uxorem providere pro victu, veſtitu, & aliis neceſſariis; nulla per ſe ipſos data eis pecunia, cognoſcunt, hujuſmodi expenſas fieri ab ipſis de pecu-

nia

nia ſibi ab eiſdem clandeſtinè accepta, & non contradicentes non cenſentur inviti: At in caſu noſtro Monaſterium intelligeretur rationabiliter invitum, ideòque præfatam Monialem in contingentia facti peccare mortaliter, & propterea, Confeſſarium teneri docere, illam eſſe in peccato mortali, illam obligare ad reſtitutionem, illamque hortari, ut, ſectando illud monitum Chriſti Domini apud *Matthæum cap. 6 Nolite ſolliciti eſſe dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* non ſit ſollicita de iis, quæ ſibi forent neceſſaria, adveniente alia infirmitate, cum Pàter Cœleſtis ſciat, quia his omnibus indiget: claudendo demum exhortatoriam illo ſalutari conſilio ejuſdem Chriſti: *Quærite ergo primùm regnum Dei, & Juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Confeſſarius, audita Sacramentali Confeſſione Monialis circa materiam Voti paupertatis, denegat dare abſolutionem ex eo quòd Monialis ſuſtineat in ſententia minùs probabili, & minùs tuta, ſe peccaſſe tantùm venialiter, & è contra Confeſſarius judicat, illam deliquiſſe graviter, juxta ſui tutiorem, & probabiliorem opinionem.

Quæritur judicium practicum.

RESOLUTIO XXV.

SUMMARIUM

1 D*icendum videtur, Confeſſarium rectè denegare abſolutionem Moniali,*

Digitized by Google

2 *Quia tenetur ex officio removere illam à periculo peccandi; quod docemur à* Jure *pluribus locis, & ab* Eccleſ.

3 *Secundò, quia Monialis operaretur imprudenter, & inhoneſtè.*

4 *Hiſce minimè obſtantibus, reſolvitur, Confeſſarium non debere in hoc denegare abſolutionem Moniali;*

5 *Iſta enim ſequitur opinionem licitam:*

6 *Quare habet Jus ad obtinendam abſolutionem, cum nullum praeceptum urgeat Monialem ad amplectendam opinionem probabiliorem;*

7 *Hinc eſt, quòd prudenter, & honeſtè ſe gereret, ſequendo opinionem intrinſecè, & extrinſecè probabilem;*

8 *Ergo Confeſſarius debebit illam tum audire, tum abſolvere.*

9 *Ad primum damus & nos, Confeſſarium debere Monialem removere à periculo peccandi, ſed facilè evincimus, hìc non adeſſe periculum peccandi.*

10 *Ad Jura in contrarium allata reſpondemus, intelligenda eſſe de dubio formali;* Eccleſiaſt. *verò de periculo formali loquitur.*

11 *Secundum ſatìs refellitur ex ſupradictis.*

12 *Ad ſummum dici poſſet, quòd hæc Monialis non operetur ita tutiùs, & perfectiùs, ad quod tamen non tenetur.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Confeſſarium in contingentia facti rectè denegare abſolutionem Moniali; ſequendo enim ſui opinionem tutiorem, & probabiliorem, quæ eſt v. g. quòd tres Julii ſint quantitas gravis ad conſtituendum peccatum grave, ſi expendantur à Moniali ſinè licentia Superioriſſæ, rectè denegaret abſolutionem Moniali ſuſti-
2 nenti, requiri ad peccatum grave quatuor Julios, quia Confeſſarius tenetur ex officio removere ipſam Monialem à periculo peccandi, & violandi Votum paupertatis, unde in cap. *Juvenis de Sponſalibus: cap. Ad audientiam: & cap. Significaſti 2. de homicidio* legitur, in dubiis ſequendam eſſe tutiorem partem, ne-

ne quis ſe exponat periculo errandi, juxta illud *Eccleſiaſt.* 3. *qui amat periculum peribit in illo*. Cum autem Monialis, ſequendo præfatam ſui opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, videatur amare periculum, eò quòd oppoſitum tutiori eſt periculoſius, & quod eſt minùs probabile eſt propinquius falſo; hinc eſt, quòd Confeſſarius ex officio, quod eſt illam avertere à malo, & à periculo mali, rectè deneget abſolutionem, donec Monialis, depoſita propria opinione, fateatur, ſe peccaſſe graviter juxta ſententiam ejuſdem Confeſsarii, eò quòd expenderit tres Julios ſinè licentia Superioriſſæ.

3 Secundò, quia Monialis perſiſtens in ſua opinione minùs probabili, & minùs tuta, non operaretur prudenter, nec honeſtè; operatio enim honeſta debet eſſe directa Regulis honeſtis: prudentis autem eſt tutiora, & probabiliora ſequi, ut clariſſimè patet in prudentibus hujus ſæculi, qui ſolent in negotiis temporalibus eligere ſemper meliora, & tutiora; quod quidem multò magis extendendum eſt in negotio omnium maximo, prout eſt illud, ubi agitur de ſalute animæ, ideòque Monialis, ſuſtinendo, non eſse peccatum grave, contra Votum paupertatis, diſtrahere tres Julios ſinè licentia Superioriſſæ, non operaretur prudenter, nec honeſtè, quandoquidem eligeret opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, comparativè ad opinionem Confeſsarii tutiorem, & propterea probabilem: quando autem Confeſsarius volens inducere Monialem ad ſui opiniorem tutiorem, & probabiliorem ſanctè ſe gereret, & per conſequens rectè denegaret abſolutionem eidem perſiſtenti in ſua ſententia minùs probabili, & minùs tuta, quia revera non ageret prudenter, nec honeſtè, ut docent *Cajet. verb. Opinio cap.* 2. *Armilla verb. Opinio* §. 2. *& ſeqq. Sylveſt. eodem verbo quæſt.* 1. *&* 2. *& verb. Dubium part.* 2. *Paulus Comitolus lib.* 5. *reſponſ. Moral. quæſt.* 15. *Miranda tract. de Conſilio: Julius Mercorus de Opinionum probabilitate part.* 2. *art.* 4. 7. *&* 8. *& ex aliis*, quos citat *P. Giribaldus tract.* 1. *de Actibus humanis cap.* 3. *de Conſcientia dub.* 7. *nu.* 45.

 4 His

Digitized by Google

4 His tamen minimè obſtantibus, Reſolvo, præfatum Con-
feſsarium, in contingentia facti, denegando abſolutionem
malè ſe gerere, quia Monialis, quæ diſtraxit tres Julios tan-
tùm ſine licentia ſuæ Superiorìſsæ, putans, tres Julios non eſ-
5 ſe materiam gravem contra Votum paupertatis, ſequitur
opinionem licitam in praxi, & in foro conſcientiæ, quamvis
minùs probabilem, & minùs tutam comparativè ad opinio-
nem Confeſsarii. Quando autem Monialis ſectatur opinio-
6 nem hujuſmodi, facta ſui Confeſſione Sacramentali, cum cæ-
teris requiſitis ad validam Confeſſionem, habet jus ad obti-
nendam abſolutionem, & Confeſsarius denegando illam eſſet
Judex injuſtus, quia nullum urget præceptum, aut obligatio,
cur Monialis teneatur ſequi ſui opinionem probabiliorem, &
magìs tutam: quandoquidem ubi non conſtat evidenter, aut
non habetur certitudo, quòd Monialis teneatur ſequi opinio-
nem probabiliorem, & tutiorem, ſufficit, quòd ſequatur opi-
nionem, ratione cujus dicatur operari prudenter, & honeſtè,
7 ut contingeret in propoſito caſu; nam Monialis in hoc caſu eſ-
ſet in opinione habente ſuam probabilitatem, cum pecunia
per ipſam diſtracta ſinè licentia Superiorìſsæ, hoc eſt illi tres
Julii non cenſeantur materia gravis contra Votum pauperta-
tis in ſententia Virorum valde prudentum, inter quos *Mi-
randa tom. 1. Manual. quæſt.* 28. *art.* 17. docet, gravitatem ma-
teriæ contra Votum paupertatis determinandam eſse in par-
ticulari pro temporum, & perſonarum Religioſarum varieta-
te, necnon attentis aliis circumſtantiis Judicio viri prudentis;
ad ſimilitudinem Filiorumfamilias in furtis, ut diximus in
Reſolutione antecedenti ſub numero 24.. Regula enim digno-
ſcendi, Monialem Voto paupertatis adſtrictam peccare mor-
taliter contra idem Votum, deſumitur à quantitate, quæ ta-
xatur in materia furti, ut hoc dicatur grave, attenta gravita-
te rei ablatæ, & ſic dicatur, Monialem peccaſse mortaliter
contra paupertatem, ſi materia per ſe ipſam diſpoticè, ſinè
ulla

Digitized by Google

ulla licentia diſtracta reputetur gravis communiter; cum autem tres Julii non cenſeantur communiter materia gravis, cum adſint circa hoc tot ſententiæ, quot capita, ut advertit *Confeſsarius Monialium inſtructus de natura Voti paupertatis cap.* 4. §. 1. *quæſt.* 6., ſunt namque qui plus, & minus determinant, hoc eſt quantitatem majorem, vel minorem pro gravitate culpæ contra Votum paupertatis; ex quo clarè infertur, præfatam Monialem in tanta varietate opinionum, quæ omnes habent ſuam probabilitatem intrinſecam, quatenus non ſunt contra rationem, & extrinſecam, quatenus docentur à Doctoribus prudentibus, & probatæ doctrinæ, poſse licitè ſequi ſui opinionem deſumptam ex Auctoribus ſanæ doctrinæ, quamvis Confeſsarius illam judicet minùs probabilem, & minùs tutam, comparatiuè ad ſui probabiliorem, & tutiorem: ſi enim nemo tenetur amplecti id, quod melius eſt, v.g. Laicus non tenetur ſervare cælibatum, quamvis cælibatus ſit perfectior ſtatu matrimoniali, ſed ſufficit, ſi amplectatur id, quod honeſtum, & bonum eſt, ita ſimiliter Monialis in hypotheſi ad theſim vocata non tenetur ſequi probabiliorem, & tutiorem opinionem Confeſſarrii, ſed ſufficit, quòd amplectatur opinionem probabilem, & tutam; ſi enim non eſt ſemper neceſſe in praxi ſequi id, quod melius, & perfectius eſt, nec erit neceſſe amplecti id, quod apparet probabilius, & verius; & propterea Confeſsarius non poterit illam obligare ad ſui probabiliorem, & tutiorem opinionem, pro abſolutione obtinenda: unde judicium practicum ſuper hac controverſia Monialis cum Confeſsario, ferendum eſset contra ipſum Confeſsarium, quia Confeſsarius poteſt, & debet, inquit *P. Giribaldus loc. cit. dub.* 8. *nu.* 60. referens pro ſe *duodecim Auctores* ex gravioribus, poteſt, inquam, & debet ſequi opinionem pœnitentis, dummodo putet, eſſe probabilem, abſolvendo illum contra propriam opinionem, in quacunque materia; & præcipuè ſubjungit apprime in rem noſtram *Boſſius part.* 1. *Varior. Moral.*

tit.

Digitized by Google

tit. 1. §. 16. *nu.* 225. quando Confeſſarius jam audiverit validam Confeſſionem Sacramentalem præfatæ Monialis, quam
8 utpote Confeſſarius ordinarius, hoc eſt veluti Parochus Monaſterii claudit *Giribald. loc. cit. dub.* 8. *nu.* 60. tenetur ſuam Monialem ex officio audire, ipſamque abſolvere, ſequendo ſententiam ejuſdem probabilem.

9 Ad primum, dato, quòd Confeſſarius ordinarius teneatur ex officio, quantùm poteſt removere Monialem ab omni periculo peccandi, non poteſt tamen in contingentia facti denegare illi abſolutionem, quia Monialis exiſtens, & perſiſtens conſtanter in ſua opinione quòd tres Julii, ſinè licentia Superiorum per ſe ipſam diſtracti non faciant ſummam gravem ad conſtituendum peccatum mortale contra Votum paupertatis, quæ ſententia habet ſuam probabilitatem fundatam in validis rationibus, ut videre eſt apud ſui *Auctores citatos* ex dictis ſuperiùs, Monialis, inquam, hujuſmodi non eſſet in periculo peccandi; quandoquidem non cenſetur in periculo peccandi, qui operatur prudenter, & honeſtè, veluti ſe haberet præfata Monialis; nam operando juxta opinionem, quæ docet, tres Julios non eſſe quantitatem gravem in materia paupertatis, licèt ſit ſententia minùs probabilis, & minùs tuta, operatur prudenter, & honeſtè, ſectando opinionem, quam docuerunt, & docent Viri prudentes, & docti. Operans autem prudenter, & honeſtè non reputatur eſſe in periculo peccandi, & ſic ex hoc motivo Confeſſarius non deberet, nec poſſet denegare abſolutionem, quamvis idem Confeſſarius profiteretur opinionem probabiliorem, & tutiorem.

10 Ad Jura autem, quæ fuerunt adducta in contrarium reſpondet apprime in rem noſtram *Giribaldus loc. cit. dub.* 7. *nu.* 52. dicens, dicta Jura procedere in dubio formali, cujuſmodi non eſt opinio probabilis, quæ includit aſſenſum determinatum circa unam partem, quamvis cum formidine partis oppoſitæ: & dein addit, non obſtante, quòd in cap. *Capellanus de feriis.*

Pon-

Pontifex ſit ſecutus opinionem ſecundo loco poſitam, ex eo quòd meliori, & ſubtiliori ratione nitebatur, ut inquit Pontifex. quia ex illo facto Pontificis non inducitur neceſſitas, & obligatio ſequendi opinionem probabiliorem, ſed præcisè conſilium, ut claudit *Palaus puncto 2. nu. 3. in fine*. Illud tandem *Eccleſiaſt. qui amat periculum peribit in illo*, intelligendum eſt de periculo formali, hoc eſt de illo periculo, ad quod conſequitur peccatum morali infallibilitate, & neceſſitate, non autem de periculo materiali, ad quod vitandum non ſemper tenemur vitare, ſecus, ut docet *Boſſius nu. 137. loc. cit.*, nuſquam quis poſſet licitè operari, niſi cum evidenti certitudine, quod non debet dici; & hinc

11 Ad ſecundum facilè reſpondetur; ſtatim enim ac Monialis in data hypotheſi practicè profitetur opinionem probabilem, & tutam, quamvis comparativè ad illam Confeſsarii minùs probabilem, & minùs tutam, prudenter, & honeſtè operaretur, ut ſatis probatum remanet ex rationibus adductis ad firmandam reſolutionem: Ad ſummum dici poteſt, quòd non
12 ita tutiùs, & perfectiùs operetur, ad quod tamen nullum urget præceptum, nec ulla adeſt obligatio: & è contra præfatum Confeſsarium, audita Sacramentali Confeſſione Monialis, quamvis in ſententia minùs probabili, & minùs tuta, urget ſtrictiſſima obligatio ex dictis, ut eidem impertiatur abſolutionem, ſequendo ipſius opinionem minùs probabilem.

Monia-

Digitized by Google

Monialis ſciens, Regulam ſui Ordinis prohibere carnis comeſtionem, à qua tamen non abſtinet Communitas Monialium, gravi conſcientiæ remorſu agitatur, & propterea conſulit Confeſſarium; an, non obſtante conſuetudine in contrarium, ipſa teneatur abſtinere ab eſu carninm ſecundùm ſui Regulam.

Quæritur ſanum conſilium Confeſſarii.

RESOLUTIO XXVI.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, præfatam Monialem debere abſtineri ab eſu carnium,*

2 *Quia debet ſequi dictamen conſcientiæ:*

3 *Rurſum, ob hujuſmodi remorſum Monialis videtur in ſtatu neceſſitatis abſtinendi ab eſu carnium, licèt adſit uſus in contrarium;*

4 *Nihilominus Reſolvo, Confeſſarium non teneri ſtatim obligare Monialem abſtineri ab eſu carnium, ſed teneri probare, an remorſus proveniat à bono, an à malo ſpiritu.*

5 *Ideò primum, quia multis de cauſis hìc adductis Confeſſarius habet fundamentum ſedandi talem remorſum.*

6 *Ideo ſecundum, quia, ſi facto experimento, adhuc Monialis perſeveret in ſui remorſu conſcientiæ, debet (adhibito etiam conſilio Virorum prudentum) conſulere Monialem, ut abſtineat ab eſu carnium.*

7 *Ad primum dico, poſse hortari Monialem ad eſum carnium, ne ſequantur inconvenientia inter Moniales; & cum conſuetudo legitimè introducta tollat omne periculum errandi.*

8 Si

Digitized by Google

8 *Si remorſus verò ſit invincibilis, Confeſſarius ſe gerat, ut ſupra diximus.*

9 *Satisfit ſecundo objecto, negando ſuppoſitum, & probando, Monialem non eſſe conſtitutam in ſtatu neceſſitatis abſtinendi ab eſu carnium.*

10 *Si Monialis dignoſcatur ducta bono ſpiritu, Confeſſarius, conſulto Superiore, poterit &c.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, præfatam Monialem, ſtante gravi conſcientiæ remorſu, teneri abſtinere ab eſu carnium, non obſtante conſuetudine totius Communitatis in contrarium; quia, cum dictamen conſcientiæ ſit prima regula morum proxima, & immediata, cui neceſſariò parendum eſt, adeout ſit peccatum operari contra conſcientiam, ut docent communiter *Doctores* cum *Angelico* 1.2.*quæſt*.19. *art*.1. 2. 3.&5.; etenim conſcientia nihil aliud eſt, quàm illud dictamen, per
2 quod nobis innoteſcit, & manifeſtatur regula, & Lex, ſecundùm quam tenemur hic, & nunc operari, & quid in particulari agere debeamus, ita quòd agere, & operari contra legem nobis notam ſit peccatum; & propterea præfata Monialis, in contingentia facti, ſibi dictante propria conſcientia, teneri abſtinere ab eſu carnium, quatenus Regula ſui Ordinis præcipit hujuſmodi abſtinentiam, non poterit carnes comedere ſinè peccato, quamvis tota Communitas Monaſterii, ex antiqua conſuetudine non abſtineat ab eſu carnium.

3 Secundò, manente gravi remorſu conſcientiæ, ſuper comeſtione carnium, præfata Monialis videtur conſtituta in ſtatu neceſſitatis abſtinendi ab eſu earumdem, etiamſi adſit uſus in contrarium apud Communitatem Monialium, quibus in dies parantur, & apponuntur carnes ad comedendum; urgente namque ex una parte Regula ſui Ordinis, & Inſtituti, & ex alia, dictante conſcientia, ut abſtineat, videtur neceſſitata, hoc eſt obligata non comedere carnes, ſecus peccaret, agen-

do contra dictamen propriæ conſcientiæ, & ſanè conſonum Regulæ ſui Ordinis; quæ quidem Regula quamvis non obligaret, præciſo contemptu, ut plurimùm contingit, ſub gravi, adhuc tamen in hujuſmodi contingentia facti, ratione gravis remorſus conſcientiæ videretur obligare ſub gravi ad menſuram gravis remorſus, & dictaminis conſcientiæ, & ſic Confeſſarius teneretur illam conſulere, ut abſtineat ab eſu carnium, non obſtante conſuetudine in contrarium ſui Monaſterii.

4 His tamen non obſtantibus, conſideratis, quæ conſideranda ſunt in hujuſmodi contingentia caſus; Reſolvo, Confeſſarium non teneri ſtatim obligare præfatam Monialem abſtinere ab eſu carnium, teneri autem illam probare per aliquod tempus, ad dignoſcendum à quonam Spiritu, bono, vel vano oriatur ille remorſus circa comeſtionem carnium uſitatam à cæteris Monialibus, ut inferiùs dicemus. Ratio autem primi
5 eſt, quia Confeſſarius, ſtante antiqua conſuetudine Monialium, nempe quòd Moniales tempore non prohibito ab Eccleſia manducent carnes, ſecluſo quocunque contemptu proprii Inſtituti, habet fundamentum rationabile ad ſedandum remorſum conſcientiæ in præfata Moniali; quandoquidem Confeſſarius deberet habere ad manus hæc, & ſimilia motiva, pro conſulenda Moniali; hoc eſt, illam conſuetudinem comedendi carnes fuiſſe introductam authore Prætore, de licentia nempe Superiorum, qui certò, ut ſupponendum eſt, à multo tempore diſpenſaverunt Regulam Ordinis in hac parte, cum cauſa, ut Moniales in poſterum comederent carnes; eò quòd ipſi Superiores agnoſcentes in Monialibus, utpote debilioris ſexus, abſtinentiam ab eſu carnium, & continuam comeſtionem ciborum quadrageſimalium, & lacticiniorum multùm nocere ſanitati earumdem: vel conſiderantes paupertatem Monaſterii, quatenus redditus ejuſdem non ſufficerent pro victu in cibis quadrageſimalibus, vel lacticiniis, cum hujuſmodi victus ſoleat eſſe carior, quàm in carnibus, vel permiſ-

ſivè

Digitized by Google

ſivè ſe habuerunt, vel poſitivè diſpenſaverunt ipſas Moniales ſuper comeſtione carnium: vel etiam quia Ordinarii ſucceſſores Superiorum Ordinis ſcientes, & non contradicentes, videantur confirmare hujuſmodi moderationem circa victum in eſu carnium, aliàs permiſſam à multis annis per ſuos prædeceſſores, vigore cujus permiſſionis, ſive licentiæ tacitæ, vel expreſſæ ſuorum Superiorum, præfata Monialis, neglecto illo remorſu, haberet motivum ſufficientiſſimum deponendi omnem ſcrupulum in comedendis carnibus; accedente namque Superiorum licentia, id, quod ratione Regulæ proprii Ordinis eſt illicitum, fit licitum, in iis maximè, quæ non ſunt præcepta ſub gravi ab ipſa Regula, ut ſupponitur in contingentia facti; immo etiamſi ageretur in materia ſub gravi, ſic exempli gratia, Religioſi Ordinis Minimorum, adſtricti quarto Voto comedendi obſonia quadrageſimalia, quibus ſub gravi, ratione Voti, eſt illicitum carnes comedere, accedente licentia Pontificia, in caſibus expreſſis *In Bulla Leonis X.*, licitè comedunt carnes, quemadmodum & fideles omnes, quibus, tempore Quadrageſimæ, & in diebus Veneris, & Sabbathi, & jejunii de præcepto infra annum, prohibitum eſt carnes comedere; tamen, adveniente cauſa, approbata tanquam legitima per Medicos, & Superiores, diſpenſantur ab obſervatione præcepti, prohibentis comeſtionem carnium, & ſic licitè veſcuntur carnibus, ita ſimiliter præfatus Confeſſarius, in propoſito caſu poſſet ab inductione horum, & ſimilium caſuum, inducere Monialem, ut quietet ſui conſcientiam. Inſuper addere poſſet, debere ſtare conſuetudini legitimè introductæ, de ſcientia Superiorum, comedendo carnes, ſicuti comederunt à multis, & multis annis, & de præſenti comedunt tot, & tantæ Moniales ejuſdem Monaſterii probatæ vitæ, & fortè multò ampliùs ſpiritu perfectiores apud Deum, & homines, quæ nihilominus comedebant, & comedunt carnes, ſinè ullo remorſu, quamvis optimè ſciant ſui Regulam circa

Digitized by Google

victum præſcribere abſtinentiam ab eſu carnium: quandoquidem, ſicuti Viri docti, & probatæ vitæ ſibi ſuaſerunt, cœnulam ſerotinam, ratione conſuetudinis introductæ, non eſſe illicitam in diebus jejunii, quamvis in diebus jejunii Eccleſiaſtici facienda ſit unica tantùm comeſtio, ut certum habetur apud *omnes Doctores*, & *Canoniſtas*; ita etiam præfata Monialis, pro quiete ſui conſcientiæ, ſciens, Moniales ſui Monaſterii jam defunctas, etiam cum fama Religioſiſſimæ vitæ comediſse carnes, & adhuc viventes in vera diſciplina, comedere carnes ſinè ullo remorſu, deberet & ipſa deponere omnem ſcrupulum comedendo carnes, quæ ſibi apponuntur in menſa Communitatis.

Dixi, Confeſſarium in contingentia facti, non teneri ſtatim ſuadere Moniali abſtinentiam ab eſu carnium, teneri autem tentare ſpiritum ejuſdem Monialis, per aliquod tempus ſibi
6 bene viſum, vel etiam conſulendo pro ſua prudentia Viros doctos probatæ vitæ, ad dignoſcendum à quonam ſpiritu, bono, vel vano, eſſet remorſus conſcientiæ in præfata Moniali; &, facto experimento omni meliori modo, perſeverante Moniali cum tali, & tanto remorſu conſcientiæ, qui potiùs deberet reputari dictamen conſcientiæ, ſecundùm quod ipſa Monialis judicaret, ſe teneri abſtinere ab eſu carnium, juxta ſui Regulam, facto demum verbo cum Superiore, deberet conſulere Monialem, ut ſequatur Spiritus Sancti ductum, in primæva obſervantia proprii Ordinis, non ſolùm in ædificationem totius Communitatis, verùm etiam, quia Deus eos ſervat tanquam lapides fundamentales ad ædificationem aliorum Monaſteriorum ſeverioris diſciplinæ, prout aliàs contigit hic Bononiæ apud *Moniales S. Auguſtini*, & poſtremò apud *Moniales SS. Vitalis, & Agricolæ*, ex quibus extractæ fuerunt *fundatrices Monialium* JESU MARIÆ *Bononiæ*, & *Benedictinarum Parmæ* in ſtrictiori obſervantia ſuorum Ordinum.

7 Ad primum igitur reſpondetur, præfatum Confeſſarium poſſe, tuta conſcientia, ratione conſuetudinis legitimè introductæ,

Digitized by Google

duƈtæ, hoc eſt de ſcientia, & per conſequens de licentia Superiorum, ſuper antiquata comeſtione carnium à tota communitate Monialium, poſſe, inquam, immo teneri, ad vitanda multa inconvenientia, quæ ſolent oriri in hujuſmodi caſibus, ſuadere, & omni meliori modo hortari Monialem hanc ad comedendas carnes, veluti comedunt cæteræ Moniales, ſinè ullo ſcrupulo, neglecto, & poſthabito quocunque remorſu, cum non ſit obligata vivere contra conſuetudinem legitimè introductam, Superioribus non contradicentibus, immo & approbantibus in ſuis Viſitationibus Monaſterii, maximè quia hujuſmodi conſuetudinem, approbatam, ut ſupra, ipſa Monialis invenerit introductam, antequam ingrederetur Monaſterium, & profiteretur ſolemniter Inſtitutum; unde vigore iſtius conſuetudinis poſſet præfata Monialis abire rationabiliter contra ſui remorſum conſcientiæ abſque ulla culpa; quandoquidem operando ſecundùm dictamen dictæ conſuetudinis, legitimè introductæ, operaretur ſecundùm dictamen rectæ conſcientiæ, hoc eſt juxta legem conſuetudinis, auctore Prætore, nimirum indulgente, & approbante ſui Prælato, cujus eſt, ex cauſa legitima, deobligare in hac, & ſimili materia; & præſertim ubi non extat præceptum obligans ſub gravi Moniales ab abſtinentia carnis, veluti Medicus diſpenſans, cauſa infirmitatis, ab eſu carnium, etiamſi urgeat præceptum
8 obligans ſub gravi. Si autem remorſus ſit talis, & tantus, ut videatur invincibilis per Monialem, Confeſſarius, adhibito laudabili experimento inutiliter, facto verbo cum Prælato, pro ſui, & cęterarum Monialium bono gubernio, teneretur ſequi opinionem Monialis, ipſamque hortari, omni meliori modo, ut Spiritus Sancti ductum ſequatur ad perfectionem aſſequendam ſecundùm regulam Inſtituti, abſtinendo ab eſu carnium, ut dictum fuit ſuperiùs.

9 Ad ſecundum negatur ſuppoſitum, firma remanente doctrina in data reſponſione ad primum, cum Monialis ad theſim

ſim vocata verè non ſit conſtituta in ſtatu neceſſitatis abſtinendi ab eſu carnium, juxta Regulam Inſtituti, eò quòd, extante præfata conſuetudine in contrarium, poſſet ad ſui libitum comedere carnes ſinè ulla minima culpa, vincendo ſui remorſum conſcientiæ, attento non ſolùm conſilio Confeſſarii, cui plus quàm ſibi deberet credere, & in cujus obſequium deberet captivare proprium intellectum; ſed etiam, conſiderando alias Moniales, ſe ipſa Spiritu perfectiores, in obſervantia Regularum, & nihilominus carnes manducare ſinè ullo minimo remorſu conſcientiæ.

10 Tandem, ut ſuperiùs dicebamus, ſi Confeſſarius, conſultatis Viris probatis, adjudicaret, Monialem, in facta hypotheſi, ductam eſſe à bono ſpiritu, habito ſuper hoc oraculo Superioris, teneretur conſulere Monialem, ut abſtineat à carnibus ad literam Regulæ.

Monialis Profeſſa privata dat ſinè licentia Superiorum Regularibus, & recipit ab eiſdem Epiſtolas, & pro ſui quiete conſcientiæ conſulit ſui Confeſſarium ordinarium; an hoc ſibi liceat.

Quæritur reſponſio ſapientis Confeſſarii.

RESOLUTIO XXVII.

SUMMARIUM

1 *Monialis non videtur poſſe licitè ſcribere hujuſmodi Epiſtolas, & & eaſdem accipere,*

2 *Quia*

2 *Quia idem eſſet ac ſi colloqueretur cum iiſdem Regularibus, quod illicitum eſt.*

3 *Adde, quòd Monialis ageret contra finem Legis prohibentis locutiones inter Moniales, & Regulares; ideò lethaliter peccaret.*

4 *Maximè cum expreſsè* Clem. VIII. *prohibuerit Monialibus ſcribere, & recipere Epiſtolas ſinè licentia Superiorum.*

5 *Unde ſtant contra Monialem* Bullæ Pontificiæ: *immo* Conſilium S. Caroli.

6 *Modò Epiſtolæ, de quibus loquimur, ſint honeſtæ, nec adſit contemptus in Regulam, vel Superiores, Reſolvitur, Monialem in data hypotheſi ne venialiter quidem peccare.*

7 *Ratio eſt, quia de Jure communi nullibi reperitur prohibitum Monialibus, & Regularibus ſcribere alterutrinque.*

8 Decretum Sixti V. *prohibet Regularibus alloqui Moniales, non prohibet ſcribere ad eaſdem, & viceverſa;*

9 *Immo neque prohibetur de Jure municipali.*

10 *Itaque Monialis neque venialiter peccaret, dando, & accipiendo à Regularibus Epiſtolas, dummodo non adſit contemptus &c.*

11 *Quia ſi contemptus eſſet levis, leviter; ſi gravis, graviter peccaret: & modò non adſit Lex Superioris in contrarium.*

12 *Negatur antecedens primi objecti, cum diverſum ſit ſcribere à colloquendo.*

13 *Negatur ſuppoſitum antecedentis ſecundi objecti; quia finis legis eſt tollere commercium præſentiale inter Moniales, & Regulares, ob pericula &c.*

14 *Dicimus tandem,* Bullam Clem. VIII. *non eſſe in uſu:* & Conſilium S. Caroli *dignum eſſe, quòd amplectatur.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem non poſſe ſcribere Epiſtolas Regularibus, quia cum Epiſtola, ut docet celebris *Dolanus de conſcribendis Epiſtolis*, ſit *abſentis ad abſentem mandatum ſcriptis colloquium*, Monialis ſcribendo Epiſtolas

Re-

Regularibus, colloqueretur cum iiſdem Regularibus, quod
2 eſt ei illicitum: ſcribere enim, inquiunt *Riccius*, *Barboſa*, *Januar.*, *Tamburin.*, *& alii* apud *Confeſſarium Monialum inſtructum*, ſcribere, inquam, eſt formaliter loqui; & propterea ſi locutio cum Regularibus eſt illicita Moniali, eò quòd ipſis Regularibus vetitum ſit Moniales alloqui, etiam ad breve tempus, ut conſtat ex *Decreto Cong. Concilii ſub Clemente IX. die 7. Junii 1669.*, ſimiliter erit illicitum præfatæ Moniali alloqui Regulares per Epiſtolas, quas dat, & recipit, ut in facta hypotheſi.

3 Secundò præfata Monialis ſcribendo Epiſtolas Regularibus, & illas recipiens ab iiſdem operatur contra finem Legis prohibentis commercium locutionis inter Moniales, & Regulares, & ſic Legem ipſam violaret, eò ut ſtatim peccaret mortaliter, quia in materia commercii locutionis inter Moniales, & Regulares non datur parvitas materiæ, ut ſuperiùs dictum
4 fuit, inhærendo *Decreto Sac. Congr. Conc.*, præterquamquod expreſsè prohibitum fuit Monialibus ex *Bulla Clem. VIII.* ſcribere Epiſtolas, generaliter loquendo ſub his verbis: *Epiſtolæ nullo modo ſcribantur à Monialibus ſinè licentia Superiorum, nec recipiantur, niſi priùs lectæ fuerint à Præfecta Monaſterii*, quæ prohi-
5 bitio principaliter attendenda eſt in contingentia caſus, ubi agitur de Epiſtolis ad Regulares, contra quos in hac materia videntur militare *Bullæ Pontificiæ*, necnon & *Conſilium S. Caroli in ſui Concilio Mediolanenſi. Primò ad ſuas Moniales*, tamen præceptivum, dicens: *Ne ſcribant literas ſinè licentia Præfectæ, neque ad ſe miſsas aperiant, niſi Præfecta priùs eas aperuit, legeritve*, ſub pęna ſcribenti, vel recipienti, ne per duos menſes exeat à cella, & jejunet in ſextis feriis in pane, & aqua: quia ſi Lex prohibens Monialibus ſcribere, & accipere Epiſtolas ut ſic, hoc eſt in genere, ſub cujus latitudine adſunt tot perſonæ, quæ non ſunt comprehenſæ in *Bullis* emanatis ſpecialiter, & unicè contra ipſos Regulares in præſenti materia, videtur inferen-
dum,

Digitized by Google

dum, præfatam Monialem non poſſe licitè ſcribere Regularibus, nec Regularium Epiſtolas recipere ſinè licentia Superiorum, & propterea eſſe culpabilem in caſu ſuppoſito.

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, hujuſmodi Monialem in contingentia facti non peccare, neque venialiter, modò non adſit contemptus in Regulam, nec ullum ſpretum contra obedientiam debitam Superioribus, & Literæ ſint honeſtæ, tàm ex parte Monialis, quàm ex parte Regularium.

7 Et ratio in primis eſt, quia de Jure communi nullibi reperitur prohibitum Monialibus ſcribere Literas Regularibus, ſicuti & Regularibus ſcribere ad Moniales, ut advertit *Donatus tom. 4. tract. 6. de Acceſſu ad Moniales quæſt.* 10. *nu.* 1. cum *Navar. tom. 4. de Regular. nu.* 61. *Roder. tom.* 1. *quæſt.* 45. *art.* 3. *& Miranda de Monial. quæſt.* 4. *art.* 5.; *Decretum* namque *Sixti V. de Anno* 1590. emanatum *à Sac. Congr. Regularium* prohibuit quidem

8 Regularibus alloqui Moniales, & de conſequenti Monialibus alloqui Regulares, ſed nullam fecit mentionem de ſcribentibus; alloqui autem eſt quid diverſum à ſcribere, & à diverſis non fit illatio, ſubjungit idem *Donatus* cum *Bonacina de Clauſ. quæſt.* 3. *part.* 2. *nu.* 5. *& Diana part.* 3. *tract.* 2. *in dubiis Regular. reſolut.* 48.

9 Inſuper nec reperitur prohibitum de Jure municipali hujuſmodi ſcribere, præcipuè hic Bononiæ, quia in *Synodo Diœceſana Eminentiſſimi Archiepiſcopi lib.* 4. *cap.* 4., ubi habentur illa omnia, quæ ſpectant ad Monialium gubernium, nulla fit mentio de hac prohibitione, ut videre eſt *loco citato in* §. *Clauſuræ obſervantiam*; ibi enim habetur expreſsè prohibitio Regularibus indicta, ne ipſi audeant abſquè ſui licentia ſub quovis prætextu accedere ad colloquendum cum Monialibus, & quidem ſub indignatione omnipotentis Dei, non tamen præcipit, Moniales, & Regulares non poſſe ſibi invicem dare Literas. Nulla igitur extante Lege communi, aut municipali Bononiæ interdicente Monialibus ſcribere Epiſtolas

Digitized by Google

Regularibus, & ſcriptas ab ipſis Regularibus recipere, clarè deducitur, Confeſſarium ordinarium pro conſulenda præfata Moniali poſſe reſpondere in dandis, & recipiendis hujuſmodi literis licitè ſe gerere.

10 Dixi, Monialem in contingentia caſus nullo modo peccare, ne venialiter quidem, modò non adſit contemptus Regulæ, quamvis non ſit obligatoria ſub peccato, quia ſi daretur hic contemptus, peccaret ad menſuram contemptus, hoc eſt graviter, ſi contemptus foret gravis; & ſimiliter leviter delinqueret, ſi contemptus eſſet levis, quod poſſet dilucidari exemplo furti, attenta gravitate, & parvitate materiæ:

11 Hoc idem intelligendum eſt proportionabiliter reſpectu obedientiæ debitæ Superioribus: in caſu enim, quo Superior Monialium prohiberet hujuſmodi ſcribere, ut aliquando præceptum fuit in Urbe, ne ulla perſona utriuſque ſexus auderet ſcribere quacunque de cauſa ad Moniales cujuſdam Monaſterii ſinè licentia Vicarii Papæ ſub pęnis &c. ſicuti quibuſdam Fratribus Romæ ſub *Gregorio XIII.*, ne auderent ſcribere ad Moniales ſui Ordinis, tunc præfata Monialis peccaret graviter, quia contrafaceret Legem ſui Superioris in materia gravi, cum Superiores non ſoleant promulgare hujuſmodi legem, niſi data gravi neceſſitate, prout eis videtur ad Dei gloriam, & ſalutem Sacrarum Virginum: Dixi tandem, dummodo hujuſmodi Epiſtolæ ſint utrinque honeſtæ, quia ſi forent aliquo modo turpes, non eſt locus dubitandi, quòd illicitè præfata Monialis ſe gereret.

12 Ad primum igitur reſpondetur, negando antecedens, quia nullibi invenitur eſſe interdictum Regularibus ſcribere ad Moniales, & Monialibus recipere Literas Regularium, tum quia Moniales, & Regulares ſibi invicem ſcribere, propriè loquendo, non eſt colloquium, ſecundùm intellectum Legis illud prohibentis, quamvis *Dolanus* definiverit, *Epiſtolam eſſe abſentis ad abſentem mandatum ſcriptis colloquium*: Colloquium namque pro-

prohibitum inter Regulares, & Moniales, & viceverſa Monialium cum Regularibus eſt colloquium præſentiale, prohibitum, inquam, propter pericula, quæ inde oriri poſſunt, ut optimè advertunt *Doctores* apud *Confeſſarium Monialium inſtructum cap. 7. §. 8. in Reſp. ad quæſt.* 2. quæ pericula cum non adſint extra commercium præſentiale, inde eſt, quòd colloquium in ſcriptis dumtaxat in contingentia facti non ſit prohibitum, & per conſequens præfatam Monialem in propoſito caſu nullo modo peccare, ſalva ſemper, ut advertimus, reverentia debita Regulæ, Obedientiæ, & Superioribus, necnon honeſtate ipſarum Literarum; & ſic

13 Ad ſecundum ſimiliter reſpondetur, negando ſuppoſitum antecedentis, quia finis Legis prohibentis colloquium Regularium cum Monialibus eſt tollere commercium præſentiale inter Moniales, & Regulares propter pericula, quæ inde oriuntur in ruinam ſpiritualem Monialium, & Regularium; experientia enim compertum eſt, hujuſmodi colloquia præſentialiter acta, licèt ab initio de rebus indifferentibus, vel etiam de rebus ad ſpiritualem profectum pertinentibus, deſiiſse in ſtultiloquia, & in ruinam animarum Clauſtralium: unde hujuſmodi caſus dederunt occaſionem, ut Pontifices interdicerent ſub graviſſimis pęnis eadem colloquia; ex quo habetur, finem præfatæ Legis fuiſse tollere omne commercium præſentialis locutionis dumtaxat; non autem fuiſse interdicere locutionem inter Moniales, & Regulares in ſcriptis, ſervatis ſervandis, ut adnotavimus in ſuperioribus: ſervata namque Regulari obſervantia per Monialem in ſcribendis, & recipiendis literis, hoc eſt, quòd præſervet ſe à contemptu Regulæ obedientiæ, & Superiorum, & ipſæ Literæ honeſtæ ſint, non videtur adeſſe titulus juſtus condemnandi præfatam Monialem de ullo peccato, & præſertim quia *Bulla Clem. VIII.* adducta in contrarium non videtur eſſe in uſu, quandoquidem ſi Superioriſsæ Monialium deberent videre omnes Epi-

Digitized by Google

ſtolas, quas ſcribunt, & recipiunt ſuæ Moniales, quæ ſanè plurimæ ſunt in dies, dies ipſas inſumerent in legendis ipſis literis; & propterea præfatam Monialem neque in hoc titulo condemnandam eſſe tanquam ream alicujus culpæ in hypotheſi ad theſim vocata: laudabile tamen eſſet, ſi foret in uſu Pontificium Oraculum apud Moniales omnes, quemadmo-
14 dum deſideravit eſſe apud ſuas *S. Carolus loc. cit. ex Gavanto in Manual. Epiſcop. verb. Monial. com. leg. nu.* 19. 20. 21. ubi *nu.* 24. *idem Gavant.* ex dicto *DD. apud Barboſ. alleg.* 102. *nu.* 81. & 82. ſubaddit, excommunicationem latam contra loquentes cum Monialibus non includere ſcribentes literas ad Moniales; ex quo clariſſimè infertur, quòd non ſit prohibitum Regularibus ſcribere ad Moniales, & per conſequens neque eſſe prohibitum Monialibus recipere Literas Regularium; ideòque Confeſſarium ordinaium poſſe præfatam Monialem, in contingentia facti, conſulere, ut, ſervatis ſervandis, prout advertimus ſuperiùs, poſſe Literas ſcribere ad Regulares, & recipere ſcriptas ab ipſis Regularibus.

Abba-

Digitized by Google

Abbatiſſa, expleto triennio Abbatiſsatus, iterum eligitur, & auctoritate Pontificia confirmatur ad aliud triennium, quo completo, Moniales cupientes, illam ipſam denuo, & immediatè eligere in Abbatiſſam pro triennio proximè ſequenti, conſulunt Confeſſarium; an hoc fieri liceat ſinè licentia Papæ.

Deſideratur Votum Confeſſarii.

RESOLUTIO XXVIII.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Votum Confeſſarii debere eſſe negativum;*

2 *Ita enim foret conſonum* Conſtitutionibus Pontificiis *abolentibus perpetuitatem Abbatiſſarum:*

3 *Novennium autem videtur quædam ſpecies perpetuitatis apud perſonas Clauſtrales, & eſt quid odioſum cauſativum plurimorum abuſuum;*

4 *Præterquamquod ſi non potuit iterum eligi poſt Triennium expletum, cur poſt Sexennium?*

5 *Sicuti qui factus inhabilis ad obtinendum Beneficium Eccleſiaſticum ob excommunicationem, in quam incidit per gravem percuſſionem Clerici, inhabilior fit ad idem Beneficium, ſi incidat in aliam excommunicationem.*

6 *Quibus non obſtantibus, reſolvitur, Moniales poſſe confirmare eandem Abbatiſſam pro alio Triennio ſinè obtenta diſpenſatione à Papa;*

7 *Aliàs privilegium Pontificium foret inutile,*

8 *Et Abbatiſsa ſpoliaretur jure ſuo:*

9 *Inſuper privilegium aliquid operàri debet ſupra Jus commune*

10 Cum

10 *Cum autem ſpatio novem Annorum bis potuerit eligi in Abbatiſſam, & poſt ſextum annum dicatur non poſſe confirmari, privilegium Papæ quid donabit ſupra Jus commune?*

11 *Favet etiam nobis tenor Reſcripti, quod fieri ſolet à* Sac. Cong.*, adveniente hujuſmodi caſu.*

12 *Ad primum negatur antecedens, & totum ratiocinium, quia de facto non agitur contra* Bullam Greg. XIII.

13 *Neque Novennium eſt perpetuitatis ſpecies, nec abuſuum poteſt eſſe origo, attentis circumſtantiis iſtius Caſus.*

14 *Ad ſecundum reſpondetur, negando antecedens, quia ſemper ſtat, Monialem, de qua loquitur, non debere ſpoliari Jure ſuo.*

15 *Et in hoc non militant ea, quæ addebantur de Clerico duplici excommunicatione irretito, ſed noſtrum aſſertum confirmatur exemplo Confeſsarii Ordinarii &c.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, votum Confeſſarii debere, in contingentia facti, eſſe negativum, quatenus conſonum *Conſtitutionibus Pontificiis*, & præſertim *Gregorii*
2 *XIII.*; qui, abolendo perpetuitatem Abbatiſſarum in omnibus Monaſteriis Monialium intra Italiam, & Inſularum adjacentium, limitavit tempus durationis Abbatiſſarum, ſive Superioriſſarum in capite, ad triennium dumtaxat, & non ultra, & ſic Cofeſsarius, requiſitus pro voto à Monialibus, inhærendo hujuſmodi *Decretis*, deberet reſpondere Monialibus, non eſſe licitum præfatam Abbatisſam, expleto ſexennio Abbatiſſatus, iterum eligere ad aliud triennium, ſinè diſpenſatione Papali; videretur namque, illam velle quaſi perpetuare in primaria ſede Monaſterii, contra Legem latam à *Summis Pontificibus*; quandoquidem continuatum novennium
3 in gubernio ejuſdem Monaſterii, per eundem Superiorem, apud Viros Regulares reputatur quædam ſpecies perpetuitatis, & propterea tanquam nimiùm onerosa, & valde odioſa, & re-

Digitized by Google

&revera cauſa graviſſimorum abuſuum, eliminatur ab eorum Clauſtris in Superioribus localibus reſpectivè ad idem numerò Monaſterium, Collegium &c. niſi ex cauſa legitima diverſimodè provideatur ſuprema auctoritate Pontificis, quod raro contingit, ut docet experientia, & in aliqua Religione dumtaxat; cum autem in caſu noſtro Abbatiſſa continuaret per Novennium in gubernio ejuſdem Monaſterii, videretur fieri quaſi perpetua in Abbatiſſatu, quod eſſet valde diſſonum à *Decretis Pontificum*, quibus damnantur Abbatiſſæ Monialium perpetuæ, ideòque Confeſſarium conſultum à Monialibus; an ſibi ipſis liceat, illam tertiò eligere ad Abbatiſſatum pro Triennio immediatè ſequenti, debere reſpondere negativè.

4 Præterea, ſi Moniales ſinè licentia Papæ non potuerunt dictam ſui Abbatiſſam, expleto primo triennio Abbatiſſatus, illam eligere pro ſecundo triennio, quia illa erat inhabilis à Jure *Greg. XIII.*, qui præſcripſit triennium dumtaxat, & non ultra in Abbatiſſatu, multò minùs poterunt in hypotheſi ad theſim vocata illam tertiò eligere in Abbatiſſam, ſinè diſpenſatione Papæ; quia hujuſmodi Abbatiſſa, antea facta inhabilis per unicum triennium Abbatiſſatus expletum, multò magis reputanda eſt inhabilis per Sexennium Abbatiſſatus expletum, quod poſſet dilucidari exemplo illius, qui factus inhabilis ad
5 Beneficium Eccleſiaſticum per excommunicationem, in quam incidit ob gravem percuſſionem Clerici ratione Can. *Si quis, ſuadente*, redderetur multò ampliùs inhabilis ad idem Beneficium obtinendum, incurrendo in aliam excommunicationem, v. g. propter ſimoniam, in quam incideret: *Extravag.* 1. & 2. *de Simonia*; Confeſſarius itaque in contingentia facti, conſiderata inhabilitate ejuſdem Abbatiſſæ, requiſitus pro voto videtur, debere reſpondere, Moniales non poſſe propria auctoritate dumtaxat illam validè tertiò eligere, & confirmare in Abbatiſſam, pro triennio immediatè ſequenti.

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvendum cenſeo, Moniales

les in propoſito caſu, de conſenſu tamen Eminentiſſimi noſtri, & non aliter, poſſe, nulla obtenta diſpenſatione à Papa, iterum eligere, & confirmare præfatam ſui Abbatiſſam pro alio triennio immediatè ſequenti, non ſecus ac potuiſsent illam de novo eligere in Abbatiſſam, ſi expleto primo triennio Abbatiſſatus, ceſſaſſet per integrum triennium ſubſequens, ſecundùm diſpoſitionem *Bullæ Greg. XIII.*, *& aliorum Decretorum*, ab Abbatiſsatu; tunc enim taliter ſpoliata pro toto tempore limitato, ſinè gradu Abbatiſſatus, poterit (inquit expreſsè idem *Gregorius Papa)* iterum aſſumi à Capitulo Monialium ad gubernium triennale in Abbatiſsam; quod quidem verificari debet etiam in data hypotheſi, aliter privilegium Pontificium obtentum à *Sac. Cong.*, vigore cujus fuit pro ſecundo
7 triennio electa in Abbatiſsam, nihil operaretur, & foret ei inutile, immo converteretur in odium ejuſdem, contra *Regulam Juris 61.* Cum privilegia debeant ampliari, ſicuti odia reſtringenda; Abbatiſsa ergo, expleto primo triennio, inhabilis Abbatiſsatus, juxta *Bullam Gregorii*, facta habilis ex gratia, & privilegio ad Abbatiſſatum, pro ſecundo triennio à *Sac. Cong.*, manens habilis ex natura, pro tertio triennio, ac ſi non fuiſset Abbatiſsa in ſecundo tranſacto; cum non fuerit jure
8 ſuo ſpoliata à *Sac. Cong.*, neque à *Gregorio* ſtatuente, Abbatiſſas eſse triennales; loquitur enim *Pontifex* de Abbatiſſis electis, & eligendis à Monialibus utentibus jure ſuo proprio dumtaxat, & ſinè ulla alia facultate ſuprema, & derogatoria &c., eligi poterit à Monialibus de conſenſu ſui Ordinarii abſque recurſu ad *Sac. Cong.*, cum & ipſæ Moniales nullibi inveniantur privatæ ſuo jure pro hujuſmodi electione; quia, ut docent *Diana*, *Bordonus*, *Naldus citati ab Auctoribus de præcipuis Monialium*
9 *prohibitionibus cap. 3.*, Privilegium, & gratia Principis debent aliquid operari, ſupra Jus commune, ideòque cum Monialis
10 ſpatio novem Annorum bis eligi poſſit in Abbatiſsam de Jure communi, non videtur dicendum, hoc tolli per conceſſionem

nem

Digitized by Google

nem *Sac. Cong.* quatenus indulget, ut alio Triennio intermedio eligatur: aliter beneficium verteretur in maleficium, vel ſaltem in beneficium nullum, juxta vulgatam regulam; *tanti habetur beneficium quod non prodeſt, quanti maleficium quod non nocet*; & in confirmatione eorum, quæ hucuſque dicta ſunt pro Reſolutione, adduci poteſt *Reſcriptum* ſolitum fieri à *Sac. Cong.*
11 Ordinariis, adveniente hujuſmodi caſu, prout in dies pluries contigit hìc apud Moniales Bononiæ: ſupplicarunt namque iſtæ Moniales *Sac. Cong.* pro facultate confirmandi capitulariter ſuam Abbatiſsam, expleto Triennio Abbatiſsatus, & *Reſcriptum* ejuſdem *Sac. Cong.* fuit, prout de more, *Eminentiſſimo Archiepiſcopo &c.: dummodo præfata Abbatiſsa aliam confirmationem non reportaverit, ac duarum ex tribus partibus Monialium conſenſus Capitulariter, & per ſecreta ſuffragia accedat, petitam facultatem, ad aliud Triennium* tantùm *pro ſuo arbitrio, & prudentia Oratricibus impertiatur*. Ex hoc autem ſolito in caſibus confirmandæ Abbatiſſæ *Reſcripto Sac. Cong.*, in quo adeſt Indulgentia conceſſa ſub quibuſdam clauſulis, ſatìs adamuſſim, nulla inter eas invenitur, quæ ſapiat inhabilitationem præfatæ Monialis ad tertium Triennium Abbatiſsatus, licèt adſit illa taxativa *tantùm*, ratione cujus non debent intelligi Moniales privatæ Jure ſuo, ſi voluerint Moniales illam ipſam iterum eligere in ſui Abbatiſsam: quibus ita firmatis, Confeſsarius in contingentia facti conſultus poterit pronunciare ſui votum, reſpondendo Monialibus, ſibi ipſis licere præfatam Abbatiſsam jam confirmatam, cum facultate *Sac. Cong.*, illam, utendo Jure ſuo, iterum eligere ad aliud Triennium proximè, & immediatè futurum,

12 Ad primum igitur negatur antecedens, & totum ratiocinium ſubſequens, tanquam malè fundatum, ut attentè conſideranti patet: conſtat enim, votum conſultivum Confeſsarii, dicendo Monialibus, in facta hypotheſi, licere Jure ſuo, ſinè alia facultate *Sac. Cong.*, iterum eligere ſui Abbatiſsam ad

 aliud

Digitized by Google

aliud triennium, non adverſari *Conſtitutioni Gregorii XIII.*, qua voluit, Abbatiſsas eſse Triennales dumtaxat, quia in præſenti caſu, in obſervantiam ejuſdem *Bullæ*, tranſacto primo triennio præfatæ Abbatiſsæ, Moniales non elegerunt illam pro ſecundo triennio à ſe ipſis, ſed tantùm ex gratia, & privilegio, ſibi collato à *Sac. Cong.*, diſpenſando ſuper *Decretum Gregorii* circa durationem Abbatiſsatus in una, & eadem Moniali, extendendo nempe tempus taxatum, & limitatum ad unicum triennium, uſque ad aliud ſecundum triennium: gratia autem, & privilegium hujuſmodi, ſicuti non privavit Moniales Capitulares Jure vocis activæ, reſpectivè ad novam electionem faciendam, expleto ſecundo triennio intermedio, ita etiam non inhabilitavit eamdem Abbatiſsam, ſed eam reliquit in ſuo eſse cum voce paſſiva, hoc eſt elegibilem iterum, pro tertio triennio in Abbatiſſam; quod quidem eruitur ex *Reſcripto Sac. Cong.* ubi habentur expreſsè varia obſervanda pro confirmatione ejuſdem, ſinè ulla minima mentione, quòd Moniales non poſſint eligere, & ipſa Abbatiſſa nequeat dein, tranſacto ſecundo triennio, eligi per novam actionem capitularem in Abbatiſſam ad aliud triennium, ex quo non ſequeretur, ut perperam addebatur, præfatam Abbatiſsam ſcilicet perpetuari in Abbatiſsatu; quandoquidem Novennium,
13 quamvis primo aſpectu videatur longum tempus, revera tamen non æquiparatur perpetuitati, nec à novennio gubernii, quatenus volito à duabus ſaltem ex tribus partibus Monialium ad tenorem *Reſcripti Sac. Cong.*, oriri poſſunt abuſus, de quibus idem *Gregorius in ſua Bulla*; cum Moniales electrices, nulla ſibi obſtante Lege in contrarium, ut dictum fuit, moveantur ad hujuſmodi novam electionem, attento bono gubernio ejuſdem Abbatiſsæ in anteactis trienniis, ratione cujus, tanquam ex cauſa legitima *Sac. Cong.* conceſſit eiſdem facultatem, ut, expleto primo triennio, poſſent iterum illam ipſam eligere pro alio triennio intermedio: quibus omnibus ſtantibus,

Digitized by Google

bus, deducitur votum conſultivum Confeſſarii poſse, & debere eſſe affirmativum, conſentiente tamen Prælato Monialium Ordinario.

14 Ad ſecundum reſpondetur, negando ſimiliter antecedens, & quidem propter rationem adductam, hoc eſt; quia, expleto primo triennio, revera illa Abbatiſsa erat inhabilis à Jure, ita ut non poſſet ullo modo ſtatim iterum eligi in Abbatiſſam: at in caſu noſtro, in quo ex ſpeciali gratia, & privilegio, immediatè poſt primum triennium, electa denuo in Abbatiſſam non fuit declarata incapax, ut iterum non poſſit eligi pro tertio Triennio, decurrendo ab ultimo momento ſecundi triennii expleti; non enim fuit ſpoliata ſuo Jure, quod habebat, & habet, poſſe nempe iterum eligi, tranſactis tribus annis, ab Abbatiſsatu dimiſso: habens itaque Jus ſuum integrum, illo eodem poterit uti, hoc eſt tanquam habilis, ideòque eligibilis; & hinc Moniales, ſinè ullo recurſu ad *Sacram Cong.* poterunt illam iterum tertiò eligere in Abbatiſsam, ſervatis in reliquis ſervandis, juxta ſtatuta Conſtitutionum Monaſterii: Breviùs; hujuſmodi Abbatiſsa in primo triennio fuit Abbatiſsa de jure communi: in ſecundo triennio de jure, hoc eſt ex gratia ſpeciali *Sac. Cong.*, & in tertio triennio foret de jure communi, cui non fuit derogatum à *Sac. Cong.*; & hinc habetur, non dari locum ad ea, quæ addebantur de duplici Excommunicatione, orta ex duplici delicto, percuſſionis

15 nempe in Clericum, & ſimoniæ, quia in hypotheſi ad theſim vocata nullum invenitur impedimentum impediens, & dirimens ſui electionem in præfata Moniali ad Abbatiſſatum pro tertio triennio, ut ſatis probatum fuit in ſuperioribus, & magìs dilucidari poſſet exemplo Confeſsarii ordinarii Monialium, qui debet eſse triennalis tantùm; ex *declar. Sac. Cong.*, *relata à Gavanto in Manual. Epiſcoporum v. Monialium cura Spirit. nu.* 7. & elapſo triennio non poteſt ampliùs audire Sacramentales Confeſſiones Monialium ejuſdem Monaſterii, ut notat

Digitized by Google

Pignatel. tom. 6. Conſult. 85. nu. 238. , niſi adſit licentia *Sac. Cong.*, vigore cujus iterum ad aliud triennium poteſt audire, & hoc ſimiliter elapſo, Epiſcopus, utendo auctoritate Ordinaria, poteſt illum denuo deputare in Confeſsarium ordinarium ejuſdem Monaſterii, pro tertio triennio immediatè ſequenti, ut docent *Diana, Naldus, Bordonus, & alii*, quos citat *P. de Confeſs. ordin. cap. 10. ſect. 3. ſubſect. 1. quæſt. 13. nu. 172. §. Videri poſſe*.

Monialis complex gravium delictorum alterius Monialis, propter quæ delicta conturbatur graviter tota Communitas Monialium, à qua ignoratur rea principalis eorundem delictorum, conſulit ſui Confeſſarium; ad quid teneatur.

Expectatur Conſilium Confeſſarii.

RESOLUTIO XXIX.

SUMMARIUM

1 *Videtur Confeſſarius debere conſulere hanc Monialem, ut abſtineat à cooperatione illorum delictorum, & charitativè moneat corream principalem, ut & ipſa deſiſtat ab iiſdem; & nihil aliud debere conſulere,*

2 *Et hoc, ne complex, & correa manifeſtentur, & deperdant ſui bonam famam:*

3 *Neque complex videtur teneri ad terrendam minis corream,*

4 *Quia non tenetur cum tanto incommodo; propter hoc enim poſſet correa illi damnum inferre ad ſui vindictam.*

5 *Quibus non obſtantibus, reſolvitur, Confeſſarium in facta hypotheſi debere ita conſulere Monialem complicem;*

6 Ut

Digitized by Google

6 *Ut moneat corream principalem;*

7 *Et, ſi iſta non reſcipiſcat, tunc ſecretò illam denunciet cui debet, ſervatis ſervandis.*

8 *Ideò primum, quia ad id tenetur Jure Divino.*

9 *Ideo ſecundum, quia ad id tenetur Jure quoque Divino;*

10 *Immo Monialis teneretur etiam ratione ſui, nec injuriam faceret correæ principali*

11 *Quæ inſuper manifeſtanda eſset, ad impedienda damna imminentia toti Monaſterio.*

12 *Satisfit primo objecto, admittendo primam partem Conſilii, & negatur quod ibi addebatur,*

13 *Et magìs evincitur, debere denunciari Monialem incorrigibilem.*

14 *Secundò reſpondetur, Monaſterium utique liberandum eſſe ab imminentibus malis:*

15 *Cætera verò, quæ addebantur in contrarium, facilè refelluntur.*

1 PRo Reſolutione videtur, Confeſsarium conſulere poſse Monialem complicem illorum delictorum teneri ad hæc duo tantùm, nimirum ut in poſterum abſtineat à ſui cooperatione in illis delictis, & moneat charitativè principalem corream, ut deſiſtat ab eiſdem patrandis, & ad nihil aliud, ne complex, & correa principalis exponantur periculo, manifeſta-
2 turam fore turpitudinem ſuam, cum cuique in conſervando bonam ſui famam, quando delictum eſt undequaque occultum, licitum ſit abſtinere ab omni eo, quod poſſet eſse cauſa perdendi bonum nomen, & bonam famam ſui ipſius.

3 Præterea non videtur Confeſsarius poſse conſulere, hanc Monialē teneri terrere corream principalem delictorum verbis, & minis, videlicet ſe eſse illam revelaturam, niſi deſiſtat à crimine, quia non tenetur cum tanto incommodo, cum teneatur tantummodo ex Charitate; charitas autem erga proximum non extenditur ad faciendas minas, quæ vergunt in damnum

Digitized by Google

damnum proprium, juxta illam regulam; *charitas incipit à ſe ipſo*, & ſuppoſitum damnum de facili eveniret in propoſito caſu,
4 quia correa principalis verbis acribus, & minis irritata, necnon timore perterrita, quòd complex illam manifeſtet, poſſet in vindictam eidem complici aliquod damnum grave inferre; & propterea Confeſſarius prudens videtur non poſſe obligare Monialem complicem delictorum ad manifeſtandam corream principalem eorundem, ſed tantùm ad illam admonendam blandis verbis dumtaxat, ut deſiſtat ab eiſdem delictis pro quiete Monialium.

5 His minimè obſtantibus, Reſolvo, Confeſſarium in propoſito caſu, penſatis quæ penſanda ſunt, hoc eſt, conſiderata delictorum gravitate, necnon penſatis damnis ſpiritualibus, & etiam temporalibus, quæ inde poſſent oriri contra Monaſterium, ſi non tollantur de medio gravia illa delicta, debere conſulere Monialem hoc modo, in primis ut charitativè mo-
6 neat corream principalem talium delictorum, ut deſiſtat, & ne ampliùs audeat ſimilia patrare: dein ſi non reſipiſcat, & in
7 ſua pravitate inſordeſcat, illam ſecretò denunciet cui debet Jure: circa quod idem Confeſſarius deberet inſtruere Monialem complicem delictorum, ut, ſervatis ſervandis, ejus denunciatio ad Superiorem fieret in ædificationem, & non in deſtructionem animarum. Ratio autem primi eſt, quia de Jure Di-
8 vino tenemur priùs corrigere in abſcondito proximum, juxta illud Chriſti Domini: *corripe inter te, & ipſum ſolum*, ideòque Monialis in contingentia facti, cum principalis auctrix delictorum ſit omnimodè occulta pœnitens de commiſſis cum propoſito non committendi ampliùs ſimilia delicta, obligata removere, quantùm poteſt, cauſam imminentium damnorum in ſpiritualibus, & temporalibus ſui Monaſterio, & ſic ad reſtituendam plenam pacem, & quietem ſuis Conſororibus, teneretur adire corream principalem delictorum, illamque blandis verbis hortari ad emendationem; *Si peccaverit frater tuus*, inquit Divinus

Digitized by Google

vinus Magiſter apud *S. Matthæum cap.* 18. *Vade, & corripe eum in-*
ter te, & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum; &
præcipuè in dato caſu correa illa eſſet in neceſſitate quaſi ex-
trema damnationis, quæ obligat ſub gravi ad correctionem,
9 ut docet *Diana in Summario*; ſi autem, habita hujuſmodi cor-
rectione, correa principalis indurata in ſua prava voluntate
adhuc perſeverat in patrandis delictis ejuſdem generis, tunc
in eo caſu, etiam de Jure Divino præfata Monialis tenetur cor-
ream principalem deferre ad Superiorem, quia ſubjunxit
Chriſtus Dominus *loc. cit. Quòd ſi non audierit, dic Eccleſiæ*: cujus
nomine veniunt Superiores in Eccleſia Dei, & in Clauſtris
Prælati, ut optimè apud *Expoſitores Sacrarum Literarum* habe-
tur: Inſuper teneretur ad illam denunciandam ratione ſui
ipſius, hoc eſt ad evitanda gravia damna, quæ, utpote com-
10 plex eorundem delictorum, tractu temporis poſſet pati, ſi ali-
quando manifeſtarentur illa delicta aliquo alio modo; tene-
tur ſiquidem quiſquis Jure naturali omni meliori modo præ-
ſervare priùs ſe ipſum à gravi damno, quàm præſervare pro-
ximum, & præcipuè renuente ipſo tertio præſervationem ſui,
ut contingeret in propoſito caſu, ubi principalis correa deli-
ctorum charitativè monita renueret ſui emendationem, &
obſtinata perſeveraret in delictis, quæ forent cauſa, cur Mo-
nialis complex rationabiliter, & juſtè timeret ſui ruinam, ſi
poſtmodum Superiores alia via venirent in cognitionem, ſe
ipſam fuiſſe, & ex vehementi præſumptione adhuc eſse com-
plicem eorundem delictorum: & hoc fieri poſset ab hac Mo-
niali ſinè ulla injuria principalis correæ, juxta illam regulam:
Conſentienti, & volenti nulla fit injuria: quandoquidem correa non
emendata per correctionem fraternam videtur conſentire, &
deliberatè velle, quòd Monialis aliàs ſuorum delictorum com-
plex, nunc in ſe reverſa utatur jure ſuo in ſui ipſius præſerva-
tionem à pœnis, quibus plectenda eſset à Superioribus, co-
gnita ejuſdem reitate: Teneretur inſuper illam manifeſtare ad

impe-

Digitized by Google

impediendum damnum ſpirituale, vel temporale imminens
11 toti Monaſterio; ſi enim tractu temporis manifeſtaretur extra Monaſterium, talia delicta commiſsa fuiſſe, & adhuc committi in eodem Monaſterio, hinc oriretur ſcandalum in Laicis, propter quod ipſi Laici ſcandalizati de Monialibus aliàs apud eos in fama Sanctitatis, in poſterum malè ſentientes de ipſis retraherentur ab eleemoſynis largiendis eidem Monaſterio, & propterea cum ruina ſpirituali, & temporali ipſius; quia ſi *Benedictus* Ordinis ſui SS Inſtitutor ad obſervantiam regularis diſciplinæ teſtatus eſt, *opus eſſe abundantiam in victu, & veſtitu*, ſtatim eruitur ex oppoſito, hac deficiente ex defectu eleemoſynarum illam in nihilum paulatim abire, deficientibus paulatim eleemoſynis Benefactorum, ubi Moniales viverent, ut ſupponitur, ex puris eleemoſynis fidelium. Igitur cum quiſq; teneatur in bonum Reipublicæ manifeſtare auctorem malorum in damnum grave totius Reipublicæ, etiamſi revelator ſit paſſurus aliquod damnum in ſe ipſo, juxta illam regulam: *bonum commune præponderat privato*, clariſſimè infertur, præfatam Monialem teneri ſub gravi accuſare principalem ream apud Superiorem, & præſertim, ſpreta correctione fraterna per ipſam; quod eſt notandum in rem noſtram, cum adſint *Doctores* docentes in caſu, ubi agitur de malo gravi, quod imminet Reipublicæ, habita notitia certa auctoris mali, ſtatim eſse revelandum ipſum auctorem apud illius Reipublicæ Gubernatores, ne ipſa patiatur grave damnum; quod ſanè obſervandum juſtè, & rationabiliter videtur in quacunque Communitate Regularium utriuſque ſexus in bonum commune Religionis: cautum enim cenſeo in his caſibus à Conſtitutionibus omnium Ordinum, quòd ſubditi, qui non poſsunt per ſe ipſos impedire grave damnum imminens ſui Monaſterio, teneantur deferre ad ſuos Superiores eos omnes, qui moliuntur, & dant operam ad illud: Igitur

12 Ad primum, admiſsa prima parte conſilii, tanquam certa,

& ſan-

& ſancta, negatur id, quod addebatur, hoc eſt *ad nihil aliud teneri*: Monialis enim complex delictorum, habita correctione fraterna, juxta præceptum Chriſti Domini correæ principali, videns, hanc eſse incorrigibilem, quatenus eam cognoſcit nolle deſiſtere à præfatis delictis, quæ cedunt in grave damnum toti Monaſterio, quatenus graviter turbant omnes Moniales, & poſsunt eſse cauſa tractu temporis magni damni ſpiritualis, & temporalis in ruinam ejuſdem Monaſterii, tenetur ſub gravi ultra procedere contra ipſam, hoc eſt, illam denunciare tanquam ream principalem eorum delictorum in ſecreto, ſumendo etiam impunitatem pro ſe ipſa, ut evitet omnem pęnam, qua poſſet puniri ut complex in delictis, ſicuti & omne periculum perdendi ſui bonum nomen apud alias Moniales, quantùm fieri poſſet ex voluntaria ſui pœnitentia, & ſpontanea confeſſione; quæ plurimùm juvat inter Clauſtrales, qui ad mentem Chriſti Domini nolentes mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat, lætantur ſuper fratre ſuo peccatore pœnitentiam agente; & præcipuè Moniales, quæ utpote ſexus ſęminei, ideòque magis piæ, & devotæ lacrymas effunderent inexplicabili, & prægrandi lætitia non minùs pœnitentiæ illius Conſororis ſuæ, quàm de liberatione à triſtitia, in qua erant ob maximum periculum propter illa delicta perdendi bonum nomen, & conſequenter totalis ruinæ ſpiritualis, & regularis diſciplinæ ſui Monaſterii, ut dictum fuit ſuperiùs.

14 Ad ſecundum negatur antecedens, ſpreta præſertim fraterna ſui correctione à principali correa, ſi tamen adeſſet ſpes, quòd minis perterrita reſcipiſceret, deſiſtendo à perpetrandis delictis, ut ſupra; ſi autem nulla eſſet ſpes emendationis; neglecta omni correctione fraterna, teneretur ad reparandum omne grave damnum imminens toti Monaſterio deferre principalem delinquentem Superiori, ut, ipſa correpta, & caſtigata, totum Monaſterium liberaretur à moleſtiis, & vexationibus provenientibus ab ejus gravibus delictis, & in-

Digitized by Google

ſimul ab omni periculo damnorum in ſpiritualibus, & temporalibus.

35 Ad illud autem, quod addebatur in contrarium; Charitatem nempe non extendi ad faciendas minas, quæ vergunt in damnum proprium, eò quòd Charitas non videatur obligare cum tanto incommodo, ſatisfit; in primis non eſſe tam facile, fieri poſse à correa principali damnum inferre complici revelanti ſtatim poſt minas ejuſdem, quia complex parata minari, ſupponitur etiam parata ad ſe defendendum, & circumſpecta in modo faciendi minas, hoc eſt illam minari blandis verbis, & charitativè, ut non iraſcatur ad vindictam, præterquam forſan in motu primo verbis iracundis, & non factis. Sed dices; dein, habita notitia de revelatione ſuorum delictorum facta per complicem Superiori, correa poſſet damnificare ipſam revelantem; ergo iſta non tenetur revelare: ſed contra. Complex in contingentia facti in primis tenetur pro bono communi ſe exponere periculo patiendi aliquod damnum, & interim adimplere obligationem ſuam, cætera omnia remittendo in manibus Chriſti Domini, & Superiorum prudentiæ, qua ſolent Prælati in hujuſmodi caſibus uti, ad reprimendos, inquit *Donatus*, delinquentes audaces, & bellos humores, ne detur anſa in committendis delictis.

Digitized by Google

Monialis præſumpta rea graviſſimi criminis à majori parte Conſororum ejuſdem Monaſterii, ratione cujus Moniales omnes vehementiſsimè timent, ſibi imminere graviſsima damna, interrogata extrajudicialiter de veritate dicenda, conſulit Confeſſarium; an teneatur ſub gravi ſe prodere.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO XXX.

SUMMARIUM

1 *Hujuſmodi Monialis in data hypotheſi non videtur teneri ſub gravi prodere ſemetipſam;*

2 *Habet enim Jus occultandi quantùm poteſt peccata ſua in foro externo:*

3 *Nec præſumptio Monialium poteſt exigere ab ea talem veram reſponſionem.*

4 *Ex* Diana *infertur, Monialem judicialiter interrogatam ſinè depoſitione teſtium non teneri ſub gravi reſpondere; ergo multò minùs in caſu noſtro.*

5 *Non obſtantibus his, Reſolvendum eſt, Monialem, de qua loquimur, interrogatam extrajudicialiter teneri ſub gravi reſpondere,*

6 *Quia, concurrente bono communi unà cum bono privato, iſti præferendum eſt illud, & quidem ſub gravi.*

7 *Adde, quòd fama Monialis non eſt ampliùs integra;*

8 *Propterea cum non poſſit prævalere exiſtimationi boni communis, ex Charitate, & Juſtitia tenetur ſub gravi reſpondere, & ſe prodere:*

9 *Ex Charitate, quia ſicuti aliquando amor proximi in extrema ne-*

ceſſitate conſtituti urget exponere ſe gravi incommodo, ita &c.

10 *Ex Juſtitia, quia cognoſceret ſe tanquam cauſam tot malorum imminentium Monaſterio,*

11 *Quod præcavere tenetur, ne damna patiatur ob ſui culpam. Quibus prælibatis,*

12 *Satisfit primo objecto, negando antecedens; nam ubi innocens graviſſimè damnificaretur, reus tenetur ſe prodere, ſed ſumus in caſu; ergo Moniales innocentes habent jus &c. & Monialis rea tenetur &c.*

13 *Secundò, omiſſo caſu* Dianæ, *negatur illatio, quia non currit paritas; &, data paritate, retorqueri poteſt argumentum.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem præſumptam ream, ut in caſu non teneri ſe prodere, juxta illam Regulam; *nemo tenetur aperire turpitudinem ſuam*, cum habens jus occultare quantùm poteſt in foro externo peccata ſua, ne
2 ſeipſum infamet, poterit præfata Monialis ſinè gravi culpa tenere occultum graviſſimum ſui crimen interroganti extrajudicialiter de eodem crimine; an fuerit à ſe ipſa patratum, licèt præſumatur rea de eodem à majori numero Monialium, & ideò non peccare mortaliter, ſi neget, ſe eſſe ream tanti criminis; quia præſumptio Monialium, quòd ſit rea non dat jus
3 interroganti extrajudicialiter ad exigendam veram reſponſionem ſuper interrogata; quandoquidem ſi Reus indicatus, accuſatus, vel diffamatus de delicto non poteſt niſi poſt ſemiplenam probationem, & non ante interrogari à Judice, multò minùs quis, etiamſi deputatus à Superiore, poterit aliquo jure interrogare præſumptam ream criminis: ſi autem in propoſito caſu ex defectu juris in interrogante, iſtius interrogationes nullæ ſunt, præfata Monialis interrogata extrajudicialiter nullo jure tenetur reſpondere, & propterea ſinè culpa gravi poſſe tenere occultum ſui crimen, etiamſi Monialium commu-

munis præſumptio, utpote fœminea non reputatur multi momenti, eò quòd mulieres multa indicia leviſſima, inania, & futilia ſibi ſuadere ſoleant ut vera, magna, & fundata in veritate, quæ tamen maturè diſcuſſa, ut plurimùm, inſubſiſtentia, & malè fundata inveniuntur; unde Monialis præſumpta rea delicti à Monialibus adhuc habet locum negandi ſuam reitatem interroganti extrajudicialiter.

4 Præterea, ut docet *Diana part. 2. tom. 5. reſol. 9. in ſum. verb. Reus nu.* 10. *cum aliis*, ſi reus juridicè interrogatus de crimine perpetrato non tenetur reſpondere, ſequendo viam veritatis, niſi poſtquam viderit teſtium depoſitionem, cum non teneatur præjudicare ſuæ famæ, quam juſtè poſſidet, multò minùs præfata Monialis, quamvis præſumptio Monialium ſtet contra ipſam, teneretur dicere verum, confitendo ſui crimen interroganti extrajudicialiter, juxta regulam arguendi ab inductione, quæ reducitur in rem noſtram; Monialis namque in contingentia facti non teneretur ſub gravi reſpondere judicialiter interrogata ſinè præhabita depoſitione teſtium; ergo multò minùs extrajudicialiter interrogata ex ſola præſumptione ſinè depoſitionibus teſtium, ut ſupponitur.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Monialem revera ream graviſſimi criminis, & præſumptam ream à majori parte Monialium, quæ juſtè, & rationabiliter timent ſibi imminere propter idem delictum graviſſima damna, interrogatam extrajudicialiter teneri ſub gravi reſpondere; & ratio eſt, quia, con-
6 currentibus bono communi, & bono privato; & bonum commune de genere ſuo præponderat bono privato, interrogatus etiam extrajudicialiter tenetur, & quidem ſub gravi ratione materiæ gravis, quæ attenditur in bono communi; tenetur, inquam, reſpondere verum in favorem boni communis, poſthabito bono privato, etiam ſui ipſius ſinè ulla tergiverſatione ad occultandum ſui crimen jam diffamatum apud majorem partem Monialium, propter maxima indicia, quæ habent, &

ſanè

ſanè ſufficientia ad fundandam vehementem præſumptio-
nem, & quaſi ſemiprobationem illam adjudicandi ream tanti
criminis; unde, manifeſtata eidem hujuſmodi præſumptione,
tanquam publica inter Moniales, quòd ipſa reputatur rea, &
cauſa, cur Moniales ſint in timore, & tremore, eò quòd ex
ejus delicto, donec fuerit inconfeſſum ab ipſá, paveant ſibi ipſis
graviſſima damna certò, & proximè futura in ruinam Mona-
ſterii, Monialem reputatam ream teneri ſub gravi prodere ſe,
& fateri verum, ut liberet totum Monaſterium ab imminenti-
bus malis, non videtur poſſe controverti, quandoquidem ejus
7 fama non ampliùs integra, quia multum diminuta per diffama-
tionem criminis ipſius, non eſt tanti habenda, ut prævaleat in
exiſtimatione bono communi totius Monaſterii, & propterea
huic poſtponenda, & ſic Monialis rea præſumpta à ſuis Con-
ſororibus, ſibi plenè conſcia de patrato crimine, cognito pe-
8 riculo proximo imminentis damni ex cauſa ſua contra ſui Mo-
naſterium, teneretur ſub gravi tum ex Charitate, tum etiam
ex Juſtitia reſpondere verum, confitendo ſincerè, ſe patraſſe
delictum illud, cujus præſumitur rea inter ſuas Conſorores;
ex Charitate, inquam, quia ſicuti charitas, & amor proximi
9 urget aliquando exponere ſe periculo patiendi graviſſima in-
commoda in extrema neceſſitate ſpirituali ejuſdem pro ſal-
vanda illius vita æterna, aut etiam temporali, ita in hypotheſi
ad theſim vocata videtur, præfatam Monialem teneri, urgen-
te hujuſmodi charitate, prodere ſe ipſam, ut liberet totum
Monaſterium ab imminentibus damnis, quorum timore
omnes Moniales graviſſimè contriſtantur: teneretur inſuper,
10 ut dicebam, ex Juſtitia, quia cognoſcens ſe eſſe unicè cau-
ſam, propter quam revera Monaſterium pateretur damna, ſi
non ſe proderet, cognoſceret ſtatim ſe teneri removere cau-
ſam talium damnorum imminentium Monialibus, & Mona-
ſterio, juxta illam Regulam certam apud *Moraliſtas*, quòd
quiſque teneatur ſub lethali, præſertim in materia gravi, ſe-
qui

Digitized by Google

qui dictamen propriæ conſcientiæ. Præterquamquod Monialis in hypotheſi ad theſim vocata, utpote pars Monaſterii, cui eſt incorporata, cenſetur obligata omni meliori Jure præca-
11 vere ipſum Monaſterium, ne patiatur damna præcipuè gravia, etiamſi ipſa patiatur aliquod detrimentum propriæ bonæ famæ, quamvis ad ſui bonam famam eſſet adhuc in pleno, integro, & pacifico Jure, quod tamen non verificatur in caſu præſenti, cum ratione illius præſumptionis, quæ facit ſemiplenam probationem reatus, cujus à majori numero Monialium reputatur rea: & hæc ratio tantò habetur validior, quantò nobilior, & dignior eſt pars iſtarum Monialium, utpote ex ſenioribus, & gravioribus Monaſterii, quæ, ut plurimùm edoctæ ab experientiis in rebus clauſtralibus, cautè ambulantes non ſolent currere, nec eſse temere proclives ad ſui judicia ferenda in proximum. Hoc itaque firmato, quòd præfata Monialis in propoſito caſu teneatur ſub gravi utroque jure Charitatis, & Juſtitiæ ſe prodere,

12 Ad primum reſpondetur, negando antecedens, abſolutè loquendo, quia non ſemper verificatur aſſertum ibi; nam in caſibus, in quibus ſequeretur graviſſimum damnum innocenti ex illa occultatione, reus ipſe teneretur aperire turpitudinem ſuam, ut impediat dictum damnum, quod proveniret unicè à ſe ipſo, tanquam à cauſa principali. E contra Monaſterium, & Moniales nnocentes cum ſtabili fundamento habent verũ jus exigendi ab eadem Moniali revera rea, & reputata ab ipſis rea, ejus veram, & ſinceram Confeſſionem ſui criminis, ut ſe ipſas præſervent à damnis imminentibus; quo jure ſtante contra ipſam ream, hanc ipſam teneri ex Juſtitia ſe prodere talem qualis in ſe eſt, & qualis reputatur, non eſt ampliùs dubitandum, ſecus verò peccare mortaliter: nec audiendi ſunt qui addunt, non teneri, quia non interrogatur judicialiter, & interrogatur ſinè ſemiplena probatione delicti; nam caſus propoſitus eſt pro inſtructione animi ad conſulendam Monialem

in fo-

in foro conſcientiæ, in quo ipſa Monialis eſt teſtis, & accuſator ſui criminis patrati, quod cognoſcit evidenter eſſe cauſam imminentis damni toti Monaſterio, niſi prodat, ſe eſſe ream ejuſdem criminis, & inſuper ſcit eſſe diffamatam, veluti ream; ideòque, his ſtantibus, Monialis præſumpta rea, qualis revera eſt, & qualem ſe accuſat apud Confeſſarium pro conſilio habendo, conſulenda eſſet per Confeſſarium, ad ſedandas Moniales injuſtè turbatas ex cauſa ſui criminis, & ad præcavenda gravia damna imminentia toti Monaſterio, teneri ſub gravi contra Charitatem, & ſimul contra Juſtitiam ſe prodere, ut ſuperiùs ſatis probatum fuit.

13 Ad ſecundum, tranſacto caſu *Dianæ loc. cit.*, negatur illatio: quidquid ſit de reo interrogato judicialiter in foro externo, pro quo plura ſunt ſervanda in ordiendo, & proſequendo telam judiciariam, ut inde, Juris ordine ſervato, feratur judicium reatus, & Sententia in reum; in caſu noſtro diſcurrendum eſt diverſimodè, quia Monialis conſtituta ſponte ſua coram Confeſſario, ad quem acceſſit, tanquam ad Conſiliarium, petit inſtrui ab eodem; an rea in ſe perpetrati criminis, interrogata extrajudicialiter ſuper eodem crimine, teneatur ore proprio ſe prodere in facta hypotheſi, ne Moniales, & Monaſterium patiatur gravia damna; & hoc eſt valde diverſum ab eo, quod in contrarium opponebatur, ad aſſerendum ipſam non teneri ſe prodere, deſumendo argumentum ab inductione Caſus figurati pro foro externo: dein, etiam data paritate, poteſt retorqueri argumentum à ſimili ſic: ſicuti reus interrogatus à Judice, viſis depoſitionibus teſtium, teneretur ſe prodere, quia tunc non habet ampliùs verum jus ad ſervandam ſui famam, jam deperditam apud Judicem vigore depoſitionum teſtium conteſtium ſuper verificatione illius criminis, juxta illam regulam; *in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum*: ita præfata Monialis extrajudicialiter interrogata (in quo cum non debent ſervari tot, & tanta, quæ ſervari debent in textu-

textura judiciali, prout præſcribuntur à Jure criminali) viſa, & intellecta vehementi præſumptione, propter quam eſt diffamata ut rea illius criminis apud majorem partem Monialium, & ſanè ſeniorum, cum diffamatio, & vehemens præſumptio veniant huc in locum depoſitionum teſtium, teneretur ſe prodere, ne cauſa ſui periret totum Monaſterium innocens unà cum omnibus ſuis Conſororibus, juxta præcitatam Regulam arguendi ab inductione, hoc eſt, ſi reus interrogatus judicialiter poſt depoſitionem teſtium tenetur ſe prodere; ergo Monialis in hypotheſi ad theſim vocata, extante illa Monialium præſumptione, & ejuſdem diffamatione, quæ æquivalent interroganti extrajudicialiter depoſitionibus teſtium, teneretur ſub gravi fateri verum ſincerè, & ſinè mendacio ſe prodere, ad ſalvandas omnes ſuas Conſorores ab omnibus malis eis imminentibus ex cauſa ſui, donec ore proprio non aperiret ſui turpitudinem.

Monialis rea gravis delicti, negativa tamen ejuſdem apud ſuum Superiorem, detenta in carceribus Monaſterii, & interim cupiens conſulere conſcientiæ ſuæ apud Deum, mittit Monialem cuſtodem carceris, ſibi multùm confidentem ad Confeſſarium ordinarium unà cum notula ſuorum peccatorum, ut confiteatur illa ſacramentaliter eidem Confeſſario nomine ſuo, ac ſi ipſa rea eſſet præſens pro abſolutione obtinenda ab eodem Confeſſario, audita hujuſmodi Confeſſione;

Quæritur à Confeſſario; quomodo ſe gerere debeat?

RESOLUTIO XXXI.

SUMMARIUM

1 *Videtur Confeſſarius poſſe audire hujuſmodi Confeſſionem, & impertiri abſolutionem Carceratæ abſenti;*

2 *Hic etenim adeſſe videtur materia proxima Sacramenti, & Confeſſio verbalis peccatorum:*

3 *Inſuper videtur ſufficiens; qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere videtur;*

4 *Eo modo, quo ſufficiens habetur Confeſſio ſacramentalis facta per Interpretem, cum ſcilicet Confeſſarius, & pœnitens nequeant ſe invicem intelligere:*

5 *Præterea ſicuti Sacramentum Matrimonii fieri poteſt per Procuratorem, ita &c.*

6 *Denique ſi abſolvitur impotens ad Confeſſionem verbalem, modò det*

ſignum

Digitized by Google

ſignum externum pœnitentiæ, cur denegabitur abſolutio Moniali? &c.

7 *In contrarium tamen reſolvimus,*

8 *Quia eſt Propoſitio damnata à Clem. VIII.* Licere per literas, & internuncios Confeſsario abſenti confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere:

9 *Et quidem jure merito, quia hujuſmodi Sacramentum inſtitutum eſt ad modum Judicii:*

10 *Quare ante abſolutionem requiritur perfecta cognitio cauſæ;*

11 *Quapropter ex natura rei exigitur præſentia Judicis, juxta* Tridentinum:

12 *Præterea in data hypotheſi non ſervaretur forma Sacramenti,*

13 *Quia verba ipſius formæ denotant præſentem perſonam pœnitentis:*

14 *Hinc eſt, quòd Confeſſarius nequibit abſolvere Monialem hanc abſentem; quod duobus exemplis comprobatur.*

15 *Adde, quòd abſolutio, & Confeſſio ſunt actus perſonales minimè delegabiles;*

16 *Ratio eſt, quia narratio peccatorum debet eſſe integra, ſecreta, doloroſa cum ſufficienti diſpoſitione ad conficiendum Sacramentum:*

17 *Quæ omnia neceſsariò ſcienda à Confeſſario quomodo ſufficienter innoteſcent eidem in noſtro caſu?*

18 *Objecta facilè diluuntur ex dictis.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum in contingentia facti, Confeſſarium poſſe audire Confeſſionem, quam Monialis cuſtos Carceratæ ageret nomine ejuſdem Carceratæ, & propterea, habita hujuſmodi Confeſſione à Carceraria nomine Carceratæ, impertiri poſſe abſolutionem præfatæ Carceratæ; videtur namque in hypotheſi haberi materiam proximam
2 Sacramenti Pœnitentiæ, hoc eſt dolorem in pœnitente Carcerata, & Confeſſionem verbalem peccatorum damandatam à Carcerata eidem Carcerariæ, quæ Confeſſio videtur ſuffi-

 ciens,

Digitized by Google

3 ciens, juxta illam Regulam: *Qui per alium facit per ſe ipſum facere videtur*; non ſecus ac reputatur ſufficiens Confeſſio Sacra-
4 mentalis facta per Interpretem, ſi pęnitens, & Confeſſarius neſciant, utpote diverſarum nationum, ſe intelligere ad invicem: cum autem, data materia proxima Sacramenti pęnitentiæ, dari debeat forma ejuſdem, hinc eſt, quòd Confeſſarius, habita ex ore Carcerariæ Confeſſione peccatorum Carceratæ, quæ pro eo tunc ſupponitur contrita, aut ſaltem ſufficienter attrita, debeat impertiri abſolutionem.

5 Præterea, ſicuti Sacramentum Matrimonii fieri poteſt per Procuratorem, ut experientia docet in Eccleſia Dei, ſimiliter Sacramentum Pęnitentiæ confici poterit procuratorio nomine per tertiam perſonam, & præſertim in hypotheſi ad theſim vocata, ubi Monialis Carcerata, ideòque impedita, nequit adire perſonaliter Confeſſarium, & maximè ſi habeat, ut ſupponi debet habere votum, & animum ratificandi, immo & iterandi perſonaliter eamdem Confeſſionem ore proprio, quam pro illo tunc de ſuo mandato agit ore alieno, præfatæ ſcilicet Carcerariæ ſibi multùm confidentis: rurſus, ſi, ut do-
6 cent communiter *Auctores*, pęnitens impotens ad faciendam Confeſſionem verbalem ſuorum peccatorum, nihilominus eſt abſolvendus, ſi det ſignum externum pęnitentiæ aliquo nutu oculorum, vel manuum, videtur ſimiliter, præfatam Monialem fore abſolvendam in facta hypotheſi, cum ipſa det ſigna, mediante Carceraria ſibi amica, veræ pęnitentiæ, & ſanè ſigna fortè majoris momenti, quàm ſint illa ſigna nutuum, vel manuum, ut ſupra, quia ſigna hujuſmodi Carceratæ data Confeſſario per Carcerariam important manifeſtationem peccatorum ejuſdem Carceratæ ipſi Carcerariæ, ut dein illa confiteatur Confeſſario nomine ejuſdem Carceratæ, eo ſimili modo, quo quis confiteretur peccata ſua, medio Interprete, ubi notant *Auctores*, confiteri per Interpretem eſſe onus ita grave, ut nemo teneatur ullo præcepto, Divino nempe, aut humano

con-

Digitized by Google

conſiteri per Interpretem: igitur à primo ad ultimum videtur, Confeſsarium in propoſito caſu abſolvere poſſe Monialem carceratam in perſona Carcerariæ non ſecus, ac ſolent aliquādo abſolvi à Cenſuris excommunicati abſentes, dum legitimè impediti ſe præſentant per oratorem Superiori habenti facultatem ſolvendi, & ligandi.

7 His tamen non obſtantibus, reſolvendum eſt, Confeſſarium in hypotheſi ad theſim vocata non poſſe ullo modo abſolvere Monialem carceratam ſacramentaliter ab ejus peccatis, & ratio eſt in primis, quia contrarium fateri, licèt aliàs fuerit controverſum, & à quibuſdam *Auctoribus* defenderetur tanquam probabile, nunc habetur, & eſt error in Fide, ſtante deciſione *Clementis VIII.*, qui, *auditis votis Cardinalium in Sac. Cong. Sanctiſſimæ Inquiſitionis de Urbe ſuper hac propoſitione*, videlicet, *utrum liceat per Literas, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata*

8 *ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*, idem Pontifex declaravit, *non licere*, & oppoſitam damnavit, & prohibuit ad minùs uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam, nulloque modo deducibilem ad praxim, ut videre eſt apud *Cherubinum Laertium in Bullario conſt. 86. ejuſdem Papæ paſſim citat. ab Auctoribus*; & ratio hujus deciſionis potuit eſſe multi-

9 plex, & prima deſumitur ex parte materiæ; quia cum Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit à Chriſto Domino per modum Judicii, ſive Sententiæ definitivæ, requiritur ante abſolutionem perfecta cognitio cauſæ, hoc eſt peccatorum; & cum

10 ſit judicium internum, & voluntarium, in quo ſola perſona pęnitentis ſupplet vices accuſatoris, teſtis, & rei aliquo modo ſe defendentis, & oſtendentis diſpoſitionem ſuam per ſe, & ex natura rei, exigit præſentiam Judicis, juxta illam regulam *Conc. Trid. ſeſs. 14. cap. 5. de Confeſſione; conſtat enim, Sacerdotes*

11 *judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe*; ideòque de neceſſitate Sacramenti pęnitentiæ eſt, quòd pęnitens Sacerdoti præſenti immediatè, & per ſe ipſum revelet peccata ſua, ſecus

cus nulla eſſet ſacramentalis Confeſſio: rurſus, ratio præfatæ
12 *Deciſionis Papalis* potuit eſſe ex parte formæ, quæ conſiſtit in il-
lis verbis: *Ego te abſolvo*, quia ly *Te* demonſtrat præſentem
13 perſonam, quemadmodum in conſecratione Euchariſtiæ ly
Hoc demonſtrat Chriſtum contentum ſub præſenti hoſtia; un-
de fit, quòd ſicuti Sacerdos abſens nequit conſecrare panẽ exi-
14 ſtentẽ in foro, quamvis per Angelum certificaretur, ibi adeſſe
panem, quia non eſt præſens, ut eruditè advertit *Cajetanus in*
ſummula verb. Confeſſio §. undecima ſecreta, ubi ex *Donat. tom. 4. de*
Confeſſariis Monialium tract. 13. quæſt. 17. nu. 4., docet, nemi-
nem poſſe Sacramentum Pęnitentiæ per procuratorem ſuſci-
pere, ſicuti nemo poteſt Baptizari per procuratorem; Con-
feſſio namque, & abſolutio ſunt actus perſonales, & non ſunt
15 delegabiles, nec exercibiles per Internuncium, vel per Epiſto-
lam, ut ſcripſit *Sotus in 4. Sentent. diſt. 18. quæſt. 2. art. 6. verb. ſe-*
cundum membrum.

16 Et ratio eſt, quia non omnis narratio peccatorum facta Sa-
cerdoti eſt ſufficiens ad obtinendam abſolutionem Sacramen-
talem, ſed debet eſſe integra, ſecreta, & doloroſa, & cum ſuf-
ficienti diſpoſitione ad conficiendum Sacramentum Pęniten-
17 tiæ; quæ tamen omnia neceſſariò ſcienda à Confeſſario neque-
ũnt eidem innoteſcere ſufficienter in caſu propoſito, quia Mo-
nialis carcerata, licèt manifeſtaverit peccata ſua Moniali Car-
cerariæ, ad illa deferenda nomine ſui ad Confeſſarium, po-
tuerit retractare dolorem, & mandatum, mutare propoſitum
ampliùs non peccandi, & fortè etiam novum peccatum com-
mittere antequam Carceraria ejus peccata confiteatur apud
Confeſſarium: & tandem hujuſmodi Confeſſio non eſſet verè
ſecreta, ut patet, & propterea non eſſet ſacramentalis, ideò-
que nullius valoris reputanda, tum ratione *Deciſionis Pontificiæ*,
ut ſupra, tum etiam rationibus adductis ad probandam nulli-
tatem ejuſdem: itaque

18 Ad primum negatur antecedens, & totum ratiocinium,
quia

quia in facta hypotheſi non verificatur, dari veram Confeſſionem ſacramenralem; Confeſſio enim ſacramentalis importat, quòd pęnitens per ſe ipſum, & non per alium confiteatur peccata ſua Confeſſario præſenti, ut hic poſſit miniſtrare idem Sacrameutum, impertiendo abſolutionem; quandoquidem abſolutio datur per illa verba: *Ergo te abſolvo*; & ly *Te* eſt demonſtrativum Rei; demonſtrativum autem *Rei* ſupponit ipſum *Reum* præſentem, ut diximus ſuperiùs pro Sacramento Euchariſtiæ, ubi conſecrans proferendo *Hoc eſt corpus meum* &c. & vel: *Hic eſt calix* &c. demonſtrat per ly *Hoc* eſſe præſens Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & per ly *Hic* eſſe præſentem Sanguinem Chriſti Domini ſub ſpeciebus vini: & hinc clarè colligitur, quòd Monialis carcerata abſens à Confeſſario, dum Carceraria confiteretur ejus peccata, non poteſt abſolvi, cum nequeat verificari forma abſolutionis, ex defectu ſuæ præſentiæ; quatenus enim abſens à Confeſſario idem Confeſſarius falsò diceret; *Ego te abſolvo*, cum ly *Te*, prout eſt demonſtrativum, importans illius præſentiam, revera non verificaretur, & ſic, non verificata præſentia pęnitentis, nec pręſentia Confeſſarii, illa Confeſſio facta per Carcerariam non eſſet Confeſſio ſacramentalis, eò quòd iſta neceſſariò exigat actus verè perſonales pęnitentis, & Confeſſarii; non enim habet hic locum illa regula: *qui per alium facit per ſe ipſum facere videtur*, quia in caſu noſtro requiruntur actus, ut dicebamus, revera perſonales utriuſque, ut in caſu de Sacramentis Baptiſmi, aut Confirmationis, quæ nequeunt ſuſcipi per tertiam perſonam, eò quòd requirantur actus interni perſonales ſuſcipientis, & miniſtrantis eadem Sacramenta, ut docet Sancta Mater Eccleſia, cum hujuſmodi actus non ſint delegabiles. Ad illud autem, quod addebatur de Interprete adhibito pro ſacramentali Confeſſione facienda Confeſſario ignoranti linguam pœnitentis extranei, ſatisfit, dicendo, paritatem non currere, quia in hoc caſu verificaretur ſemper realis præſentia

tia

Digitized by Google

tia pęnitentis apud Confeſſarium, cui audienti peccata de ore Interpretis idem pęnitens ſignis, & nutibus illa confirmando, verè, & realiter faceret ſui Confeſſionem Sacramentalem, & Confeſſarius, facto ſui judicio, poſſet ferre ſententiam, & abſolutionem; in hypotheſi autem ad theſim vocata Confeſſarius non poſſet abſolvere ex defectu præſentiæ Monialis carceratæ, ut ſatis dictum fuit.

Ad ſecundum reſpondetur, paritatem non currere de Sacramento Matrimonii ad Sacramentum Pęnitentiæ, quia matrimonium ab origine ſua fuit contractus humanus, dein elevatus à Chriſto Domino ad eſſe Sacramentum: igitur Matrimonium habet duplicem rationem, contractus nempe, & Sacramenti; & hinc eſt, quòd, ut contractus humanus eſt, fieri poſſit per Procuratorem, non tamen ut Sacramentum, quia ut Sacramentum eſt, cum nequeat fieri ſinè miniſtro, & miniſtri hujus Sacramenti ſint non Procuratores, ſed ipſi contrahentes, inde eſt, quòd nequeat fieri in abſentia unius ex ipſis contrahentibus: quod probat, Sacramentum Pœnitentiæ non poſſe confici ex defectu præſentiæ mutuæ utriuſque, pœnitentis ſcilicet, & Confeſsarii: nec ſuffragatur ſuppoſitum adinventum ab Adverſariis, hoc eſt, Monialem carceratam habere votum, & animum firmum ratificandi Confeſſario Confeſſionem factam nomine ſuo à Carceraria propter ſuperiùs dicta, ad oſtendendum, requiri neceſſariò realem præſentiam pœnitentis; licèt ad Matrimonium, quatenus contractus humanus eſt, ut ſit perfectus, ſufficiat votum, & animus illud ratificandi de facie ad faciem per ipſos contrahentes. Similiter reſpondetur ad aliam paritatem; admittitur namque, pœnitentem impotentem, vel quia eſt mutus, vel quia ex gravi morbo gravatus, vel quolibet alio modo ſit impeditus loqui ad manifeſtanda peccata ſua, poſſe abſolvi, datis ſignis externis Pęnitentiæ, quia revera ſupponitur præſens; at in hypotheſi noſtra, cum non verificetur præſentia Carceratæ, Confeſsarius illam

non

nón poſſet abſolvere; ſigna enim Pęnitentiæ debent dari ab ipſa Pęnitente, quia, prout actus perſonales, non ſunt delegabiles, & ſi delegantur nihil operantur, & ſunt nullius momenti, ſicuti nullius momenti reputanda eſt paritas ultimò adducta de Interprete præſente unà cum pęnitente: in caſu enim de pęnitente confitente ſua peccata per Interprêtem habetur præſentia realis pęnitentis, non ſic in propoſito caſu, pro cujus reſolutione non eſt ampliùs diſputandum, cum ultra rationes adductas ex viſceribus ejuſdem habeatur *citatum Decretum Clem. VIII.* damnantis opinionem præfatæ Reſolutioni contrariam.

Monialis Profeſsa in Monaſterio, ubi non viget vita communis, ſinè licentia Superiorisſæ pignoravit ſuper Montem Pietatis quædam ſui uſus Mobilia, ut pecuniam ſibi mutuatam exponeret Ludo vulgò *Seminario di Genova, o di Milano:* deinde, facto pignore, & pecunia ludo expoſita, quærit à Confeſsario; an hoc fuerit ſibi licitum.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXII.

SUMMARIUM

1 *Videtur hæc Monialis poſſe facere hujuſmodi Pignus ſinè licentia Superiorisſæ,*

 2 Quia

Digitized by Google

2 *Quia cum non alienet, non agit contra Votum Paupertatis;*

3 *Et, cum detur locus Epicheiæ, non agit contra Obedientiam:*

4 *Maximè cum ſoleat ab Abbatiſsa permitti Monialibus, ut aliquando ludant.*

5 *Præterea Ludus, de quo eſt ſermo, eſt undequaque licitus; quare &c.*

6 *Quibus rejectis, dicimus, hujuſmodi Monialem non potuiſſe licitè pignorare illa Mobilia ad ludendum,*

7 *Quia pignorare in genere eſt ſpecies alienationis, ut probatur.*

8 *Hujuſmodi Ludus eſt omnino ſortuitus, quinimmo prohibitus, non tantùm Religioſis, ſed quibuſdam in Locis etiam Laicis, & hic Bononiæ à Summo Pontifice vetitus eſt omnibus, & ſingulis.*

9 *Ad primum objectum reſpondetur, negando antecedens,*

10 *Quia pignorare eſt veluti alienare, ut ſupra innuimus; qui enim accipit pignus aliquod ius acquirit ſupra rem pignoratam.*

11 *In rebus illicitis non datur locus Epicheiæ.*

12 *Quòd ſi Abbatiſsa aliquando concedit licentiam Monialibus Iudendi inter ſe, taxata pecunia Ludo exponenda, ex hoc potiùs infertur, quàm malè ſe gerat Monialis noſtra &c.*

13 *Satisfit ſecundo objecto, opponendo prohibitionem* Summi Pontificis.

14 *Ratio verò, quæ inducit Principes ad permittendos hujuſmodi Ludos, non ſufficit ad excuſandam Monialem in caſu noſtro.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem ſinè licentia Superiorisſæ potuiſſe pignorare illa Mobilia ad ſui
2 uſum conceſſa, quia pignorare ſimpliciter, cum non ſit alienare, ſi Monialis pignorat, non facit quid illicitum contra Vo-
3 tum Paupertatis, & neque contra Obedientiam debitam Superiorisſæ, cum in hac contingentia facti videatur dari locus Epicheiæ, interpretandi nempe licentiam, ſi petiiſſet ab eadem Superioriſſa, non ſecus ac habuiſſet ab ipſa, ut pignoraret res ad ſui uſum conceſsas pro aliis indigentiis ad ſui perſo-

nam

Digitized by Google

nam ſpectantibus: quandoquidem ſolet Abbatiſſa in hujuſmodi Monaſterio licentiam concedere Monialibus, ut ludant inter ſe, & præſertim recurrentibus Feriis recreationis, ut ajunt, bacchanaliorum ante Adventum Domini, & ſacram Quadrageſimam, & ludendo poſſint exponere aliquam pecuniam, prout diximus in *Reſolutione* 14. *hujus Part.* 2. ubi ſtatuimus, Abbatiſſam poſse dare hujuſmodi licentiam, præcipuè taxando pecuniam ludo exponendam, ne ulla Monialis ludendo paupertatẽ Religioſam deperdat; quod quidem ſimiliter intelligendum videtur in data contingentia facti, maximè ſi Monialis exponeret mutuatam pecuniam in præfato Ludo intra limites Religioſæ paupertatis.

Præterea præfata Monialis ludendo, ut ſupra, non luderet Ludo illicito, cum ſit Ludus nedum permiſsus etiam ratione contractus cum Principe, in variis enim provinciis noſtræ Italiæ colludentes, nuncupati Impreſarii ſolvunt Cameræ Principum multam ſummam aureorum, ut poſſint accipere pecuniam ab omnibus perſonis cujuſcunque gradus, & conditionis ſint, ad hunc effectum ludendi modo dicto, ſervatis quibuſdam legibus ſtatutis ab eodem Principe, in cujus ditione habetur hujuſmodi Ludus; cui Ludo ludunt paſſim Clauſtrales utriuſque ſexus cum licentia ſuorum Superiorum, nedum tacita, verùm etiam expreſſa, quæ ſanè probat, præfatum Ludum eſſe licitum, ſecus Superiores ſi darent licentiam ad opus illicitum, eſſent & ipſi in culpa, quod non eſt dicendum. Igitur, ſuppoſito Ludo tanquam licito, tum ex parte Principum, qui non ſolùm permiſſivè, ſed etiam poſitivè illum approbant, tum ex parte inveteratæ conſuetudinis Clauſtralium utriuſque ſexus ludentium, ſequitur, Monialem ad theſim vocatam potuiſſe licitè pignorare præfata mobilia pro habenda pecunia dicto Ludo exponenda.

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Monialem in contingentia facti non potuiſſe licitè pignorare illa mobilia pro

 ha-

habenda pecunia præfato Ludo exponenda; & ratio eſt in pri-
7 mis, quia cum pignorare in genere ſit ſpecies alienationis, quatenus dum res pignoratur, ad tempus transfertur jus in eandem rem pro tanta rata valoris ejuſdem rei, quanta eſt pecunia, quæ datur ab eo, qui pignus accipit, ut patet apud Sacrum Montem Pietatis, qua ratione idem Mons Pietatis, tranſacto certo tempore determinato, ſi non redimuntur pignora, ſoleat vendere ipſa pignora palam, & publicè, quod licitè non ageret, niſi eidem competeret aliquod jus privativè ad pignorantes, cum Moniali privatæ prohibitum ſit alienare in genere, clarè infertur, præfatam Monialem in contingentia facti non potuiſſe licitè pignorare illa mobilia, & præſertim ſi pecunia pro pignore accepta fuiſſet tanta, quanta ſufficeret ad materiam gravem contra Votum Paupertatis: quandoquidem creditor, advertit *Caſſianus in Arbore opinionum verbo Pignus* §. 3. *nu.* 16., habet jus in pignus tradendi illud alteri ſimiliter in pignus, ut conſtat *ex l. grege* §. *cum pignori ff. de pignore*; immo habet etiam jus vendendi pignus, elapſo tempore definito; quamvis enim Creditor non ſit verè dominus pignoris, tamen illud vendendi ei jus conceditur à jure, *l. ſi convenerit ff. de pignorat. act.*, & Monialis privata, utpote Voto Paupertatis ligata, non poteſt ſinè licentia ſuorum Superiorum ad ſui libitum diſponere licitè de rebus ad ſui uſum conceſſis, illaſque diſtrahere, præcipuè in non neceſſaria ad victum, & veſtitum, ac alias ſui indigentias, infertur, præfatam Monialem illicitè pignorare mobilia apud Sacrum Montem, ſive apud aliam perſonam extraneam pro habenda pecunia prædicto Ludo exponenda; maximè quia Ludus hic, de quo habetur ſermo,
8 eſt ludus merè fortuitus, prohibitus, & quidem Clericis Jure Canonico *cap. Clericus* 2. *& Auth. de Sanctis Epiſcop.* §. *Interdicimus de vita, & honeſtate Clericorum*: quod ſanè intelligendum eſt etiam de Monialibus, quia, ut notat citatus *Caſſianus verbo Ludus* §. 5. *nu.* 20. *cum Navar. in Manual. cap.* 20. *nu.* 7. *Leſſ. de Juſt.*

Digitized by Google

Juſt. lib. 2. cap. 26. dub. 1. & aliis, Ludus, qui magis fortuna, quàm arte regitur, prohibitus eſt omnibus Religioſis, & propterea etiam Monialibus profeſſis, quæ veniunt in hac parte, ubi agitur de vita, & honeſtate morum, nomine Religioſorum, quamvis videamur eſſe in odioſis; & ex alia parte ſumus in Ludo, qui nullatenus regulatur ab arte, ſed omnimodè regitur à ſola fortuna, ut patet ſcientibus naturam hujuſmodi Ludi, de quo eſt ſermo; hic etenim Ludus vulgò dictus *Seminario di Genova*, ſive alterius, ubi exponitur pecunia ad lucrandum ſupra centum, caſu quo quis divinet quædam nomina Perſonarum dein extrahenda cum ſchedulis, videtur unicè regulatus à fortuna, nulla concurrente induſtria ludentium; etſi aliquando luſores ſomniantes, recogitantes ſomnia ſua ſe determinent ad eligenda in ſortem ſui potiùs illa, vel iſta nomina expoſita pro divinatione facienda, vigiles facti, extractione facta, nihil inveniant in manibus ſuis. Hoc totum confirmatur, conſtante prohibitione de hujuſmodi Ludo in variis regionibus facta per Principes Laicos, qui cognoſcentes quàm grave damnum inferat Reipublicæ, & ſubditis ſuis ſub graviſſimis pœnis hujuſmodi ludos prohibuerunt, & propterea illicitos laicis, & multò magis omnibus Clauſtralibus utriuſque ſexus. Cum ſimus autem Bononiæ ſub ditione Pontificia ſuperaddo, Monialem ad theſim vocatam non potuiſſe licitè pignorare illa mobilia in contingentia facti, quia dedit operam rei illicitæ, hoc eſt præfato Ludo prohibito in ſtatu Eccleſiaſtico à *Summo Pontifice*; & hinc

9 Ad primum reſpondetur, negando antecedens, quia pignorare de genere ſuo eſt aliquo modo alienare, ſapit enim ſpeciem alienationis, eò quòd qui accipit pignus, & dat pecuniam habet jus ſupra pignus ad ratam pecuniæ datæ, ita ut,
10 elapſo certo tempore præfixo, poſſit illud vendere, & etiam alteri pignorare licitè, & juſtè ſinè ulla injuria primi pignorantis ſibi; unde præfata Monialis ſinè ulla licentia pignorans

age-

ageret diſpoticè hujuſmodi ſpeciem alienationis ſibi illicitam, tanquam contra Votum Paupertatis; Neque hìc juvat recurrere ad Epichejam, ut innuebatur in ratiocinio, quia non da-
11 tur locus Epichejæ, ubi agitur de re illicita, præcipuè in materia gravi contra Votum Paupertatis, & nulla urgente neceſſitate, ut ſupponitur in contingentia facti. Similiter non valet arguere, prout in eodem objecto arguebatur; hujuſmodi pi-
12 gnorare pro habenda pecunia præfato Ludo exponenda licitum eſſe, eò quòd in tali, & tali Monaſterio ſoleat Abbatiſsa concedere licentiam ludendi, recurrentibus Feriis recreationis, quia non ſumus in caſu pari, quandoquidem in primo caſu, ut dicebamus in *Reſolutione* 14. *Partis cit.* omnia fiunt cum licentia Superioriſſæ, & quidem intra paupertatis limites, attenta taxa facta per ipſam Superiorisſam, quod non verificatur in præſenti caſu, ubi omnia ſupponuntur fieri ſinè ulla licentia, & propterea illicitè à Moniali ad hypotheſim vocata.

13 Ad ſecundum reſpondetur, Ludum, de quo loquimur, eſſe quidem permiſsum de præſenti in variis regionibus, fuiſſe tamen multoties prohibitum, tanquam malum Reipublicæ, & eſſe adhuc prohibitum de præſenti apud varias Provincias, & præſertim in toto ſtatu Eccleſiaſtico, ubi figuratur caſus, de quo hìc eſt ſermo; unde in rem noſtram evincitur, præfatam Monialem, ludendo tali ludo, dare operam rei illicitæ, ſaltem ut prohibitæ à *Summo Pontifice* omnibus, & ſingulis ſuis ſubditis, in quorum numero veniunt Moniales Civitatis Bononienſis; præterquamquod illicitè ſe gereret in pignorando, ut ſupra, & in ludendo ſinè ulla licentia. Ad illud verò, quod addebatur, ad probandum præfatum Ludum eſſe licitum ex
14 natura ſua ſatisfit, dicendo, Principem Laicum, immo etiam Eccleſiaſticum aliquando permittere multa minùs mala, ne adveniant majora: & ſic hujuſmodi Ludos in ſuis ditionibus permittere, non quia boni ſint, ſed ne eveniant gravia damna ſubditis, qui velint, nolint ipſi Principes, volentes ludere ex-

tra-

Digitized by Google

tramittunt pecuniam pro ſimilibus ludis in exteras Provincias cum damno populorum ſubditorum, quod ſanè non ſufficit ad excuſandam præfatam Monialem in caſu noſtro, ubi eſt ſermo de Moniali pignorante ſinè licentia, & ludente ludo prohibito, ut ſupra.

Monialis capitularis, propoſita Puella in Capitulo, ut admittatur tanquam Educanda in Monaſterio, ſciens, majorem partem Capitularium inclinare ad illius admiſsionem, nolens ipſa, ut acceptetur, octo ſive multò plures fabas nigras per ſemetipſam poſuit in urna, unde Capitulum haberetur nullum: dein quæſitum fuit à Confeſſario; an præfata Monialis eſſet culpabilis.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXIII.

SUMMARIUM

1 *IN hoc Monialis non videtur culpabilis,*
2 *Quia ſupponitur, hoc agere cum fundamento:*
3 *Sicuti non eſt culpabilis Clauſtralis ille, qui (ut excludatur ad Habitum ſuſcipiendum in ſua Religione perſona inhabilis) colligit ab aliis capitularibus vota in contrarium, ita &c.*
4 *Iſtis minimè obſtantibus, reſolvitur in contrarium,*
5 *Quia peccavit graviter contra Juſtitiam, & Charitatem;*

6 Con-

Digitized by Google

6 *Contra Juſtitiam, quia violavit jus alterius.*

7 *Contra Charitatem, quia procul dubio foret cauſa diſſenſionum tum intra, cum extra Monaſterium.*

8 *Reſpondemus primo objecto, dicendo, quòd, dato etiam quòd Monialis habeat fundamentum rationabile, tamen non poterat ita ſe gerere,*

9 *Quia hoc fundamentum non dat illi Jus exhibendi plura ſuffragia.*

10 *Satisfit ſecundo, dando primam partem antecedentis, non tamen uti penitus honeſta, & negando quæ addita fuere.*

11 *Et aſſignatur diſparitas medians inter allatum Capitularem, & noſtram Monialem.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, hujuſmodi Monialem non eſſe culpabilem, quia nolens, Puellam acceptari pro Educanda, ſupponi debet, habuiſse motivum rationabi-
2 le ad procurandam nullitatem Capituli, pro qua plures fabas nigras appoſuit; non enim poterat ſortiri Capitulum nullum, niſi tali pluralitate fabarum contra majorem partem albarum favorabilium: igitur rationabili motivo ducta potuit licitè tot, & tanta ſuffragia ferre contra puellam, ne acceptaretur Educanda in ſui Monaſterio, & propterea licitè operando non videtur reputanda culpabilis in contingentia facti.

3 Præterea ſicuti non cenſetur culpabilis quilibet Clauſtralis de Capitulo quoties per proprium ſuffragium excludit poſtulantem admitti ad Habitum Religionis, quem non cognoſcit idoneum pro ſua Religione, immo ejus excluſionem procurat, colligendo plurium Capitularium vota in contrarium, ita ſimiliter non debet reputari culpabilis præfata Monialis in contingentia facti, procurando nullitatem Capituli, maximè quia nullitas capituli, ut ſupra, ex una parte non eſt tanti habenda in genere ſuo, quanti reputaretur contrarietas ejuſdem procurata, ut ſupra; dato ergo, quòd liceat, ſuppoſitis moti-

vis

vis ferre proprium ſuffragium contra poſtulantem admitti ad habitum, immo & procurare illius excluſionem ab aliis Capitularibus, videtur inferendum, etiam præfatæ Moniali licitum fuiſſe apponere illas octo, ſive plures fabas nigras pro habenda nullitate Capituli ad excluſionem dictæ puellæ ſinè ulla culpa ejuſdem Monialis.

4 His tamen non obſtantibus, reſolvo, Monialem hujuſmodi peccaſſe, & quidem graviter in contingentia facti contra Ju-
5 ſtitiam, & contra Charitatem. Peccavit contra juſtitiam, quia violavit jus alterius, aliarum nempe Monialium capitularium,
6 & malis artibus nullitatem Capituli procuravit; certum enim eſt, ſingulas Moniales capitulares habere jus ad votandum in Capitulo, ſed ſub quibuſdam certis regulis à Conſtitutione Ordinis ſtatutis, & auctoritate Pontificia confirmatis, hoc eſt, quamlibet Monialem de Capitulo ferre poſſe ſuum unicum ſuffragium affirmativum, vel negativum, prout judicaverit in Domino, & non aliter; hoc autem ſuppoſito, tanquam certo, ſtatim apparet evidenter, præfatam Monialem ferentem plura ſuffragia, illas nempe plures fabas nigras, ad obtinendam nullitatem Capituli, ut ſupra, violare jus Conſtitutionum Monaſterii, & injurioſè ſe gerere contra cæteras Moniales, quæ habentes jus ſuum ad votandum, & illud ferentes juxta legem latam in Conſtitutionibus injuſtè arctantur ad nullitatem Capituli, reſultantem unicè ab illa pluralitate fabarum excedente numerum Capitularium; quapropter Monialis, de qua eſt ſermo, violando leges præſcriptas pro agendis capitulis, ſibique uſurpando majus jus ſupra alias Capitulares in ferendo plures fabas ſupra ſui unicam, quam ferre poteſt, & debet; & inſuper malis hujuſmodi artibus impediendo jus aliarum Ca-
7 pitularium, peccaret contra Juſtitiam, & multò magis contra Charitatem, quia ex nullitate Capituli taliter obtenta, utpote injurioſa Capitulo in corpore, & ſingulis Capitularibus in particulari, & etiam Puellæ poſtulanti admitti pro educatio-

 ne,

Digitized by Google

ne, oriri ſolent jurgia, tumultus, & diſſenſiones, etiam cum ſcandalo in Domo Dei, non ſinè gravibus querimoniis apud extraneos Monaſterii puellæ poſtulanti ſanguine conjunctos, ut conſideranti patet, & experientia docet in dies, adveniente hujuſmodi caſu. Quare non eſt valde immorandum ad confirmandam Reſolutionem, ut ſupra, quoad ſecundam partem, cum eum, qui peccat contra Juſtitiam, multò magis peccare contra Charitatem clariſſimum ſit; & quidem peccare graviter in materia gravi, ſicuti venialiter in materia levi.

In caſu autem noſtro præfata Monialis peccaret graviter, quia delinqueret in materia gravi contra Juſtitiam, & contra Charitatem proximi, ut ſatis dictum eſt ſuperiùs.

8 Ad primum igitur, dato etiam quòd Monialis ad theſim vocata haberet motivum rationabile, & honeſtum ad excludendam puellam poſtulantem admitti pro ſui educatione in Monaſterio, non tamen poterat licitè dare tot, tantaque ſuffragia pro habenda nullitate Capituli, quia motivum ſui, quamvis juſtum, honeſtum, & rationabile ad excludendam puel-
9 lam, non dat illi jus ad danda plura ſuffragia pro illius excluſione; quemadmodum enim aliæ Moniales capitulares, volentes illam puellam admittere inter Educandas non habent ullum jus ad danda plura ſuffragia favorabilia eidem puellæ, ſed unicum dumtaxat poſſunt ſingulæ ferre, ita ſimiliter, cum contrariorum ſit eadem diſciplina, præfata Monialis nolens illam admittere ferre non poteſt niſi ſui unicam fabam contra ipſam puellam; & hinc eſt, quòd eadem Monialis reputanda ſit culpabilis, & quidem graviter propter gravia inconvenientia, quæ ut plurimùm ſequuntur ex hujuſmodi malis, & illicitis artibus contra regularem diſciplinam, & bonum pacis totius Monaſterii, etiam cum gravi ſcandalo laicorum, apud quos pervenire ſolent Monialium tractatus capitulares, & præcipuè ſi puella propoſita, & non admiſſa ob Capituli nullitatem, ad illos aliquo jure pertineat.

10 Ad

Digitized by Google

10 Ad ſecundum, data prima parte antecedentis, & admiſſa, non tamen tanquam honeſta undequaque, negatur totum id, quod addebatur, & dico; Vocalem, ſive Capitularem clauſtralem utriuſque ſexus non fieri culpabilem, quando proprio ſui voto, complendo numerum cum aliis Capitularibus concurrit ad excluſionem poſtulantis ingredi ſui Religionem, quem non judicat in Domino idoneum pro Religione, quia tunc, dictante ſua conſcientia, judicat, ita fieri, juſtum eſſe, & nequit ire contra propriam conſcientiam, & tenetur ita votare pro excluſione.

11 Inſuper hujuſmodi Capitularis ſi ſciret aliquod poſtulantis impedimentum occultum, propter quod poſtulans admitti ad habitum non eſſet acceptandus, eò quòd obſtet Conſtitutio Ordinis ſui, etſi non deberet clandeſtinè colligere vota Vocalium pro excluſione illius, ſed præciſè deberet illuminare vocales de impedimento, illoſque dein relinquere in ſuo libero arbitrio pro ferendis ſuffragiis; nihilominus cum ſit à jure ſuarum Conſtitutionum obligatus agere in utilitatem ſuæ Religionis, in contingentia facti, agendo, ut ſupra, non videtur reputandus culpabilis, licèt inde ſequatur excluſio poſtulantis admitti ad habitum, *non enim omnis, qui dixerit, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum*; ſecus inutilia forent Regularium utriuſque ſexus Capitula, & Conſtitutiones Apoſtolicæ ſuper acceptatione poſtulantium ingredi eorum clauſtra; Ita diſcurrendum ſimiliter in caſibus acceptandi puellas tanquam educandas in Monaſteriis Monialium. At in caſu propoſito diverſimodè ſentiendum eſt, quia præfata Monialis, obtenta malis artibus nullitate Capituli, quatenus uſurpavit ſibi jus pluſquam ſibi ipſi ullo jure competeret, ferendo ſcilicet illas plures fabas contrarias ſupra ſui unicam dumtaxat, quam ferre poterat, turbavit, violavitque jus totius corporis, & quorumlibet membrorum Capituli, hoc eſt, ſingularum Monialium, & iiſdem malis artibus injuriam fecit eidem puellæ po-

 ſtulan-

Digitized by Google

ſtulanti, quatenus per ſe ipſam illa multiplicitate fabarum nigrarum privavit puellam ſuffragiis favorabilibus, quæ obtinuerat à majori parte Monialium capitularium, propter quæ conſecuta erat jus ad poſſe ingredi Monaſterium, ut ibi educaretur. Cum autem violare jus alterius ſit peccare contra Juſtitiam, & quidem graviter, ſi violatio juris fiat in materia gravi, præfata Monialis in propoſito caſu cenſenda eſt graviter culpabilis contra Juſtitiam, & per conſequens contra Charitatem proximi ſui, ut ſatis oſtendimus in ſuperioribus.

Abbatiſsa noviter electa quærit à Confeſſario; uſque ad quam ſummam poſsit dare licentiam Moniali pro expenſis faciendis de ſuo Peculio.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXIV.

SUMMARIUM

1 *ABbatiſsa videtur poſse permittere Monialibus annuatim expendere totum ſui peculium annuum,*

2 *Siquidem licentia data Moniali à Superioribus reſervandi ſibi annuum redditum, legitimat licentiam Abbatiſſæ, illamque juſtificat ex parte Monialis:*

3 *Præterquamquod in hac licentia non conſtaret de ullo exceſſu,*

4 *Immo hæc Monialis videtur habere uſum facti ſui redditus, tanquam ſibi promiſſum à Superioribus; ergo uſus ſui redditus nec debebit, nec poterit negari ab Abbatiſſa.*

5 *Qua-*

Digitized by Google

5 *Quibus non obſtantibus, reſolvitur, Abbatiſſam poſſe imperiri licentiam Monialibus expendendi de ſui redditu annuo juxta exigentiam indigentiarum in dies occurrentium:*

6 *Propter hoc enim conceſſa eſt Monialibus reſervatio, & uſus facti ſui redditus annui.*

7 *Nec inficiamur, Abbatiſſam poſſe concedere, ut totum peculium expenderetur à Monialibus (modò res ita expoſtulet).*

8 *Quod reliquum eſt ex ſatisfactis expenſis, poſſet impendi in ſervitium Monaſterii, vel conſervari cum depoſito ejuſdem Monaſterii;*

9 *Uſque ad quam ſummam verò poſſit Abbatiſſa diſpenſare ſuas Moniales, controvertitur ab* Authoribus,

10 *Et circumſtantiæ prudenti judicio penſatæ poterunt in hac provincia oſtendere Superioribus quonam dirigendum ſit iter.*

11 *Reſpondetur ad primum objectum, Abbatiſſam utique dare poſſe præfatam licentiam, modò ſerventur limites ſupra expoſiti;*

12 *Minimè verò dicatur tolli de medio exceſſus ex parte utriuſque, quia hoc non conſtat:*

13 *At verò ſi Monialis reſervat ſibi redditum de licentia Superiorum, non per hoc ſtatim habet uſum facti ejuſdem: videretur enim domina, & proprietaria ſui redditus.*

14 *Longè denique diſtat permiſſio à promiſſione.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Abbatiſſam poſſe dare licentiam Moniali ad expendendum totum ſui peculium annuatim, commenſurando licentiam cum redditibus annuis ejuſdem Monialis; quandoquidem licentia data Moniali
2 ante profeſſionem à Superioribus majoribus, ut ex bonis paternis, quæ renunciabat, poſſet reſervare v. g. centum aureos ſibi ſolvendos à parentibus ſingulis annis, ſua vita naturali durante, videtur operari, quòd Abbatiſſa poſſit concedere licentiam eidem eoſdem centum aureos expendere de anno in annum, ſicuti de anno in annum vigore reſervationis factæ ſibi

bi

Digitized by Google

bi ipſi ſolvuntur à parentibus; hujuſmodi enim ratio legitimat
licentiam ex parte Abbatiſsæ non minùs, ac juſtificet illam ex
parte Monialis, cum reſervatio, utpote legitime facta, ſit cau-
ſa motiva, cur Abbatiſſa det licentiam expendendi, & cur
Monialis expendit dictum peculium centum aureorum. Præ-
3 terquamquod in hac licentia non conſtaret de ullo exceſſu;
quemadmodum enim non datur exceſſus in reſervandis cen-
tum aureis, ita non videtur dari ex parte Monialis illos expen-
dendo ad placitum, cum licentia reſervationis tollat de me-
dio omnes exceſſus ex parte utriuſque.

4 Præterea Monialis, ſibi facta reſervatione centum aureo-
rum de licentia Superiorum, ut ſupra, videtur habere uſum
facti ſui redditus annui, tanquam ſibi promiſsum à Superio-
ribus, promiſſio autem operatur, ut promiſſa obſerventur; fi-
des enim humana exigit, promittentem non poſse licitè au-
ferre promiſſum tertio, & ſic in facta hypotheſi permiſſio re-
ſervationis centum aureorum facta per Superiorem revera
æquivalens promiſſioni pro uſu facti eorumdem, ſicuti negari
ampliùs non poſſunt Moniali, ita ſimiliter negari non poteſt
eidem Moniali ab Abbatiſſa uſus illorum aureorum; quando
autem negari non poteſt uſus facti centum aureorum, Abba-
tiſsa licitè concederet licentiam expendendi illos centum au-
reos; contrariorum enim eadem eſt diſciplina, & propterea
Confeſſarius conſultus ab Abbatiſſa ad theſim vocata vide-
tur poſſe rectè reſpondere, ipſam habere auctoritatem dandi
licentiam Moniali, ut expendat uſque ad ſummam centum
aureorum ad menſuram annui redditus ſibi reſervati.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Abbatiſsam poſſe
ſuis Monialibus dare licentiam expendendi de ſui redditu an-
nuo juxta exigentiam indigentiarum in dies, cauſa etenim fi-
6 nalis cur Monialibus permittantur reſervationes redditus an-
nui, & uſus facti ejuſdem, fuit, & eſt titulo indigentiarum
Monialium degentium in Monaſterio, ubi ratione pauperta-
tis

Digitized by Google

tis ejuſdem Monaſterii non adſunt redditus ſufficientes ad providendas omnes, & ſingulas Moniales in neceſsariis ad victum, & veſtitum, & fortè etiam ad medicinalia, *juxta ea, quæ diximus in Reſolut. 24. nu. 8. & ſeq. prima part.*, & hoc poſſet confirmari exemplo illius Monaſterii, ubi viget vita verè communis, in hujuſmodi enim Monaſterio Moniales in particulari nihil habentes de peculio, & omnia poſſidentes ejuſdem Monaſterii in communi, non habent uſum facti pecuniæ, eò quòd integrè provideantur in omnibus neceſſariis ad victum, veſtitum, & ultra, quia Monaſterium ipſum habet redditus ſufficientes ad ſuſtentandas omnes, & ſingulas Moniales; & hinc
7 eſt, quòd præfata Abbatiſsa in caſu noſtro poſset concedere licentiam Moniali expendendi annuum ſui redditum centum aureorum, ſi Monialis ipſa verè indigeret illos centum expendere in ſibi neceſsariis ad vitam ſuſtentandam, & ſalutem corporis reparandam, necnon etiam ad faciendas eleemoſynas, aut ad donanda munera moderata intra limites Religioſitatis, ſciente ipſa Abbatiſsa: illud autem, quod, ſatisfactis expenſis hujuſmodi, ſupereſſet de dicto redditu, ceſsante fine, propter quem fuit reſervatus à Moniali de licentia Superiorum, eſset
8 impendendum in ſervitium Monaſterii, cujus revera unicè eſt ex defectu juris, & dominii Monialis adſtrictæ Voto Paupertatis, ut pro caſu conſimili *dictum fuit in Reſol. 16. prim. partis nu. 7. & ſeq.*, aut eſset conſervandum cum depoſito peculii ejuſdem Monialis pro ſuis futuris indigentiis ad nutum ſemper
9 Abbatiſsæ. Quanta autem ſumma pecuniæ ſit illa, ad quam facultas Abbatiſsæ ſe extendit pro dandis licentiis Monialibus ad expendendum, variæ ſunt *Auctorum* opiniones, quas *indicavimus in Reſolutione* 8. *Primæ Partis nu.* 13. *&c.*, ex quibus, inquit *Donatus tom. 4. tract. 15. de Voto Paupertatis quæſt. 34. nu. 10.* colligitur, quòd iſta determinata quantitas relinquetur prudenti arbitrio Superioris, qui, penſatis conditionibus perſonæ Religioſę volentis expendere citra ſuas indigentias, hoc eſt volen-

Digitized by Google

volentis donare, & perſonæ, cui donum ſit, & cognita cauſa;
10 item conſiderata facultate Monaſterii, & attenta etiam conſuetudine loci, & ſimilibus, poterit quæſitum rectè decidere; non enim poteſt dari alia regula generalis in tanta multitudine caſuum particularium, attentis præcipuè tot, & tantis Clauſtralium Inſtitutis plus, & minus circa paupertatem profitentibus.

11 Ad primum igitur reſpondetur, Abbatiſsam poſse quidem concedere licentiam Moniali expendendi totum redditum annuum ſibi reſervatum ante Profeſſionem ſolemnem, ſuppoſito, quòd totus, & integer redditus ſit neceſsarius ad reparandas indigentias ejuſdem Monialis, propter quas indigentias fuit eidem permiſsa reſervatio ipſius redditus; ſi autem redditus ſuperaret indigentias Monialis, tunc, & in eo caſu Abbatiſsa poſſet pro ſua prudentia, conſideratis conſiderandis, licentiare Monialem ad alias expenſas faciendas, prout in Domino magis expedire ſibi videbitur; non enim poteſt, ut dicebamus in ſuperioribus, aſſignari certa, & determinata regula in hac materia, quæ juxta varia placita *Doctorum* remittitur prudenti arbitrio Superiorum, qui in concedendis hujuſmodi licentiis debent advertere, ne ſint nimiùm liberales, & ſic fiant rei de exceſsu, nec ſint nimiùm avari in negandis, ut propterea Moniales ægrè ferentes negativam, tanquam injuſtam, clandeſtinè diſtrahentes redditus ſibi reſervatos, fiant proprietariæ, redditum annuum diſponendo ac ſi haberent jus, & dominium ejuſdem apud ſe ipſas privativè ad Monaſterium. Ad illud autem, quod addebatur, data nempe licentia Superiorum pro reſervatione redditus, tolli de medio omnem exceſſum ex parte utriuſque, reſpectu ſcilicet Abbatiſsæ concedentis, & reſpectu Monialis recipientis licentiam ſatisfit, dicen-
12 do, non conſtare de exceſsu, conſideratis indigentiis perſonalibus Monialis petentis licentiam, & in reliquis expenſis dicitur ſimiliter, non conſtare quando Abbatiſsa concedit licentiam

Digitized by Google

ſiam pro ſuo prudenti, & religioſo arbitrio, penſatis quæ penſanda ſunt.

13 Ad ſecundum negatur, abſolutè loquendo, antecedens, quia Monialis, quamvis de licentia Superiorum ſibi reſervet redditum annuum, non habet per hoc ſtatim uſum facti ejuſdem, hunc etenim expectare debet ab Abbatiſſa, ad cujus nutum pendet pro uſu ipſius redditus, ſecus Monialis merè uſuaria redditus, qui eſt Monaſterii, juxta illam regulam: *quicquid acquirit Monacha acquirit Monaſterio*, foret verè uſufructuaria, & ſic revera ſe gereret non ut ſpoliata omni jure, ſed velut domina proprietaria, quod eſt incompatibile cum Voto religioſæ paupertatis: quandoquidem permiſſio ſibi facta per Superiores ante Profeſſionem, quòd poſſet nempe ex bonis paternis ſibi reſervare redditum annuum, operatur quidem, quòd ſit promiſſio, ut, non obſtante Voto Paupertatis, poſſit exigere nomine Monaſterii ſui annuum redditum à parentibus, ſed ut eo utatur, ipſa tenetur petere, & obtinere licentiam à ſua Superioriſſa, cujus eſt approbare cauſam licentiæ dandæ, & ad cujus nutum, & obedientiam pendent omnes, & ſingulæ Moniales pro uſu ſuorum reddituum, cum mens Superiorum in conceſſione reſervationum ex bonis paternis revera intendat permittere reſervationem quidem, ſed cum conditione utendi redditibus reſervatis dependenter à Superiorissa pro tempore, hoc eſt de ejus licentia; & in hoc ſenſu, & non aliter, nec alio modo eſſet intelligenda illa virtualis promiſſio, prout eruebatur ex præfato vocabulo *permiſſio* in objecto; quod tamen negatur, cum reſervandi permiſſio, & promiſſio utendi

14 reditu reſervato ſint duo valde diverſa, eò quòd non importent eundem ſenſum, ut conſideranti patet; unde conſurgit, quòd juſtè poſſet aliquando negari uſus redditus annui, data cauſa legitima ſinè ulla injuria Monialis, quæ non habet ullum jus, cum ratione Voti Paupertatis ſit incapax juris, & dominii, nec uſum facti à ſe ipſa, ſed omnimodè à ſui Abbatiſſa, cui

Digitized by Google

prudenti arbitrio ſtare debent Moniales in uſum ſuorum redditúum, ne merè uſuariæ, utendo redditibus annuis ad ſui placitum, reddantur uſufructuariæ in detrimentum animarum ſuarum.

Monialis electa in Abbatiſsam concedit ſingulis Monialibus petentibus licentiam expendendi ſuũ Peculium, prout ſibi ipſis bene viſum fuerit, durante triennio ſui ipſius Abbatiſatus: una autem, vel duæ ex illis donant in dies medietatem ſui peculii partim Amico ſęculari, & partim Confeſſario ordinario: dein dubiæ; an hoc faciant licitè, conſulunt ipſum Confeſsarium donatarium.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXV.

SUMMARIUM

1 *Hujuſmodi Moniales videntur licitè impendere medietatem ſui peculii modo jam dicto,*

2 *Quia intervenit licentia Abbatiſsæ, & donant ſinè pravo fine:*

3 *Præterea quamplurimi ſunt, qui docent, Moniales, obtenta licentia à Superiorißa, poſſe expendere multam ſummam pecuniæ.*

4 *Neque agerent contra* Bullam Clem. VIII.

5 *Sed in contrarium nihilominus reſolvitur,*

6 *Quia licentia Abbatiſsæ concedit tantummodo cuilibet Moniali uti peculio in ſuis indigentiis, & non aliter.*

7 *In-*

Digitized by Google

7 *Inſuper medietas peculii excedit parvitatem materia, & licentia aliter data foret nulla;*

8 *Immo peccarent graviter tum Abbatiſſa, & Moniales; cum Amicus, & Confeſſarius, qui ulteriùs tenerentur ad reſtitutionem:*

9 *Itaque negatur antecedens primi objecti, quia hujuſmodi licentia eſſet nulla,*

10 *Secus Moniales fierent uſufructuariæ, & dominæ proprietariæ.*

11 *Excuſationes ibi allatæ in favorem Monialium admitti non poſſunt, niſi ſimus in parvitate materiæ.*

12 *Satisfit ſecundo objecto, dicendo, non poſſe ita interpretari licentiam Abbatiſsæ.*

13 *Quandoquidem & ipſa graviter peccaret aliter concedendo, & ipſius licentia foret nullius valoris, juxta* Declarationem Sac. Cong. ſuper cit. Bulla Clem. VIII.

1 PRo Reſolutione videtur, Monialē, ſive Moniales ad theſim vocatas poſſe medietatē ſui peculii donare partim Amico laico, & partim Confeſsario ordinario, quia vigore licentiæ obtentæ ab Abbatiſsa, prout ſibi ipſis bene viſum fuerit, videntur donare licitè, Amico nempe ſæculari titulo amicitiæ, &
2 quidem, ut ſupponitur, amico bono, & titulo amicitię bonæ ſinè ullo pravo fine, & ad finem dumtaxat habendi in aliqua contingentia ejus aliquod adjutorium: & ſui Confeſsario ordinario titulo laboris, & ejus eximiæ aſſiſtentiæ in animā propriam; quandoquidem hujuſmodi tituli moventes animum Monialium ad donandum de ſuo peculio, præhabita præfata licentia in terminis generalibus, expendendi ſcilicet ſui peculium, prout ſibi ipſis bene viſum fuerit, utpote in ſe honeſti, & liciti, reddunt pariformiter honeſtam, & licitam donationem medietatis peculii, juxta illam regulam; *actus ſpecificantur ab objecto, hoc eſt à fine*, & propterea Confeſſarius conſultus, ut ſupra, reſponderet rectè, docendo dictas Moniales vigore antehabitæ

Digitized by Google

bitæ licentiæ poſſe donare, prout ſibi ipſis bene viſum fuerit de proprio peculio ſui Amico,& etiam Confeſsario proprio.

8 Præterea cum Monialis de licentia ſuæ Abbatiſsæ in ſententia *Barthol. à S.Fauſto ex Corduba in ſum. quæſt.*54. *Ludovic. Lopez in inſtruct. cap.* 40. *Jo. Cruc. de ſtat. Relig. lib.* 1. *de Voto Paupert. cap.* 3. *dub.* 5. omnes citati à *Donato tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 15. *de largitione munerum quæſt.* 5. *nu.* 4. *&* 5. poteſt expendere licitè de ſuo peculio multam ſummam pecuniæ uſque ad decem, & etiam ad quindecim aureos ſingulis annis, quam ſummam, teſte *Donato tom.* 4. *tract.* 15. *de Voto Paupertatis quæſt.* 34. *nu.* 11. *Vericellus* 1. *part. moral. tract.* 8. *quæſt.* 5. *nu.* 6., extendit uſque ad valorem triginta aureorum; hinc apertè colligitur, Confeſsarium conſultum rectè reſpondere poſſe, inhærendo authoritati tot *Doctorum*, quòd illæ Moniales vigore licentiæ habitæ ab Abbatiſsa ſinè ulla reſtrictione, ut ſonant verba ipſa præmiſsæ licentiæ, poſſint licitè donare, ut ſupra, de ſui peculio Amico, ſimul & Confeſſario; expenderent enim, donando prҿſertim Confeſsario accurato directori animæ ſuæ in uſus licitos, & etiam quia nihil agerent contra *Bullam Clementis VIII. de Largitione munerum interdicta Regularibus utriuſque ſexus*, nec contra *Decreta* poſtea emanata ab *Urbano VIII. illam confirmando*. Quandoquidem ex *citata Bulla* colligitur, Regularem Profeſſum, & in caſu noſtro Monialem non poſſe donare de bonis Monaſterii, nec de ſui peculio ſinè licentia Superiorum, aut immoderatè citra religioſam paupertatem, modeſtiam, ac diſcretionem, ut advertunt *Canoniſta*, inter quos *citatus Donatus loc. cit. nu.* 4. *&* 5. Quandoquidem *Bulla Clementis*, *& Decreta Urbani* non prohibent donare ex cauſis actum virtutis, & meriti continentibus, veluti ſunt in Monialibus præſuppoſitis amicitia honeſta cum laico ad bonum finem, ut dictum fuit, & remuneratio laborum ſuorum Confeſſario ordinario.

9 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Monialem, ſive Moniales in hypotheſi ad theſim vocatas, quamvis licentiatas, ut

dici-

dicitur, ab Abbatiſsa initio ſui Abbatiſſatus, non poſſe diſtrahere medietatem ſui peculii, illam dein dimidiando, donare partim Amico ſæculari,& partim ſui Confeſſario ordinario; & ratio in primis eſt, quia Superioriſſa in concedendis licentiis omnibus, & ſingulis Monialibus illas petentibus in ingreſſu
6 Abbatiſſatus pro uſu licito peculii intendit concedere licentiam cuilibet illo utendi pro indigentiis propriis, & non aliter, niſi diverſimodè ſe explicet, juxta inſtantiam expreſſam per ipſam Monialem poſtulantem licentiam; donare autem medietatem peculii Amico, & Confeſſario non eſt implicare peculium pro uſitatis indigentiis, ad quas tantùm intelligi debet licentia data, & non ad alios uſus extraordinarios; ad hujuſmodi enim, utpote inuſitatos, & novos, requiritur ſpecialis lilicentia, juxta illam regulam: *quæ de novo emergunt novo indigent remedio:* igitur quia Monialis in hypotheſi facta non haberet revera legitimam poteſtatem ab Abbatiſsa diſponendi de ſuo peculio præterquam pro indigentiis ad ſui perſonam, quæ ut plurimùm ſunt ad victum, & veſtitum, & forſan ad aliquod officium in ſervitium Monaſterii, non poteſt diſtrahere medietatem ſui peculii, donando illam, partim Amico ſæculari, & partim Confeſſario, cum hujuſmodi donationes ſint præter intentionem concedentis, & præter uſum licitum, & approbatum practicè à Superioribus Monialium. Inſuper cum me-
7 dietas peculii permiſſi Monialibus ſupponi debeat excedens ſummam parvitatis materiæ, immo eſſe multò major, & quidem in materia gravi, & ultra; hinc deducitur, Monialem in facta hypotheſi non poſſe donare ex defectu legitimæ licentiæ ſui Abbatiſſæ, quia, ubi conſtat de exceſſu rei donandæ, Abbatiſſa non poteſt dare licentiam, &, ſi daret, reputari deberet tanquam nulla, juxta *declarationem Sac. Cong.*, eò quòd, hac ſtante, videtur adempta facultas Superioribus Clauſtralium ad hujuſmodi licentias: conſulta namque *Sac. Congregatio*; *An Superiorum arbitrio, & præfinitioni ſtare debeant Regulares quoad*

ad mobilium ſuperfluitatem, & convenientiam? reſpondit *affirmativè*, limitativè tamen cum hac Clauſula; *niſi de exceſſu arbitrii conſtiterit*, ut notavimus in *Reſolut. 8. primæ partis nu. 13.*; unde in rem noſtram, & quidem à fortiori ſic diſcurro: ſi Prælatus Regularis non poteſt quoad mobilium ſuperfluitatem, & convenientiam uti pleno ſui arbitrio, & ſubditi non debent, & nequeunt ſtare ipſorum præfinitioni, quando conſtat de exceſſu arbitrii eorumdem, quamvis mobilia ipſa remaneant in Monaſterio, & conſerventur à ſubdito, abſque eò quòd ullo modo diſtrahantur ad exteros, multò magis Abbatiſſa non habet poteſtatem dandi licentiam Moniali ad donandum de ſuo peculio, quando conſtat de exceſſu arbitrii ſui, ut revera conſtaret in data hypotheſi: quandoquidem, inquit apprime in Reſolutionem noſtram *Donatus loco citato nu. 6.*, Prælata non poteſt Moniali facere facultatem expendendi ſuum peculium, ut libet, ſed tantùm ad talem, & talem ſui uſum facti, ſecus illam faceret proprietariam, & ex merè uſuaria illam faceret proprietariam, quod eſt contra Votum Paupertatis, & in caſu noſtro peccaret mortaliter Abbatiſsa, abutendo ſui poteſtate;
8 peccaret Monialis, donando Amico, & Confeſſario ſinè legitima licentia, & peccarent Amicus ille, & Confeſſarius, illicitè recipiendo à Moniali donante, tenerenturque reſtituere Moniali, vel Monaſterio ſibi donata ab eadem Moniali vigore illius licentiæ verè nullæ, ut ſatìs conſtat ex ſuperioribus.

9 Ad primum igitur negatur antecedens, quia ſuppoſita licentia eſſet nulla, mens etenim Abbatiſsæ concedentis hujuſmodi licentiam ſingulis Monialibus, ut poſſint expendere ſua peculia, eſt, quòd poſſint peculio ſuo uti pro conſuetis earum indigentiis ad victum, & veſtitum, & alia ſolita ſibi providere, ex defectu impotentiæ Monaſterii non poſſidentis tot redditus, quot forent neceſſarii pro ſuſtentandis in integrum Monialibus, ut diximus *Reſol. 24. primæ partis nu. 8.*, nec debet interpretari diverſimodè, ſecus Moniales merè uſuariæ peculii ad

Digitized by Google

lii ad nutum Superioriſſæ fierent uſufructuariæ, & dominæ
10 proprietariæ, quatenus diſponerent de illo ad ſui beneplacitum, quod eſſet contra Votum Paupertatis: nec quicquam prodeſt titulus amicitiæ, quamvis honeſtæ, ſicuti enim dicemus in *Reſolutione* 37. non poſſe ad ſui libitum remittere partem annui redditus parentibus pauperibus, etiam titulo Charitatis, multò magis dicendum eſt, non poſſe donare Amico ſęculari partem ejuſdem annui redditus, etiamſi ſperet ab eo aliquod adjutorium pro aliqua ſui contingentia; non enim poteſt remunerare ante tempus, & præſertim ubi agitur de amicitia cum ſæculari, ut plurimùm perniciosiſſima Moniali, non ſolùm in rebus temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus.
11 Titulus autem, ratione cujus objectum intendebat evincere, licitum eſſe Moniali donare, ut ſupra, partem ſui peculii Confeſſario, ſuadet quidem, quòd Monialis poſſit donare, recurrentibus quibuſdam diebus ſolemnioribus, vel etiam infra Annum eſculenta, & poculenta, quæ, ut docet citatus *Donatus de Voto Paupertatis tract.* 15. *quæſt.* 34. *nu.* 2., ſecundùm probabiliorem *DD.* opinionem non tranſcendant ſummam trium Carolenorum, quæ tamen fieri nequeunt frequenter, ſubaddit *idem Donatus nu.* 3., ne eludatur mens *Pontificis* interdicentis largitionem munerum, quia multa modica in dies frequentata faciunt unum ſatis concludit *Bonacina tom.* 1. *in tract. var. diſp.* 3. *p.* 5. *nu.* 7., præterquamquod quamvis licitum ſit Religioſis utriuſque ſexus de licentia Superiorum, expreſsa tamen, & non extorta, erogare munera ex cauſis actum virtutis, & meriti continentibus, nihilominus elargiri debent modeſtè, & moderatè, ut dicitur in *dicta Conſt. Clem.*, modeſtia autem, & diſcretio religioſa non ſervaretur in facta hypotheſi, cum donatio medietatis ſui peculii, ut ſupra, reſpectivè ad Monialem, quæcumque illa ſit, videatur prodigalitas, & effrenata donatio, clamat *Donatus loc. cit. nu.* 4.

12 Ad ſecundum in primis ſatisfit, dicendo, ſuppoſitam licentiam

Digitized by Google

tiam in facta hypotheſi eſsẽ nullius valoris, quatenus eſt præter mentem Abbatiſsæ; Abbatiſsa enim non cenſetur in illa licentia generali ſolita dari Monialibus, ut expendant ſui peculium pro ſuis indigentiis, dare illam ſpecialem licentiam donandi Amico ſæculari,& ipſi Confeſsario medietatem peculii; ſecus daret cauſam ad alia graviſſima damna contra Votum Paupertatis, & etiam Obedientiæ, ſi dando præfatam licentiam mens ejus eſſet dare licentiam de peculio expendendo ad quodlibet placitum, peccaretque mortaliter, ut dictum fuit
13 in ſuperioribus; deinde etiamſi Abbatiſsa concederet explicitè Moniali poſse donare Amico, & Confeſsario medietatem peculii, adhuc talis licentia eſſet nullius valoris; conſtaret enim de exceſsu licentiæ, quod eſt contra *Declarationem Sacræ Congreg.* ſuper dubio illi aliàs propoſito ad *Bullam Clem. VIII.*, ut notavimus ſupra, ideòque abutendo ſui poteſtate, limitata ad dona moderata, & religioſa, ejus licentia nulla non faceret Moniali legitimam poteſtatem donandi cum tanta liberalitate, ſive, ut propriùs loquamur, cum tanta prodigalitate, & munificentia erga Amicum ſæcularem, & Confeſsarium, nulla urgente neceſſitate donandi medietatem peculii. Ad opiniones verò tot *Authorum* de facultate Abbatiſsæ circa poſse dare licentiam ſuis Monialibus circa expenſas faciendas dicimus, reſolutionem hujuſmodi pendere ab alia, ubi videbimus uſque ad quam ſummam pecuniæ poſſit Abbatiſsa licentiare ſuas Moniales: pro nunc ſufficiat dicere, ipſam Abbatiſsam non poſse propter dicta dare licentiam Moniali ad donandum medietatem ſui peculii Amico, & Confeſſario.

Monia-

Monialis de licentia Abbatiſsæ donat alteri Moniali varia pretio æſtimabilia, & hæc, nulla obtenta licentia ab Abbatiſsa, illa retinet: dein ambæ conſulunt ſui Confeſſarium, illa; an potuerit donare, & hæc; an poſſit retinere abſque vitio proprietatis contra Votum Paupertatis.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXVI.

SUMMARIUM

1 *Monialis donataria videtur non poſſe licitè retinere ſibi donata, ut ſupra ſinè licentia Superioriſsæ,*

2 *Quia non habet uſum facti, niſi impertiatur illi à Superioriſſa:*

3 *Nec licentia conceſſa Moniali donanti extendi poteſt ad donatariam; ſecus multi abuſus ſequerentur in Monaſteriis.*

4 *Quòd ſi multi negant, Moniales poſſe ſibi invicem mutuare ſinè licentia Abbatiſſæ; multò magìs negandum erit in noſtra hypotheſi;*

5 *Reſolutio tamen noſtra eſt in contrarium,*

6 *Quia cum dare, & accipere ſint correlativa, quæ nequeunt non eſſe ſimul natura, & cognitione, ſtatim ac permittitur uni poſſe dare, per conſequens permittitur alteri poſſe accipere; ergo &c.*

7 *Immo ſi donataria licitè poteſt retinere dona per ſolam licentiam præſumptivam, quantò magìs per expreſſam?*

8 *Primum objectum refellitur, ut ſupra.*

9 *Secundum admittitur tamquam verum in ſuo antecedente, non ita verò in illatione, quæ falſa eſt;*

10 *Nam in primo caſu Moniales invicem mutuantes ſinè licentia Abbatiſſæ reputarentur utique dominæ proprietariæ;*

Digitized by Google

11 *Sed in noſtra hypotheſi, ubi expreſſa licentia habetur à Prioriſſa, aliter eſt diſcurrendum.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem non poſſe licitè retinere ſibi donata ab alia Moniali ejuſdem Monaſterii, quamvis donans habuerit licentiam donandi ab Abbatiſſa, & ratio eſt, quia uſus facti, ut ſit licitus, exigit licentiam ab eo, cujus eſt dare uſum facti; eſt autem Superioriſſæ dare ipſum uſum facti: ut igitur Monialis donataria licitum habe-
2 at uſum facti quoad illa pretio æſtimabilia ſibi donata à Conſorore ſua, debet illum obtinere à ſui Superioriſſa, mediante licentia ejuſdem illa ipſa retinendi apud ſe, illiſque utendi: quandoquidem, licentia data uni Moniali ad donandum ali-
3 quid pretio æſtimabile alteri Moniali, non cenſetur extendi, & data etiam huic ad retinendum, ſecus orirentur multa, & multoties gravia inconvenientia contra regularem diſciplinam inter Moniales; ablata namque dependentia ſingularum Monialium à voluntate Abbatiſſæ, præſertim in materia paupertatis, frequenter tolleretur de medio apud ipſam Votum Paupertatis, quatenus diſpoticè retinerent apud ſe plura independenter à Superioriſſa propria, quod eſſet exercere jus poſſidendi, quod revera non habent; ne ergo detur aditus ad hujuſmodi gravia inconvenientia, videtur rationi conſonum negare, præfatam Monialem retinere poſſe illas res pretio æſtimabiles ſibi donatas, non petita, & non obtenta licentia Abbatiſsæ.

4 Præterea in hanc rem fieri poteſt inductio ab eo, quod adduci ſolet ab *Auctoribus*, qui negativè concludunt ſuper quæſito; an Moniales ſinè licentia poſſint ſibi invicem mutuare, aut commodare res propriis uſibus conceſſas, eò quia, cum Monialis rerum ſuis uſibus conceſſarum ſit merè uſuaria, non poſſit propria authoritate concedere alteri uſum, & multò minùs

nùs dominium earumdem, & per conſequens altera Monialis non poſſit titulo commodati authoritate propria illas retinere ad ſui uſum, nec titulo mutui, quia incapacitas juris Monialis mutuantis ſtatim inducit incapacitatem retinendi licitè in Moniali mutuataria, propter Votum ſolemne paupertatis: ita ſimiliter diſcurrendum videtur in contingentia facti, quamvis Monialis donans habuerit à Superioriſſa licentiam donandi illas res pretio æſtimabiles, quia donataria illas retinens, ſinè ulla licentia petita, illas retineret independenter, & à ſe ipſa illis uteretur, & ſic uſum habens earumdem, neglecta Superioriſſa, cujus eſt de jure uſum facti concedere, illas ipſas res apud ſe retineret illicitè.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Monialem, cui ab alia Moniali ejuſdem Monaſterii de licentia Superiorisſæ donantur res pretio æſtimabiles, poſſe illas retinere, nulla alia licentia per ſe ipſam obtenta, & ratio eſt, inquit *Donatus tom. 4. de Voto Paupertatis tract. 15. quæſt. 36. nu. 9.*, quia ſi Religioſus, ſub quo titulo venit hìc etiam Monialis, maximè quia ſumus in favorabilibus, petit licentiam dandi alteri ejuſdem Monaſterii, hæc non tenetur petere licentiam accipiendi, eò quòd dare, &

6 accipere ſunt correlativa, quę cum nequeant non eſſe ſimul natura, & cognitione, ſtatim ac Superioriſſa dat licentiam Moniali donanti, ſimul & æquè primò intelligitur dare licentiam Moniali donatariæ, ut ſibi donata licitè accipiat, retineatque apud ſe religioſè ad ſui uſum facti, ac ſi ipſa Monialis petiiſſet licentiam accipiendi, & retinendi res ſibi donatas pretio æſtimabiles, ut docent *Card. de Lugo de Juſt. diſp. 3. nu. 164. Dian. par. 3. tract. 2. §. Nota quartò: & P. de Monial. cap. 4. nu. 57.* qui apprime in rem noſtram advertit cum *Sancb.*, quamvis Reſolutioni noſtræ contrario *lib. 7. Moral. cap. 19. nu. 7.*, ubi, aſſerendo, Monialem in contingentia facti egere nova licentia Superiorisſæ, ut poſſit licitè retinere res ſibi donatas ab alia ſui Conſorore, ſubjungit ſtatim hæc verba: *Niſi ex conjecturis proba-*

ba-

Digitized by Google

babiliter colligatur oppoſitum: igitur, ſi, datis ſolis conjecturis, quæ juvant dumtaxat ad colligendam præſumptivam licentiam,
7 poſset Monialis donataria licitè retinere ſibi donata, ut ſupra, à fortiori tenendum eſt, illam ipſam retinere poſſe res ſibi donatas vigore illius ſolius licentiæ expreſsæ datæ Moniali donanti, ut illas ipſas res donare poſset tali alteri Moniali; etenim ſi, concurrente declaratione Superioris in contrarium, juxta illam regulam: *expreſſum facit ceſsare præſumptum*, multò magìs expreſsa licentia data donanti reſpectivè ad talem determinatam Monialem, & nulla extante conjectura contraria Superioris, videtur, & cenſeri debet data etiam alteri nominatæ Moniali, ut illa dono data licitè recipiat, & ſimul retineat, cum cenſeatur data pro ipſa, non tantùm præſumptivè, ſed etiam expreſsè; & ſic Monialem hanc non teneri amplius petere aliam licentiam in contingentia facti ſatis conſtare concludimus, ſtante præſertim illa lege univerſali *Relativa ſunt ſimul natura*, *& cognitione*, prout ſunt donare, recipere, & retinere in caſu propoſito.
8 Ad primum igitur negatur antecedens, etiam tanquam malè probatum, quia ejus probatio potiùs nobis favet, quàm feriat Reſolutionem: veriſſimum enim eſt, quòd uſus facti, ut ſit licitus, exigat licentiam ab Abbatiſsa; cum, præſcindendo, pro nunc ab authoritate Prælati, unicè ſpectet ad ipſam poteſtas dominativa in concedendis hujuſmodi licentiis omnibus, & ſingulis Monialibus ſuis: cum autem in hypotheſi ad theſim vocata, Monialis, cui donata fuere illa pretio æſtimabilia ab altera Moniali ejuſdem Monaſterii, habuerit licentiam illa recipiendi, illiſque utendi, illaque retinendi ab Abbatiſsa unà cum ſui Conſorore, quando hæc petiit licentiam donandi, & quidem ſibi determinatè, & explicitè; hinc eſt, quòd vigore legitimæ licentiæ habitæ illa pretio æſtimabilia licitè receperit, illiſque licitè utatur, & tandem licitè ipſa retineat: quandoquidem licentia data Moniali ad donandum licitè

citè

citè, rationabiliter loquendo, intelligitur extendi ad alteram Monialem ad recipiendum, juxta illam citatam regulam: *Relativa ſunt ſimul natura & cognitione*, de duobus correlativis nequit quis velle unum, quin velit & aliud, & propterea quia in contingentia facti Monialis donans, & Monialis donataria veniunt tanquam duo correlativa ſub unica licentia data ab Abbatiſsa; Abbatiſsa concedens licentiam uni ad donandum alteri determinatæ Moniali, habet animum, & voluntatem illam licentiam concedendi utrique, juxta indigentiam donanti, nempe, ut licitè donet, & recipienti, & retinenti, ut licitè recipiat, & retineat. Nec adinventa inconvenientia oriri poſſent in caſu noſtro, quia ſumus in hypotheſi, ubi Monialis daret, & altera Monialis reciperet de licentia non ſolùm præſumptiva, ſive interpretativa, ſed de licentia expreſſa, & clariſſima ejuſdem Abbatiſsæ, in quo quidem caſu foret inanis petitio alterius licentiæ, quia, inquit hìc *P. cap. 4. ſect. 1. nu. 57.*, impedimentum dandi reſpectu unius, & impedimentum accipiendi reſpectu alterius, quæ ſunt duo impedimenta ratione Voti Paupertatis, poſſunt unico, & eodem actu auferri per Superioriſſam ab utriſque, ut docet *Joannes de Lugo diſp. 3. de Juſt. nu. 164.*

9 Ad ſecundum, dato antecedente tanquam vero, prout probatur ibi, negatur illatio, quia paritas non currit; verum enim eſt, ut communiter docent *Auctores* loquentes de omnibus Regularibus utriuſque ſexus, Monialem non poſſe ſinè licentia Superioriſſæ mutuare, aut commodare res ſuis uſibus conceſſas, eò quòd ſpoliata, ratione Voti Paupertatis, omni, &

10 quolibet jure dominii, & facti, non poteſt pecuniam de ſuo peculio alteri mutuare, cum nequeat transferre ratione mutui dominium mutuatario, quod revera non habet, juxta illam Regulam: *nemo dat quod non habet*: nec poſſe ſimiliter alteri commodare res ſibi conceſsas ad uſum ſui, quia eodem titulo paupertatis, utpote merè uſuaria non habet jus ad conceden-

dum

Digitized by Google

dum uſum earundem rerum alteri, cum hujuſmodi jura ſint
unicè, & privativè quoad alios, præter Superiores, inter quos
enumeratur Abbatiſsa Monaſterii, ſinè cujus licentia, regula-
riter loquendo, Monialis non debet mutuare, aut commoda-
re, ut bene ajebat in objecto Adverſarius, & in ſimili caſu
optimè inferebatur, Monialem non poſse licitè accipere, & à
fortiori retinere res ſibi donatas ab alia Moniali ſinè licentia
Superiorisſæ; verùm in hypotheſi noſtra ſupponitur licentia
11 petita per Monialem donantem, & obtenta ab Abbatiſsa ad
donandum tali numerò determinatæ Moniali, ratione cujus
licentiæ, mutato caſu à primo, diſcurrendum eſt diverſimodè;
& propterea dato, quòd ex defectu licentiæ debitæ Monialis
non poſſit mutuare, aut ſimpliciter commodare, ſtandum eſ-
ſe in dictis, Monialem nempe donatariam in propoſita hypo-
theſi non teneri petere aliam licentiam ad recipienda, & reti-
nenda ſibi donata de licentia petita, & obtenta per ſui Conſo-
rorem donantem ab Abbatiſsa.

Digitized by Google

Monialis Profeſsa ex juſta cauſa remiſit ſinè ulla licentia partem ſui redditus annui per triennium Parentibus ſuis: dein conſcientia tacta, an hoc potuerit facere licitè, conſulit Confeſſarium, à quo

Deſideratur Judicium.

RESOLUTIO XXXVII.

SUMMARIUM

1 *HUjuſmodi Monialis videtur licitè ſe gerere remittendo Parentibus ſuis pauperibus partem ſui redditus ex propria authoritate;*

2 *Charitas enim perſuadet hoc,*

3 *Immo alibi reſolutum fuit, Monialem poſse ſinè licentia Superioriſsæ facere eleemoſynam, & aliquando teneri:*

4 *Maximè in noſtro caſu, ubi agitur de proximis ſuis Parentibus fortaſſe in ſummis anguſtiis conſtitutis.*

5 *In quo caſu advertendum eſt, dari locum Epicheja: unde Superioriſſa non cenſeretur invita,*

6 *Et præſertim ſi hæc Monialis intenderet compenſare portionem remiſſam.*

7 *His non obſtantibus, negativa eſt Reſolutio noſtra,*

8 *Quia ſemper ſtat, Monialem non eſſe dominam proprietariam ſui redditus, quod verificaretur in caſu noſtro.*

9 *Inſuper hæc remiſſio foret ſpecies alienationis, & veluti donatio de bonis Monaſterii.*

10 *Neque dicatur, Monialem ſuaderi ad hoc à Charitate erga conſanguineos,*

11 *Quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, hoc eſt non debet lædi Juſtitia, ut obſervetur Charitas.*

12 Nec

Digitized by Google

12 *Nec prodeſt Moniali paritas allata in objectione, quia diverſa eſt ratio in utroque Caſu:*

13 *Inſuper in illo agebatur de parvitate materiæ, quæ hìc non habetur:*

14 *Præterea, licèt cauſa ſit juſta, per hoc non eximitur ab obligatione petendi licentiam à Superiorißa, quia ad hanc ſpectat cognitio cauſæ:*

15 *Et etiamſi ſubtrahat aliquid ſibi ad compenſandum quod diſtraxit, ſemper ſtat, quòd hoc idem non poſſit ab ea remitti ſinè licentia, cum non ſit in ſua poteſtate.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem ex juſta cauſa poſſe authoritate propria remittere aliquam por-
2 tionem de ſuo annuo redditu parentibus, præſertim pauperibus, motivo Charitatis chriſtianæ habendæ erga proximum, & quidem in caſu noſtro proximiorem, juxta ordinem charitatis, quandoquidem Monialis poteſt aliquando ſinè licentia Superiorißæ facere eleemoſynam, immo tenetur illam facere
3 in quibuſdam certis contingentiis, ut dictum fuit in *Reſolutione 32. primæ partis*, ubi quærebatur; an Moniales ſint obligatæ ad largiendam eleemoſynam pro conſecutione Jubilæi, juxta mentem Pontificis illam mandantis; unde in contingentia Caſus propoſiti videtur, Monialem titulo eleemoſynæ aliquando ſibi permiſsæ poſse remittere aliquam portionem ſui redditus annui ſuis parentibus pauperibus; & præſertim ſi forent
4 pauperes verecundi, hoc eſt, nobiles, ſive boni cives gravati, non tam multis debitis, quàm numeroſa familia filiorum utriuſque ſexus, & præcipuè fœminarum nubilium, quæ omnia poſſent eſse juſta, & legitima cauſa, cur Monialis ſinè ulla alia licentia poſſet remittere, ut ſupra, portionem ſui annui redditus ſibi bene viſam.

5 Præterea, exiſtente juſta, & legitima cauſa faciendi eleemoſynam, Monialis videtur excuſata ad petendam licentiam

pro

Digitized by

pro remiſſione ſui annui redditus, ut ſupra, quia tunc datur locus Epicheiæ, interpretandi nempe voluntatem Superiorisſæ, exiſtente legitima cauſa, non eſse rationabiliter invitam: quandoquidem Superiorisſa, ut plurimùm inclinata ad ſublevandam Monialem ab afflictionibus animi, cenſeri debet ſimiliter parata, & prompta dandi licentiam hujuſmodi Moniali, ſi peteret pro præfata remiſſione facienda Parentibus ejuſdem, quatenus hoc pacto levaret animum ipſius Monialis ab afflictione, qua premeretur propter paupertatem Parentum ſuorum. Dato igitur, quòd Monialis in contingentia facti habeat fundamentum præſumendi rationabiliter, Superiorisſam ſibi daturam eſſe licentiam, ſi peteret ad remittendam aliquam portionē ſui annui redditus parentibus pauperibus, videtur, præfatam Monialem poſſe ſinè ulla alia licentia remittere partem ſui redditus annui; maximè ſi eadem Moni-
6 alis proponeret, illam portionem, quam remitteret, compenſare paulatim, ſe abſtinendo à variis expenſis in dies pro indigentiis propriis, & ſic, ſicuti privando ſe ipſam pictantia, poſſet abſque ulla licentia dare in eleemoſynam pauperi ſui pictantiam, ut notat *P. de Voto Paupertatis cap. 4. ſect. 1. quæſit.* 12. *nu.* 19. *& ſeq.*, ubi citat *Dianam ſuper Reſolut.* 28. *ex Sylv. Arag. S. Anton. Turrecrem., & aliis*, ita ſimiliter eadem Monialis, ſibi ſubtrahendo uſum facti circa illam portionem ſui redditus annui, citra nullum præjudicium Monaſterii, poſſet illam ipſam remittere parentibus ſuis ulla ſinè licentia Superiorisſæ.

7 His tamen non obſtantibus, reſolvendum cenſeo negativè, & ratio potiſſima eſt, quia Monialis, quamvis habeat uſum facti de redditu ſui annuo, non eſt tamen domina, & patrona ejuſdem, cum ratione Voti Paupertatis facta ſit incapax cujuſlibet veri dominii; ſi ergo præfata Monialis non eſt vera domina hujus redditus annui, clariſſimè conſtat, ipſam non poſſe remittere portionem ejuſdem redditus parentibus ſuis; nemo enim dat quod non habet aliquo jure proprio. Quandoquidem

Ff

Digitized by Google

8 dem jus, & dominium circa redditus annuos omnium, & ſingularum Monialium eſt Monaſterii, juxta illam tritiſſimam regulam: *quicquid acquirit Monachus acquirit Monaſterio*; & Monialis habens uſum facti circa ſui peculiares redditus annuos eſt merè uſuaria ipſorum reddituum, quatenus de licentia Superiorum præhabita in facienda Profeſſione uti poteſt, & quidem licitè iiſdem redditibus pro ſuis indigentiis perſonalibus dumtaxat, ſecundùm conſuetudimem ſui Monaſterii. Per hoc autem quòd ſit ſimpliciter uſuaria reddituum, & habeat facultatem illis utendi, ut ſupra, non eſt in ſui poteſtate illos diſtrahere ad alios uſus, ut paſſim advertunt *Doctores*, inter quos expreſsè *Donatus tom. 4. de Voto Paupertatis tract. 15. quæſt. 23. nu. 3.*, & expreſſiùs in rem præſentem *quæſt. 36. nu. 2.* ex *Decreto Sacræ Cong. ſuper Bulla Clem. VIII. de Largitione munerum*, præter perſonales neceſſarios, eò quòd utpote merè uſuaria habet ſolum uſum reddituum pro ſe, nec poteſt hunc cedere alteri, cum hoc ſit proprium domini, & uſufructuarii: inſuper talis
9 remiſſio eſſet ſpecies alienationis; omnis autem alienatio interdicta eſt omnibus Regularibus utriuſque ſexus, & propterea præfata Monialis non poteſt à ſe ipſa remittere portionem ſui annui redditus ſinè violatione præcepti de non alienandis bonis Monaſterii, cujus ſunt ejus redditus annui: præterquamquod cum hujuſmodi remiſſio eſſet quædam donatio, & ſanè de bonis Monaſterii propter *citatam Regulam* ſuperiùs, ſtatim colligitur, hujuſmodi remiſſionem, quæ revera eſſet donatio, fieri non poſſe licitè per ipſam Monialem ſinè licentia Superiorum ex defectu dominii, quod non habet, & cuncta, quæ habet in uſum facti, omnia habeat ad nutum Superioriſſæ, & non aliter, nec alio modo propter ſui ipſius incapacitatem, ortam à ſolemni Voto Paupertatis.

10 Ad primum igitur negatur antecedens, tanquam diametraliter oppoſitum Reſolutioni; nam Monialis, quamvis obligata de Jure naturali, & Divino ad charitatem erga proximum ſuum,

um, & præcipuè erga Parentes consanguineos, tanquam ſibi proximiores, juxta illam regulam; *ordo Charitatis incipit à ſe ipſo*, non debet, nec poteſt violare Legem ſibi voluntariè, & ſponte impoſitam, vovendo paupertatem ſolemnem, non enim ſunt facienda mala, intrinſecè mala, propter facienda bona, quod eveniret, ſi Monialis violaret Votum Paupertatis, cum ejus violatio eſſet intrinſecè mala ſolo motivo charitatis Parentibus ſuis faciendæ, ut in contingentia facti; quandoquidem Juſtitia prævalens Charitati habet cauſare, quòd Monia-
11 lis non auferat Monaſterio ſuo portionem ſui redditus annui, illam remittendo parentibus; Juſtitia enim, tribuens unicuique ſuum, vult jus alterius violari non poſſe ſinè culpa; Monialis autem diſpoticè remittens illam portionem ſui redditus annui abſque ulla licentia Superioris, violaret jus Monaſterii, cui competit verum jus, & verum dominium ſupra redditus annuos omnium, & ſingularium Monialium; ita & taliter, ut præfata Monialis in contingentia facti, remittendo portionem redditus, fieret rea etiam furti, & peccaret contra Divinum
12 præceptum Decalogi non furandi. Ad illud autem, quod afferebatur in *Reſol.* 32. *primæ partis Reſolutionum*, ſatisfit, dicendo, paritatem non currere; ibi enim ſupponebatur licentia Superioriſſæ, attenta maximè conſuetidine Monaſterii ad hoc, ut Moniales omnes, implendo cuncta præſcripta in *Brevi Pontificio*, conſequi poſſint Indulgentiam, ſecus Superioriſſa cenſeretur irrationabiliter invita, in quo caſu, ex ibi dictis, poſſet Monialis facere aliquam eleemoſynam citra culpam propter motiva rationabilia ibidem relata; agitur etiam de parvitate materiæ, quæ excuſaret etiam à culpa gravi: in hypotheſi autem præſenti ſumus in materia gravi, non enim portio reddi-
13 tus annui eſset tam modica, & cenſetur tanta, ut redderet graviter culpabilem præfatam Monialem contra Juſtitiam, & contra ſui Votum Paupertatis.

14 Ad ſecundum negatur ſuppoſitum antecedentis, quia etiam

data legitima cauſa, qualis videtur eſſe in facta hypotheſi pau-
pertas parentum Monialis, iſta non excuſatur ab obligatione
petendi licentiam pro remiſſione redditus annui, ut ſupra;
ſpectat enim ad Superioriſſam approbare, vel reprobare cau-
ſam, tanquam legitimam, vel illegitimam, ſicuti ad illam
ipſam ſpectat dare, vel negare licentiam privativè ad Monia-
lem: Monialis namque nimiùm affecta, ut frequenter contin-
git in praxi, vel ſaltem plus affecta Parentibus, qui, multipli-
catis precibus, ſolent eſse importuni cum ſuis Monialibus con-
ſanguineis, non poteſt eſse juſtus judex ad ferendam ſenten-
tiam ſuper legitimitate cauſæ pro facienda remiſſione antedi-
cta, juxta illam regulam: *Nemo Judex in propria cauſa*, quando-
quidem ut conſanguinea, & nimio amore ducta, ſive obcæca-
ta arrogaret ſibi jus, & poteſtatem Superiorisſæ, ſi, neglecta
iſtius auctoritate, remitteret illam portionem redditus annui
ad ſui uſum facti dumtaxat ſibi permiſſi. Nec prodeſt quic-
quam, quòd Superiorisſa, ut dicebatur, utpote multùm pia,
& inclinata ad conſolandas Moniales in ſuis anguſtiis propter
Parentum afflictiones, & ſpecialiter propter paupertatem eo-
rundem, cenſeatur prompta, & parata dare Moniali licen-
tiam remittendi portionem redditus, quia pietas Superioriſ-
ſæ non dat Moniali poſse remittere, ſed confert præcisè ſpem
Moniali obtinendi de facili ab eadem licentiam, quam de Ju-
re petere debet. Inſuper nec juvat ad faciendam licitam præ-
15 fatam remiſſionem redditus, quòd Monialis habens uſum fa-
cti redditus annui pro ſuis indigentiis minuat expenſas in ſe,
& ſubtrahat ſibi tantum, quantum vult remittere, quia cuncta
ſibi conceſsa, & ipſi redditus annuos ſibi conceſſos pro uſu
ſuarum indigentiarum perſonalium non poteſt diſtrahere in
alium uſum ſinè licentia Superiorum, neque titulo Charitatis,
ut notant communiter *Auctores* apud *Donatum tom. 4. tract. 15.
de Voto Paupertatis quæſt. 23. nu. 2. & ſeq.* ſecus Monialis diſtra-
hens ad alios uſus, præterquam ſibi conceſſos, utpote ſpolia-

ta

ta omni jure, & dominio, Charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, faceret eſſe vinculum iniquitatis; qualis eſt proprietas contra Votum ſolemne Paupertatis.

Monialis, cui Abbatiſsa dedit licentiam emendi de ſuo peculio *Opera S. Franciſci Saleſii*, emit alios Libros profanos: dein dubitans, an hoc ſibi fuerit licitum, conſulit pro ſui conſcientiæ gubernio Confeſſarium ordinarium.

Deſideratur Judicium rectum ejuſdem Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXVIII.

SUMMARIUM

1 *IN hoc Monialis licitè ſe gerere videtur,*
2 *Quia habet uſum facti ſui Peculii,*
3 *Illudque impendit in rebus non illicitis,*
4 *Et interpretari poteſt, adeſſe etiam mentem Abbatiſsæ:*
5 *Præterea licentia data ad uſum rei licitè præſumitur data ad quodlibet licitum:*
6 *Sicuti quoque licentia data Moniali expendendi de ſuo pro officio Monaſterii, inſervit eidem ad recipiendam pecuniam à Parentibus liberè oblatam, ita &c.*
7 *Hiſce minimè obſtantibus, reſolvitur in contrarium.*
8 *Et ratio eſt, quia hic non datur locus Epicbejæ, cum licentia ſit determinata circa unum præcisè;*
9 *Aliàs ſe gereret utì proprietaria, quia licèt habeat uſum facti ſui Peculii, de hoc tamen non poteſt diſponere ſinè licentia;* 10 *Qua-*

Digitized by Google

10 *Quare graviter peccaret, ſi materia, ſeu ſumma pecuniæ expenſæ eſſet gravis;*

11 *Secus aperiretur via lata Monialibus expendendi omnia clandeſtinè in uſus quidem licitos, ſinè legitima licentia:*

12 *Excuſaretur tamen hæc Monialis, ſaltem à mortali peccato, quando poſset deduci, quòd Abbatiſsa de facili conceſſiſſet hujuſmodi licentiam.*

13 *Ad primum reſpondetur, negando antecedens, & totum ratiocinium, propter motiva ſupra relata.*

14 *Quod addebatur, & ipſum diluitur, dicendo, quòd, ſuppoſita determinata licentia Abbatiſſæ, non eſt ampliùs in poteſtate Monialis illam contorquendi in alios ſenſus.*

15 *Negatur ſuppoſitum ſecundi objecti, niſi præſumi poſſit rationabiliter, licentiam extendi ad alios uſus.*

16 *Cæteris ſatìs, ſuperque ex jam dictis ſatisfacimus.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem hanc in contingentia facti poſſe licitè expendere de ſuo peculio,
2 cujus habet uſum facti, maximè quia emendo v.g. Hiſtorias profanas, & præcipuè purgatas ab omni macula moraliter contagioſa non impenderet partem ſui peculii in rebus prohi-
3 bitis, & illicitis, nec præter intentionem rationabilem ſuæ Abbatiſſæ; non enim cenſeri debet mens, & voluntas Abbatiſſæ
4 tanti rigoris, ut velit prohibere Monialibus legere, citra præjudicium regularis obſervantiæ, Hiſtorias profanas, recreationis, & eruditionis gratia ipſarum Monialium; quandoquidem ſicuti vacare ad breve tempus ad levandum animum nedum permittitur, ſed poſitivè præſcribitur quotidie quibuſdam certis horis in clauſtris Regularium utriuſque ſexus, ita ſimiliter præſumendum eſt, voluntatem Abbatiſsæ non diſſentiri, loquendo rationabiliter, quòd Monialis legat Hiſtorias profanas; & propterea videtur dicendum, Monialem, de qua eſt

ſer-

ſermo, emendo Hiſtorias hujuſmodi ad ſe recreandum, loco librorum *S. Franciſci Saleſii*, emere rem licitam, & conſequenter non eſſe culpabilem contra Votum Paupertatis, eò quòd licentia habita ab Abbatiſſa pro emendis *Operibus Saleſianis* rationabiliter præſumi poteſt, extendi etiam ad libros Hiſtoriarum emendos.

5 Præterea cum licentia data per Abbatiſſam data fuerit ad rem licitam, & honeſtam, hoc eſt ad emenda Opera ſpiritualia pro inſtructione animæ ipſius Monialis, videtur data ad quamlibet rem pariter licitam pro bono morali ejuſdem Monialis, hoc eſt etiam ad emendos libros Hiſtoriarum, cum Libri hiſtorici purgati ab omni labe contagioſa multùm adjuvent ad bonos mores retinendos, ſive acquirendos, & ſic hujuſmodi licentia accepta poteſt inſervire Moniali pro emendis *Operibus S. Franciſci Saleſii*, ac pro emendis Libris hiſtoriarum, cum finis emptionis utrorumque ſit valde ſimilis; & hoc totum confirmari poſſet à pari, dicendo: ſicuti licentia data Moniali ab Abbatiſsa, ut expendat de ſuo peculio pro officio Monaſterii, ad quod eſt ipſa deputata, poteſt inſervire eidem Moniali ad
6 recipiendam pecuniam ſibi liberè oblatam à parentibus pro èxpenſis faciendis in eodem officio, ita in caſu noſtro licentia data, & accepta reſpectivè ab Abbatiſſa, & Moniali poterit inſervire non minùs ad emendum Libros hiſtoricos, quàm ad emendos illos *S. Franciſci Saleſii*, ideòque Monialem in contingentia facti licitè ſe gerere abſque ulla labe contra ſui Votum Paupertatis.

7 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Monialem, cui data fuit licentia ab Abbatiſsa emendi de ſui peculio *Opera S. Franciſci Saleſii*, non poſſe uti eadem licentia determinata pro emendis Libris hiſtoriæ profanæ, clamant unanimiter *Donatus tom. 4. tract. 15. de Voto Paupertatis quæſt. 21. nu. 1.*, *Tambur. de Jure Abbatiſs. diſput. 9. quæſit. 3. nu. 19.*, ubi citat *Peyrin. tom. 1. de Subdito quæſt. 2. cap. 2. §. 8.* dicentem, Religioſos peccare mor-

mortaliter contra Paupertatis Votum, ſi in alios uſus præter deputatos à Superiore, etiam licitos, & pios, bona Conventus expendant abſque expreſsa, vel præſumpta Superoris licen-
9 tia; cum autem peculium Monialium, quamvis uſus facti ejuſdem ſpectet ad ſingulas Moniales illud habentes ex permiſſione Superiorum, non ſit, propriè loquendo, ſingularum Monialium, eò quòd ratione Voti Paupertatis fuerint omnes, & ſingulæ ſpoliatæ omni jure poſſidendi, & quocumque alio vero dominio, ſit Monaſterii, juxta illam Regulam, *quicquid acquirit Monachus acquirit Monaſterio;* hinc eſt, quòd Monialis, cui data fuit licentia emendi *Opera ſpiritualia S. Franciſci Saleſii*, peccaret contra Votum Paupertatis, ſi, nulla alia licentia obtenta, emeret ad ſui beneplacitum dumtaxat illos Libros hiſtoricos, quia diſponeret de peculio verè non ſuo, ſed ſolius Monaſterii, tanquam domina, & patrona, non tanquam ſubdita, cujus eſt in hac materia pendere à voluntate ſuę Abbatiſsæ; ideòque in contingentia facti, ſuppoſita ſumma expenſæ pecuniæ
10 uſque ad materiam gravem, præfata Monialis peccaſſet graviter contra Paupertatis Votum; quandoquidem hoc ipſo, quòd licentia obtenta non extenditur, neque præſumptivè ad illum alium uſum, perinde eſt ac ſi ſumma illa pecuniæ expenderetur ſinè ulla licentia, quod utique eſſet contra Votum Paupertatis, quatenus contra mentem, & voluntatem Abbatiſsæ, cujus vera intentio in conceſſione petitæ licentiæ fuerat concedere determinatè illam licentiam, quam petiit Monialis ad emenda *Opera Saleſiana*, & non aliam, nec aliter, nec alio modo citra petitionem ſibi factam ab eadem Moniali: ſecus aperiretur via lata, & ſpatioſa in clauſtris Sanctimonialium ad
11 perditionem, quatenus doloſæ, & mendaces in petendis hujuſmodi licentiis clandeſtinè diſtrahentes peculia ſua ſinè legitima licentia in uſus, quamvis licitos, ſibi tamen unicè bene viſos, neglectis Abbatiſſis, vitam degerent quidem in Monaſterio, non ſecus tamen, ac dominæ, & patronæ proprietariæ in

in ſæculo. Solent nihilominus *Authores* advertere in hac materia, ne detur locus ſcrupulis, Confeſſarios, immo & ipſos Clauſtrales utriuſque ſexus, conſiderandum eſſe in hujuſmodi contingentiis, num adſit locus pro præſumptiva licentia Superiorum, nimirum, ut diſcurramus in caſu noſtro; an Abbatiſsa
12 veroſimiliter conceſſiſſet de facili, & ſinè precibus importunis licentiam Moniali, ut de ſuo peculio emeret etiam Libros hiſtoricos; tunc enim præfata Monialis excuſanda eſset à culpa gravi, quamvis non eſset laudanda propter culpam levem ob mendacium, & dolum commiſsum in petenda licentia, quam petere debuerat ſincerè, & apertè.

13 Ad primum igitur negatur antecedens, & totum ratiocinium ſubſequens, tanquam innixum falſis ſuppoſitis, niſi conſtet de licentia præſumptiva in contrarium; dato enim, quòd voluntas Abbatiſsæ in concedenda licentia Moniali pro emptione Operum Spiritualium, fuerit unicè determinata quoad hæc Opera, & privativè ad emendos alios Libros, quamvis licitos, & purè ſpirituales, ſtatim evincitur, inquiunt *præcitati Doctores*, Monialem non poſſe expendere de ſuo peculio in alios uſus ſibi tantùm bene viſos, quia ſpoliata omni jure, & dominio tenetur, utpote ligata Voto Paupertatis, pendere in hac materia à voluntate determinata ſuæ Abbatiſsæ; Ad illa autem, quæ addebantur in ratiocinio, ſatisfit, dicendo, illa ipſa poſſe quidem potuiſſe eſſe motiva rationabilia in Abbatiſſa in concedenda licentia pro emptione Librorum hiſtoriarum, ſed, ſuppoſito, quòd Abbatiſsa dederit licentiam, ut ſupra, unicè ad emptionem *Operum S. Franciſci Saleſii*, & non ad
14 alios Libros emendos, omnia ibi adducta non excuſarent præfatam Monialem à vitio proprietatis, & propterea ipſam peccare graviter contra Votum Paupertatis concludunt *Authores* aſſerentes, licentiam obtentam, ut in hypotheſi facta, nullam reputari quoad alios uſus, & hinc

15 Ad ſecundum ſimiliter reſpondetur, negando ſuppoſitum,

Digitized by Google

niſi conſtet aliquo modo, quòd licentia data pro emendis *Operibus Saleſianis* præſumi poſſit tanquam data etiam pro emendis Libris hiſtoriarum: in caſu autem, in quo voluntas Abbatiſsæ concedentis licentiam ſit taliter expreſſa, ut nequeat rationabiliter interpretari conceſſa ad diverſos uſus licitos, nullo modo licitum eſſet Moniali expendere de ſui peculio in emendo Librum hiſtoricum, quia in hac materia Regulares utriuſque ſexus, ne fiant proprietarii, tenentur ſtare voluntati Superioris;
16 nec valet dicere, quòd addebatur in adjutorium ſententiæ contrariæ, hoc eſt licentiam datam ad uſum rei licitæ præſumi datam ad quodlibet licitum, quia ſemel dato, quòd Abbatiſſa ſe determinaverit dare illam licentiam determinatè, & expreſsè ad emenda *Opera Saleſiana*, non datur locus ad illam extendendam ulteriùs, eò quòd taliter data non eſt interpretabilis diverſimodè à mente, & voluntate explicita ejuſdem Abbatiſsæ, neque ad alium uſum meliorem, emendo v.g. Libros Evangeliorum, quia ſi peculium expenderetur ſinè alia licentia in uſum longè meliorem, adhuc eſſet peccatum, eò quòd in facta hypotheſi nullius præſumptivæ licentiæ, ut ſupra, mens, & voluntas Superiorſſæ dando licentiam ad expendendam peccuniam in uſu licito, intelligitur ſimpliciter, ſe nolle eam pecuniam expendi in alio uſu; licèt longè meliori. Ad illud tandem, quod ultimò addebatur, dicimus, paritatem non currere, quia ſtatim ac Monialis deputatur ab Abbatiſsa ad aliquod officium Monaſterii, & dat eidem licentiam expendendi de ſuo peculio pro eodem officio in ſervitium Monaſterii, videtur eidem concedere licentiam recipiendi à parentibus, & benefactoribus pecuniam, & alia pro faciendis expenſis Officii ſui; in caſu autem noſtro, in quo non ſupponitur locus pro præſumptiva licentia, cum data intelligatur data unicè ad unicum finem, hoc eſt ad emenda *Opera Saleſiana*, & privativè quoad alios quoſcunque uſus, quamvis licitos, præfata Monialis ad theſim vocata ſe gereret illicitè, & peccaret graviter contra Votum Paupertatis.

Mo-

Digitized by Google

Monialis ſinè licentia ſuæ Superioriſſæ accepit plura Munuſcula, dein dubitans, an licitè, conſulit ſui Confeſsarium.

Deſideratur Judicium Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXIX.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Monialem poſſe accipere, & quidem licitè plura Munuſcula ſinè licentia Superioriſſæ,*

2 *Quia ſicuti ſinè licentia potuiſſet donare plura munuſcula ejuſdem oblatoribus ſinè licentia, ita &c.*

3 *Quandoquidem accipiendo munuſcula, accipit ea Monaſterio; quod ſanè eſt licitum,*

4 *Neque agit ob hoc contra Votum Paupertatis, nec exercet dominium ſuper talia munuſcula;*

5 *Vovit enim, ſe non poſſeſſuram aliquid, non vovit, ſe minimè accepturam aliquid.*

6 *Non obſtantibus his, in contrarium reſolvitur,*

7 *Quia acceptando talia dona ſinè licentia facta eſt proprietaria,*

8 *Et ſicuti vovit nihil habere, ſic vovit nihil accipere: ita P.*

9 *Quia eodem modo neceſsaria eſt licentia ad retinendum, quoad recipiendum, etiamſi acciperet Monaſterio;*

10 *Niſi fortè inconſideratè, & inadvertenter eadem acciperet ſinè licentia Superioriſſæ; in hoc enim caſu omnino excuſaretur à culpa,*

11 *Aliàs peccaret juxta quantitatem materiæ.*

12 *Pariformiter diluuntur objecta.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, hujuſmodi Monialem
licitè potuiſſe accipere Munuſcula, quamvis plura ſinè li-
centia Superioriſſæ, quemadmodum enim potuiſset licitè ſinè
tali facultate donare eiſdem oblatoribus plura Munuſcula, ſi-
2 militer, immo multò magis illa potuit accipere licitè, quan-
doquidem accipiendo acquirit ſibi, hoc eſt Monaſterio, juxta
3 illam regulam: *quidquid acquirit Monachus acquirit Monaſterio*;
acquirere autem in beneficium Monaſterii licitum eſt, ideò-
que Confeſsarius in contingentia facti poſſet commendare
potiùs, quàm commendare præfatam Monialem; reſponde-
re nempe, ſibi licitum fuiſse accipere ſinè ulla alia licentia il-
la munuſcula, quamvis plura.

4 Præterea Monialis ad theſim vocata Voto Paupertatis adſtri-
cta non videtur in contingentia facti agere aliquid minimum
contra ſui Votum Paupertatis, cum non diſtrahat aliquid mi-
nimum Monaſterii, nec exerceat aliquod dominium ſuper mu-
nuſcula, quæ dono accipit, niſi velimus dicere, quòd acqui-
rendo eadem munuſcula videatur acquirere dominium ſuper
ipſa munera, quod ſanè non eſt agere contra Votum Pauper-
tatis, eò quòd non ſit in ſe actus dominii, & proprietatis,
5 quia vovens paupertatem vovet quidem non habere, & poſ-
ſidere præcisè, non autem vovet non accipere; unde in rem
noſtram præfatus Confeſsarius conſultus ab hujuſmodi Mo-
niali poſset reſpondere, ipſam Monialem potuiſſe licitè ſinè
licentia ſuæ Superiorisſæ accipere illa munuſcula.

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvendum cenſeo, Monia-
lem hanc non potuiſse ſinè licentia Superiorisſę licitè accipere
plura illa munuſcula, & ratio eſt, quia Monialis acceptando
7 illa, diſpoticè ſe gerendo facta fuit proprietaria contra ſui
Votum Paupertatis, eò quòd vovens paupertatem, ſicuti vo-
vet nihil habere ſinè licentia Superioris, vovet ſimiliter nihil
8 accipere, docet in rem noſtram *P. de Monialibus de Voto Pau-*
pertatis cap. 4. ſect. 1. nu. 35. ſinè licentia, quandoquidem ſub-

jun-

Digitized by Google

jungit *citatus Doctor nu.36.*, eodem modo eſt neceſſaria expreſſa licentia ad retinendũ, quàm quoad recipiendum: & hoc totum
9 confirmari poteſt ex eo, quod docet *Suarez tom. 3. de Relig. lib.* 8. *cap.* 11. *nu.* 1. *relat. à P. loc. cit.*, Monialis, inquit ipſe, non poteſt liberè accipere aliquid ad communes uſus Monaſterii, ſecus peccaret non ſolùm contra obedientiam, ſed etiam contra paupertatem, utpote nomine proprio, ac propria authoritate accipiens, ſi id faciat abſque licentia, ut in caſu ſuppoſito: hinc à fortiori Monialis noſtra reputanda erit rea, & tanquam proprietaria, accipiendo ſinè ulla licentia munuſcula illa, & præſertim quia plura, juxta illam regulam: *multa modica faciunt unum ſatìs*, adeout peccatum contra Vota Paupertatis, & obedientiæ menſurandum à parvitate, vel gravitate materiæ ſit grave, aut leve, ad rationem ipſius materiæ; ſtante autem hac doctrina evincitur, Monialem in propoſito caſu ſemper illicitè ſe gerere, modò non adſit ſufficiens conjectura alicujus licentiæ præſumptæ, quatenus præſumi poſſit voluntas Superiorisſæ, quòd præfata Monialis poſſit accipere munuſcula illa, quamvis plura ſibi donata; tunc enim licitè acciperet: ſecus verò ſi nulla poſſet interpretari licentia, quia tunc Monialis, recipiendo munera illa independenter à voluntate Superiorisſæ, exerceret actum dominii, ſeu proprietatis, ut notat *Donatus tom. 4. de Voto Pauper. tract.* 15. *quæſt.* 37. *nu.* 1. *ut expreſsè dicitur in cap. cum ad Monaſterium 6. de ſtatu Monach.* ibi *unde ſi quidquam alicui fuerit ſpecialiter donatum, non præſumat illud accipere, ſed Abbati, vel Priori aſſignetur &c.*: quod dictum procedit etiam reſpectu Monialis, utpote Voto Paupertatis adſtrictæ; quare Confeſſarius conſultus ſuper caſu ſuppoſito ab hujuſmodi Moniali teneretur reſpondere, Monialem illicitè ſe geſſiſſe, & peccaſſe, ut advertit *cit. P. cap. 4. de*
10 *Paupertatis Voto ſect. 1. quæſt. 31. nu. 47.*, contra Votum Paupertatis, & Obedientiæ ad menſuram materiæ, hoc eſt graviter, ſi munuſcula illa, utpote plura conſtituerent materiam gra-

vem

Digitized by Google

vem, juxta illam regulam *Divi Auguſt. Plerumque beſtiæ minutæ multæ necant*, vel leviter, ſi materia, hoc eſt munuſcula accepta eſſent undequaque levia, & parvi, aut nullius momenti; & hoc
11 totum intelligendum eſt, niſi Monialis inconſideratè ſe geſſiſſet in accipiendis illis munuſculis, hoc eſt cum inadvertentia inculpabili ad petendam debitam licentiã à Superiориſsa; tunc enim excuſanda foret per Confeſsarium ab omni culpa, & ſeriò monenda, ut in poſterum ſe abſtineat ab accipiendis muneribus, inconſulta ſui Superioriſſa.

12 Ad primum igitur negatur antecedens, necnon & id, quod addebatur ad ejus probationem, retorquendo argumentum ſic: ſi Monialis potuit licitè ſinè licentia Superioriſſæ accipere præfata munuſcula, quia potuiſſet donare munuſcula oblatoribus ſinè licentia ſuæ Superioriſſæ; ergo non poterit illa accipere ſinè aliqua licentia, quia revera, ut docent communiter *Auctores*, non poteſt illa ipſa donare aliis ſinè licentia debita.

Ad illud autem, quod inſuper ſubadditum fuit conformiter ad illam regulam: *quidquid acquirit Monachus acquirit Monaſterio* ſatisfit ex eo, quod dictũ fuit in fundamento Reſolutionis cum *Suarez loc. cit.*, Monialis namque, ſicut & quilibet Religioſus Voto Paupertatis ligatus, & propterea omni jure & dominio ſpoliatus, non poteſt independenter à voluntate Superioris licitè acquirere aliquid ſibi, nec Monaſterio: unde in rem noſtram Confeſsarius non ſolùm non deberet commendare Monialem ad theſim vocatam, ſed illam condemnare, tanquam ream, inobedientem, & proprietariam; leviter, aut graviter, juxta materiam gravem, levem, ut ſuperiùs advertimus.

Ad ſecundum ſimiliter negatur antecedens, quia Monialis, quamvis in accipiendis munuſculis, de quibus eſt ſermo, non diſtrahat aliquid minimum Monaſterii, exercet tamen aliquod jus dominii in acceptatione munerum, cujus juris dominii Monialis privata eſt incapax, & ſic, licèt non ſe gerat

illi-

Digitized by Google

illicitè, quia nihil diſtrahit, illicitè ſe gerit, ſibi uſurpando illud dominium in accipiendis muneribus independenter à voluntate Superiorisſæ, quod eſt idem, ac dicere, Monialem in propoſito caſu peccare contra ſui Votum Paupertatis, quia, inquit *P. loc. cit.* Vovens paupertatem ſicut vovet non habere, ſic & vovet non accipere aliquo modo, cum accipere ordinetur ad habendum; ergo maximè vovit non accipere tali modo, nempe ſinè licentia; &, his poſitis tanquam certis, clarè deducitur, Confeſſarium in contingentia facti debere ferre ſui judicium contra Monialem, hoc eſt, Monialem hanc illicitè ſe geſſiſse in accipiendis muneribus ſinè ulla licentia, ipſamque paternè monere, ut in poſterum ſe abſtineat, nedum ad vitanda peccata contra Votum Paupertatis, & Obedientiæ, ſed etiam ad ſectanda ſui Vota, veluti Sponſa Chriſti, qui, cum dives eſſet, factus eſt pauper, egenus, & obediens ob amorem ſui uſque ad mortem.

Digitized by Google

Monialis Profeſſa, habens licentiam ab Abbatiſsa recipiendi Dona ab amicis indefinitè, accepit decem aureos à Titio, qui fuerat ejus amaſiſius in ſæculo inter loquendum de præteritis amoribus, & eoſdem aureos implicavit in rem utilem Monaſterio; unde orta fuit contentio inter duos Confeſsarios Monialium altercantes inter ſe de peccato, & quali peccato eſſet rea eadem Monialis.

Expectatur Deciſio à tertio Confeſſario.

RESOLUTIO XL.

SUMMARIUM

1 *HÆc Monialis videtur peccaſſe contra Votum Caſtitatis, non tamen contra Votum Paupertatis.*

2 *Ideò primum, quia colloquia ſupponuntur fuiſſe turpia;*

3 *Ideò ſecundum, quia habebat licentiam Superiorißæ accipiendi Munera indefinitè: & accipiendo convertit eadem in uſum Monaſterii:*

4 *Præterea non poteſt dici proprietaria, habuit enim dictam licentiam, & habuit animum implicandi munus, ut ſupra.*

5 *Quibus non obſtantibus, reſolvimus, hujuſmodi Monialem non ſolùm graviter peccaſse contra Votum Caſtitatis, ſed etiam Paupertatis.*

6 *Ideò primum, quia, ut dictum fuit, ſupponitur locutam fuiſse obſcœnè.*

7 *Ideò ſecundum, quia licentia Superioriſsæ non poteſt intelligi conceſsa in caſu, in quo adſit periculum detrimenti animæ pro Moniali.*

8 *Unde Superioriſsa cenſetur potiùs invita; aliàs & ipſa foret culpabilis.*

9 *Hinc*

Digitized by Google

9 *Hinc docet* Suarez, *Moniales liberè accipientes, etiam ad uſum Monaſterii, graviter peccare, non tantùm contra Obedientiam, ſed etiàm contra Paupertatem.*

10 *Quæ hactenus dicta ſunt facillimè adaptantur in deſtructionem objectorum.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem ad theſim vocatam peccaſſe quidem contra Votum Caſtitatis, non
2 tamen contra Votum Paupertatis, quia colloquia de præteritis amoribus in ſæculo ſupponuntur fuiſſe turpia, quatenus rememorativa eorũ affectuum carnalium in ſæculo, non tamen pec-
3 caſſe contra Votum Paupertatis, quia Monialis accepit illos aureos de licentia ſuæ Abbatiſsæ, cum habuerit ab eadem facultatem indefinitam, & generalem ad acceptanda dona omnia, quæ ſibi fuiſſent oblata, & ex alia parte, cum expenderit illos decem aureos in beneficium Monaſterii, videtur, ſui Abbatiſſam non fuiſſe ullò modo invitam, immo ſibi fuiſſe gratum, quòd Monialis illos acceptaverit, quatenus eoſdem implicavit ad utilitatem ſui Monaſterii; & inde eſt, quòd in contingentia contentionis ortæ inter præfatos Confeſſarios Monialis, de qua eſt ſermo, poterit excuſari à vitio proprietatis, cum non accepiſſet aureos independenter à ſui Abbatiſſa, nec authoritate propria, etſi fuerit rea incontinentiæ; diſcurrendo de præterito amore turpi cum amaſio.

4 Præterea præfata Monialis non videtur in acceptione aureorum ab antiquo ſui amaſio fuiſſe proprietariam, quia non ſolùm habebat licentiam, ut ſuperiùs dictum fuit, ſed habuit verè animum illos acceptandi, non ad ſui uſum, ſed revera illos implicandi ad utilitatem Monaſterii, & non aliter, nec alio modo; acceptare autem hoc modo non eſt agere contra Votum Paupertatis, inquit *Sanchez lib. 7. mor. cap. 19. nu. 55. cit. à P. de Voto Paupert. cap. 4. ſect. 1. quæſ. 25. nu. 37. in fine*: & ratio

tio eſt, quia Religioſus, qui accipit ſinè licentia, non ut ſibi approprieт, ſed ut tradat Monaſterio, non eſt proprietarius, cum in emiſſione Voti paupertatis ſolùm voverit, nil ſibi acquirere, aut appropriare ſinè Prælati licentia, & in caſu noſtro Monialis nil ſibi acquiſierit, ſed ſolùm Monaſterio, ut ex facto apertè colligitur, dum de facto illos aureos implicavit ad utilitatem Monaſterii. Quamobrem Monialis in contingentia facti videtur excuſanda, ſaltem à vitio proprietatis, quamvis probabiliter rea inter loquendum de præteritis amoribus in ſæculo cum ſui amaſio:

5 His tamen non obſtantibus, reſolvendum eſt, Monialem ad theſim vocatam peccaſſe, & quidem graviter, non ſolùm contra Votum Caſtitatis, ſed etiam contra Votum Paupertatis.
6 tis. Et ratio primi eſt, quia Monialis, loquendo de præteritis amoribus in ſæculo cum ſui amaſio, ſupponitur locutam fuiſſe obſcœnè, utendo verbis amatoriis, & propterea graviter peccaſſe contra Caſtitatem, & ſacrilegè contra Religionem, ratione Voti ipſius Caſtitatis; ad quod confirmandum non immoramur, eò quòd conſideranti apertiſſimè patet, quæ, & quanta peccata dari poſſint in hujuſmodi contingentia facti reſpectu Monialis, attenta perſona ſui amaſii, liberi, an conjugati,
7 vel etiam ligati aliquo Ordinè Sacro ex majoribus: ratio autem ſecundi, nimirum Monialem hanc peccaſſe graviter contra Votum Paupertatis, facilè colligitur ex natura ipſius Voti, & ex materia gravi contra idem Votum; quandoquidem Monialis ligata Voto Paupertatis, licèt habeat licentiam generalem ab Abbatiſſa accipiendi dona indefinitè ab amicis, non intelligitur licentiata pro accipiendis donis in caſibus cum
8 periculo patiendi detrimentum animæ ſuæ, immo in hujuſmodi contingentiis voluntas Abbatiſsæ intelligitur abſolutè invita, & quidem rationabiliter, ſecus etiam Abbatiſsa fieret rea peccatorum ſuæ Monialis, juxta illam regulam: *quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati*: Monialis igitur in facta hypotheſi, utpote

te

te omni, & quocunque jure dominii deſtituta ratione Voti Paupertatis, & nullam habens licentiam accipiendi dona, quatenus mens, & voluntas Abbatiſſæ in conceſſione generali ei data ad acceptanda dona ab amicis non fuit ad accipienda dona ab amaſiis, & præcipuè inter loquendum de profanis amoribus in ſæculo; Monialis, inquam, in caſu noſtro peccavit graviter contra Votum Paupertatis: accepit enim dona independenter à voluntate ſuæ Abbatiſsæ, & propria auctoritate diſpoticè tanquam domina, & patrona ſuæ voluntatis, quæ in hac materia tanquam nulla, & nihilum reputatur. Hinc docet *Suarez tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11. nu. 1. cit. à P. de Voto Paupert. Monial. cap. 4. ſect. 1. quæſ. 25. nu. 37.*, Moniales libe-
9 rè accipere non poſſe, non ſolùm ad proprium uſum, ſed neque ad communes uſus Monaſterii; &, ſi accipiant, peccare non ſolùm contra Obedientiam, ſed etiam contra Paupertatem, utpote nomine proprio, ac propria auctoritate accipientes abſque licentia, quantumvis res accepta ſtatim tradatur Communitati; quæ doctrina validiſſima eſt ad rem noſtram, cum modus, quo Monialis accepit dictos aureos fuerint colloquia prava, & obſcœna de turpi amore cum amaſio, ideòque graviter peccaminoſus; quo ſuppoſito, non eſt locus excuſandi Monialem à culpa gravi ex præſumpta voluntate Superiorisſæ, quæ forſan haberi poſſet, ut advertit relatus *P. loc. cit.* in aliquo caſu, in eo nempe, quo Monialis acciperet aliquam rem ſinè expreſſa licentia Superiorisſæ, cui diſpliceret quidem modus accipiendi, hoc eſt ſinè ſui licentia, non autem ipſa acceptio quoad ſubſtantiam, cum res accepta ſit in beneficium Communitatis: at in noſtra hypotheſi præſumi debet, quòd Superioriſſa ſit invita, non ſolùm quoad modum peccaminoſum, quo Monialis acceperit illos decem aureos, ſed etiam quoad ſubſtantiã, hoc eſt, ad ipſos decem aureos, utpote iniquè & turpiter acquiſitos à prefata Moniali Sponſa Chriſti quidem, ſed revera facta ipſi Sponſo infidelis propter tria peccata ſpe-

Digitized by Google

cie diverſa, contra Vota Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ à ſe commiſsa.

10 Ad primum igitur reſpondetur, præfatam Monialem peccaſse graviter non ſolùm contra Votum Caſtitatis propter turpia colloquia habita cum ſui amaſio in ſæculo, ſed etiam contra Votum Paupertatis, accipiendo, & acceptando illos decem aureos ab eodem ſui amaſio, quia illos accepit auctoritate propria ſinè ulla minima licentia ſuæ Superioriſsæ, quæ in conceſſione illa generali nunquam intellexit dare illam licentiam accipiendi dona ab amaſio, quatenus nunquam intellexit dare illi occaſionem proximam peccandi, qualis eſt allocutio cum amaſio de præteritis affectibus ſecundùm carnem: quod ſanè intelligendum eſt, etiamſi decem aurei fuerint implicati in beneficium Monaſterii, cum mens, & voluntas Superioriſſæ nunquam præſumatur eſſe ad malum ullius Monialis, etſi ex eodem malo reſultet aliquod bonum ipſi Monaſterio, juxta illam regulam: *non ſunt facienda mala, ut adveniant bona*; ideòque, nulla præſumpta voluntate Abbatiſsæ, Monialis ad theſim vocata peccaret tripliciter, nimirum contra Obedientiam, Paupertatem, & Caſtitatem, & quidem graviter, attenta materia gravi, prout clariſſimè patet.

Ad ſecundum ſimiliter ſatisfit, negando ratiocinium, tanquam falſo ſuppoſito innixum; ſupponitur enim ibi aliqua licentia Abbatiſsæ, ad hoc, ut Monialis poſſit accipere illos decem aureos ad favorem Monaſterii; & hoc eſt falſum, quia cum nullo modo præſumi poſſit licentia Superioriſsæ in Moniali ad accipienda dona cum offenſione Dei, quamvis temporaliter utilia Monaſterio, ut in facta hypotheſi; hinc eſt, quòd Monialis noſtra accipiendo illos aureos à ſui amaſio inter colloquia turpia tripliciter peccaret, hoc eſt, contra tria Vota Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis: ad illud autem, quod ultimò addebatur, Votum Paupertatis nimirum fuiſse ad non ſibi aliquid acquirendum, non autem ad non acquirendum

ali-

Digitized by Google

aliquid Monaſterio, Reſpondetur; Votum Paupertatis fuiſse non ſolùm ad non ſibi, ſed etiam nec ipſi Monaſterio acquirendum ſinè licentia Superiorisſæ: in caſu autem propoſito nulla præſumitur licentia in Moniali, ut accipiat, & acquirat modo ſuperiùs explicato illos aureos, nec ſibi, nec ſui Monaſterio.

Monialis excipiens viſitationem nobilis Matronæ ad januam Monaſterii, ſedendo tenet ambos pedes extra januam clauſuræ; Janitrices autem Monaſterii illam redarguunt de violata clauſura, illa verò ſuſtinens oppoſitum recurrit ad Confeſſarium in ſui defenſam.

Deſideratur Judicium Confeſſarii pro ſedanda hujuſmodi controverſia.

RESOLUTIO XXXXI.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, præfatam Monialem violaſſe Clauſuram;*
2 *Quia ſicuti quis diceretur intra clauſuram, ſi ambobus pedibus ſtaret intra clauſuram, ita ab oppoſito Monialis &c.*
3 *Sicuti etiam Arbor habens radices in prædio A., & ramos extenſos in prædium B., dicitur eſſe extra prædium B., ita à pari &c.*
4 *Inſuper habens ambos pedes extra clauſuram cenſetur cum toto corpore extra clauſuram (ut deducitur ex* Donato*) ergo violat ipſam clauſuram.*
5 *In contrarium tamen reſolvo,*
6 *Quia ad violationem clauſuræ requiritur in noſtro caſu egreſſus totius corporis ab eadem clauſura.*

7 *Quan-*

Digitized by Google

7 *Quandoquidem requiritur actus completus, qualis non eſt ſuprapoſitus; ſedendo enim, ut dicebatur, majori parte ſui corporis reperitur intra clauſuram.*

8 *Quam ſententiam colligimus ab ipſo* Donato, *&* P. *immo à* Sanchez Tambur., *&* aliis;

9 *Verum tamen eſt, quòd hujuſmodi Monialis admonenda, & corrigenda foret à Confeſſario, ut tollantur abuſus excipiendi ad januas viſitationes perſonarum utriuſque ſexus, & non raró cujuslibet conditionis.*

10 *Satisfit primo objecto, negando illius antecedens, & paritates.*

11 *Altero autem objecto ſatisfit, dicendo, quòd ſemper ſtat, Monialem noſtram non fuiſſe egreſſam à clauſura ſecundùm totam ſui perſonam, ac proinde actum fuiſſe integrum, & completum:*

12 *Quod ſufficit ad probandum, Monialem non violaſſe clauſuram.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem in facta hypotheſi violaſſe clauſuram, quia utriuſque pedis poſitio extra limites clauſuræ producit hoc, quòd Monialis
2 cenſeatur eſſe extra clauſuram, non ſecus ac quis diceretur intra clauſuram, ſi duobus pedibus ſtaret intra ipſam
3 clauſuram; quandoquidem ſicuti Arbor plantata extra confinia alicujus prædii, quamvis habeat ramos ſuos extenſos intra ipſum prædium cenſetur nihilominus eſſe extra idem prædium, ita in noſtra hypotheſi Monialis habens, veluti Planta radices ſuas, hoc eſt pedes poſitos extra limites clauſuræ Monaſterii, etſi ramos, brachia nempe, caput, & reliquas partes corporis habeat, ſedendo, ut ſupra, intra limites versùs clauſuram intimam Monaſterio, reputanda eſt extra clauſuram, & propterea redarguenda per Janitrices cuſtodes clauſuræ de violatione ipſius clauſuræ.
4 Præterea cum clauſura intelligatur violata à Moniali per egreſſum, quando Monialis rationabiliter dicatur eſſe extra clauſuram ſecundùm totum ſui corpus, inde eſt, quòd præfa-

ta

ta Monialis ſedens ad januam Monaſterii cum pedibus extenſis ultra, & extra limites clauſuræ versùs ſpatium, ad quod licitè, & liberè accedunt laici, cenſeatur eſse extra clauſuram, quia habens utrumque pedem extra clauſuram intelligitur eſſe extra ipſam ſecundùm totum ſui corpus: quandoquidem, inquit *Donatus de clau. Monial. violata per egreſſum tract. 4. quæſt. 24. nu. 2.*, Moniales non cenſentur violare clauſuram, quæ de clauſura exeunt medio corpore; hoc eſt uno pede poſito cum medietate corporis extra terminum clauſuræ, altero pede cum altera medietate corporis remanente intra clauſuram, eò quòd actus ut ſubſit pęnis, & dicatur qualis prætenditur eſſe, debet eſſe perfectus, & complètus; ergo à contrario Monialis habens non unum dumtaxat, ſed unum & alterum pedem extra clauſuram, ut in caſu noſtro contingit, cenſenda eſt eſſe ſecundùm totum ſui corpus extra limites clauſuræ, & ſic in propoſito caſu eſſe locū Monialibus janitricibus ad illam ſeriò redarguendam, veluti violatricem clauſuræ per egreſſum.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvitur, Monialem ſedentem ad januam Monaſterii, etiamſi teneat ambos pedes extra limites clauſuræ; dummodo teneat reliquas partes corporis intra clauſuram, revera non violare clauſuram, & ratio potiſſima eſt, quia ad violationem clauſuræ per egreſſum requiritur,
6 quòd Monialis egrediatur à clauſura ita, & taliter, ut cum tota perſona revera ſit egreſſa à limite ipſius clauſuræ, & uſque ad, versùs ſpatium ad quod poſſunt laici accedere. Quandoquidem requiritur actus egreſſionis completus: hujuſmodi au-
7 tem actus in hypotheſi facta non eſſet completus, quia Monialis, ſedendo ad oſtium Monaſterii, quamvis habeat ambos pedes poſitos extra limites clauſuræ; ſedens tamen ſupra ſedem, quæ reperitur tota intra clauſuram, ipſa Monialis invenitur ſecundùm majorem partem corporis ſui intra clauſuram; quod ſufficit ad dicendum, ipſam non violare clauſuram, juxta illam regulam ſuperiùs tactam, quòd requiratur actus

com-

completus, egreſſio ſcilicet ipſius Monialis completa, quæ tamen non verificatur, cum Monialis, ſedendo ſupra ſedem ſitam intra clauſuram, licèt habeat pedes poſitos extra terminum clauſuræ, adhuc ſit pro majori parte corporis ſui intra clauſuram, & per conſequens non ſit violatrix clauſuræ, ut
8 docent *Donatus cit. quæſt. 28. nu. 5. & P. de Clauſur. Monial. cap. 5. ſect. 2. quæſ. 36. nu. 73.* Rem exemplificat *citatus Donatus* ſic: ſi Monialis ſtans verè toto corpore intra clauſuram ad oſtium Monaſterii ibi extenderet manus, vel brachia extra limites clauſuræ cauſa tangendi manũ Matri, aut Sorori ſuæ, vel etiam emitteret foras caput ad oſcula earumdem, non diceretur violatrix clauſuræ, quia hujuſmodi actus reſpectu perſonæ non eſt plena, & completa; ſed ſemiplena, & imperfecta, quatenus ipſa Monialis adhuc eſſet intra clauſuram ſecundùm ſui perſonam, ſimiliter diſcurrendum eſt in noſtra hypotheſi, ubi conſideranti Monialem ſedentem ſupra ſedem ſitam intra clauſuram clariſſimè apparet, illam eſſe cum toto corpore in clauſura, licèt ſit ſecundùm pedes extra limites ejuſdem; quandoquidem violatio clauſuræ ſupponit egreſſum completum, & perfectum ejuſdem, hoc eſt ſecundùm totam ſui perſonam: ut docent *graviſſimi Canoniſtæ*, quos refert *Donatus cit. loc. cit. quæſt. 24.*, *Sanchez* nempe *lib. 6. Decalog. cap. 16. nu. 70. in fine. Tareda Dominicanus tom. 1. Controverſ. lib. 2. tract. 1. controv. 14. dub. 1. nu. 9. Diana part. 5. tract. 5. de parvit. mat. Reſol. 2. §. Sed hæc in fine, Portell. in dub. verb. clauſ. Monial. nu. 25. & Tambur. de jure Abbatiſs. diſp. 19. quæſt. 4. nu. 1.* referens opinionem aliorum, *Naldi* nempe, & *Graffii verb. clauſ. nu. 1. unà cum Merolla diffic. 7. nu. 50.*, ſuper primo caſu ex quatuordecim ibi propoſitis, in quibus dubitari poteſt, Monialem violare clauſuram per egreſſum: inquit, Monialem ambobus pedibus ſe transferentem ad januam clauſuræ limites terminantem, concludit affirmativè; ſubaddens, hoc intelligendum eſſe, ſi Monialis toto corpore egrediatur; ſi verò non egrediatur toto corpore, & ma-

Digitized by Google

& majori corporis parte remaneret intra ſepta, pede, vel pedibus tantùm exiret, non violaret clauſuram, quia vetitam actionem non abſolveret, & non eſſet perfecta actio tranſgreſſio-
9 nis: ex quibus omnibus Confeſſarius conſultus à præfata Moniali, quamvis non debeat condemnare in data hypotheſi Monialem de violata clauſura, habet in promptu motiva rationabilia ad illam redarguendam unà cum Monialibus Janitricibus pro ſedanda controverſia, & ad compeſcendos bellos humores, qui aliquando inveniuntur, etiam intra clauſtra Monialium, apud quas eſt abuſus excipiendi viſitationes perſonarum utriuſque ſexus cujuſvis gradus, & conditionis ad januas Monaſterii contra ordinationes ſuorum Superiorum.

10 Ad primum igitur reſpondetur, negando antecedens, tanquam diametraliter oppoſitum Reſolutioni; & ſimiliter ſatisfit, negando paritatem adductam, cum contrariorum ſit eadem diſciplina, ideòque ſicuti dicimus, Monialem ſedentem ſuper ſedem ſitam intra clauſuram ad oſtium Monaſterii, quamvis habeat unum, & alterum pedem extra limites clauſuræ, revera non frangere clauſuram per egreſſum; ita, cum proportione loquendo, illam non violat per ingreſſum ſæcularis ſedens extra limites clauſuræ, etiamſi teneat utrumque pedem intra limites clauſuræ ad januam Monaſterii: ad ſimilitudinem de Arbore plantata extra confinia prædii &c. dico, hujuſmodi arborem cenſeri extra prædium, etiamſi extendat ramos ſuos uſque ad intra prædium, quia attenditur Solum, in quo eſt plantata, & conſiderantur radices unà cum fundo, tanquam quid unum, rami autem non attenduntur, niſi ut quid frondoſum evolans per aerem, de cæterò ipſi rami cenſentur eſſe extra prædium; de facto enim fructus, frondeſque totius arboris ſunt domini prædii, in quo arbor eſt plantata, eò quòd dominus arboris eſt dominus etiam ramorum, & fructuum, quos idem Dominus colligit, tanquam ſuos: & hinc eſt, quòd Arbor in totum cenſeatur eſſe totaliter extra præ-

dium; ſecus autem de Moniali in caſu propoſito, non enim poteſt dici tota extra ſepta clauſuræ, licèt habeat pedes extra ipſam clauſuram, ideòque nequit dici, quòd revera frangat clauſuram per egreſsum, quia, ut Monialis dicatur violatrix clauſuræ per egreſſum, requiritur, quòd ſit egreſſa totaliter à clauſura, & actio tranſgreſſionis ſit perfecta, & completa.

11 Ad ſecundum, dato, quòd Monialis egreſsa ſecundùm totam ſui perſonam à limitibus clauſuræ cenſeatur violaſse clauſuram, negatur in data hypotheſi eſſe ſecundùm totum ſui corpus extra clauſuram, & conſequenter, ipſam violaſſe clauſuram; Monialis enim ſedens ſuper ſedem ſitam intra clauſuram ſtatim intelligitur eſse intra clauſuram ſecundùm caput, buſtum, brachia, & reliquas partes corporis ſui, quamvis teneat pedes, & crura extra limites clauſuræ, & hoc ſufficit, ad illam defendendam à reatu violationis clauſuræ per egreſsum: quandoquidem ad hujuſmodi violationem requiritur tota, & integra egreſſio totius perſonæ à limitibus clauſuræ, quod tamen non verificatur de Moniali ſedente, ut ſu-
12 pra ad januam Monaſterii; & hinc evincitur, ipſam Monialem in data hypotheſi non eſse redarguendam à Janitricibus Monaſterii de violata clauſura, & Confeſsarium pro ſui prudentia ſedare poſse controverſiam earum, excuſando ex una parte Monialem à violatione clauſuræ, & ex alia illam ſeriò monere, ut advertat in poſterum in excipiendis viſitationibus illas excipiat ad crates, vel ſi pro quālitate perſonæ eſset neceſſitata illam excipere ad januam Monaſterii, ibi maneat ita, & taliter intra ſepta clauſuræ, ut ne quid minimum agere videatur contra perfectionem clauſuræ, ad quam obligata tenetur aſpirare ad ſui perfectionem, & in ædificationem proximi ſui intus, & extra Monaſterium.

Monia-

Digitized by Google

Monialis Prælato ſuo viſitanti cellas Monaſterii occultavit nonnullas res, quas acquiſierat de licentia alterius Superioris, & dein aliquo remorſu conſcientiæ tacta conſulit ſui Confeſſarium; an potuerit hoc facere licitè.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXXII.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, hujuſmodi Monialem licitè ſe gerere, occultando illas res Prælato viſitanti,*

2 *Quia quæ licitè ſemel retenta fuerunt, ſemper licitè retineri poſſunt palam, & occultè:*

3 *Præterea non fecit injuriam Prælato viſitanti, quia ſupponitur prædita licentia alterius Superioris.*

4 *Hiſce minimè obſtantibus, reſolvitur cum hac advertentia:*

5 *Interrogatur Monialis; an occultaverit eas res, quia timebat ſibi auferendas, quod noluiſſet: an occultaverit, quia verebatur reprehendi à Superiore.*

6 *Si primum, peccavit contra Votum Paupertatis, quia non eſt parata abdicare à ſe cuncta, quæ habet;*

7 *Si ſecundum, poterit aliquantulùm excuſari, quia licentia ei data ab alio Superiore non ſupponitur indefinitè conceſſa:*

8 *Juxta quam diſtinctionem reſpondetur ad primum, & ad ſecundum.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, præfatam Monialem poſſe occultare illas res, quas de licentia prædeceſsoris
2 Prælati acquiſivit, quia ſemel licitè retenta ad ſui uſum, cen-

ſentur ſemper licitè retineri poſse ab eadem Moniali palam, & occultè, prout ſibi bene viſum fuerit; quare Confeſsarius in contingentia facti poſset reſpondere, & quidem rectè pro quiete conſcientiæ Monialis, licitè feciſse in occultandis illis rebus Prælato moderno viſitanti ſui cellam.

3 Præterea Monialis, occultando illas res in Viſitatione habita per modernum ſui Prælatum, uſa eſt facultate ſibi attributa per prædeceſsorem, quæ fuit, ut ſupponitur, ſinè obligatione illas ipſas res manifeſtandi novo Superiori; utens autem jure ſuo non fecit injuriam huic novo Prælato viſitanti, juxta illam Regulam; *Qui utitur jure ſuo nemini facit injuriam*, & per conſequens eadem Monialis debet deponere omne dubium in contrarium, & firmiter tenere, ſe potuiſse licitè occultare prædicta, ne viderentur à Prælato viſitatore.

4 His tamen non obſtantibus, Reſolvendum cenſeo cum ſequenti cautela, nimirum interrogandam eſse Monialem per
5 Confeſsarium; an ipſa occultaverit illas res in actuali Viſitatione, quia timebat, ſibi auferendas eſse à Prælato Viſitatore, quod tamen ipſa noluiſset: an verò occultaverit ex quadam verecundia, ne reprehenderetur ab eodem Prælato in
6 Viſitatione; & ſic, ſi occultavit, quia timebat, ut ſuperiùs dictum fuit, Confeſsarius deberet reſpondere Moniali, ſe geſſiſſe illicitè contra Votum Paupertatis, eò quòd quælibet perſona clauſtralis hujuſmodi Voto adſtricta tenetur eſse parata abdicare à ſe omnia, prorſus, quæ habet ad ſui uſum quandocunque maluerit Superiori: Monialis autem occultans illas res, ne ſibi auferantur à Prælato Viſitatore, manifeſtat apertè, ſe non eſse paratam ad hoc; immo manifeſtat, ſe habere animum contrarium, & proprietarium, quatenus illas occultat, ne illis privari poſſit ad nutum Superioris; quod revera eſt, quantùm eſt ex parte ſui, ponere verum impedimentum, ne poſſint ſibi ipſi auferri à Superiore; & hoc facere eſt facere contra Votum Paupertatis, de ratione cujus eſt excludere

omnem

omnem, & quemcumque actum independentem à voluntate Superioris, qualis eſset hujuſmodi occultatio rerum facta per
7 Monialem in data hypotheſi. Si autem Monialis reſponderet, ſe occultaſſe illas res ex verecundia, & ne fortè reprehenderetur à Prælato Viſitatore, tunc Confeſſarius poſſet illam aliquantulùm excuſare, attenta ejus puſillanimitate, utpote debilioris ſexus, non tamen palpare, approbando poſitivè occultationem, tanquam licitè factam, cum hæc ſit in ſe contraria perfectioni Voti Paupertatis, ad quam tenentur aſpirare clauſtrales profeſſi: illam, inquam, poterit excuſare ab omni culpa, dummodo Monialis ſincerè fateatur, ſe occultaſſe illas res præcisè, & tantùm ad vitandam confuſionem, in quam timebat incidere, ſi Prælatus ipſam reprehendiſſet, aut res ipſas abſtuliſſet in actuali viſitatione, & de cætero ſe habuiſſe, & habere animum paratum illas ipſas res abdicare à ſe ad omnẽ nutum ejuſdem Prælati; tunc enim quoad ſubſtantiam nihil egiſſet contra Votum Paupertatis, concludunt *Tambur. de Jure Abbatiſs. diſp. 9. quæſt. 3. nu. 6. Mendoza 9. 8. poſt concl. 4.*, *Sanchez in ſumm. tom. 2. lib. 7. cap. 19. nu. 61.*, *P. cap. 4. de paupert. ſect. 1. quæſt. 19. nu. 29.* Ad quæ omnia confirmanda venit apprime doctrina *Donati loc.* ſuperiùs *cit. tract.* 15. *quæſt.* 18. *nu.* 1. *ex Lez.* 1. *p. ſum. cap. 6. nu.* 17.; licentia enim conceſsa abſolutè ſinè ulla reſtrictione temporis cum cenſeatur gratia facta, quæ non expirat, Superiore concedente mortuo, vel remoto ab officio Superioratus, *cap. ſi ſuper gratia 9. de offic. de leg. in 6. cap. Si cui 36. de præbendis in 6.*, hinc eſt, quòd præfata Monialis licitè retineat illas res, quas abſconderat, ne viſæ fuiſsent à novo Prælato in Viſitatione, quia ejus licentia jam obtenta à ſui Prælato anteceſsore non fuit ei limitata, ut ſupponitur, uſque ad novum Superiorem dumtaxat, ſed abſolutè, hoc eſt pro tempore indefinito, & ſaltem donec novus Superior tacitè, aut expreſsè illam revocaverit, quod ſolent facere novi Superiores Ordinum in Monaſteriis Regularium utriuſque ſexus,

ubi

Digitized by Google

ubi non adeſt vera, & perfecta vita communis; ſolent namque imperare in principio gubernii Religioſis ſuis ſubditis, ut faciant Inventarium, quod vocant *lo Sproprio* omnium rerum, quas habent in camera ad ſui uſum conceſſas, & in hoc caſu præterita licentia Superioris præcedentis nihil ampliùs valet, nec poteſt illis ſuffragari, quia per novum juſsum, ſeu præceptum antehabita licentia intelligitur annullata.

Igitur Confeſsarius conſultus habeat ad manus hæc, & ſimilia, quæ paſſim habentur apud *Authores* pro Reſolutione habenda in contingentia facti.

8 Ad primum itaque reſpondetur affirmativè, dummodo Monialis ad hypotheſim vocata in occultando illas res habuerit animum paratum illas ipſas abdicandi à ſe ad omnem nutum Prælati Viſitatoris: ſecus verò, ſcilicet negativè, ſi non habuiſset hunc animum, immo habuiſset animum contrarium, reſiſtendi nempe voluntati Superioris, ne ſibi auferrentur.

Ad ſecundum ſimiliter reſpondetur affirmativè in facta ſuppoſitione, quòd habuerit animum paratum, ut ſupra; negativè verò in ſuppoſitione, quòd non habuiſset hunc animum: quia ratio Voti Paupertatis adſtricta eſt ſpoliata quocunque jure dominii in iis, quæ habet ad ſui uſum, habeat animum ſemper paratum illas abdicare à ſe quandocunque maluerit Superioribus ſuis.

Monia-

Digitized by Google

Monialis in Monaſterio, ubi non viget vita communis, in obitu alterius Monialis ejus Sororis carnalis de licentia ipſius Sororis ſibi appropriat Veſtes, & varia linteamina, quibus utebatur Soror ſua defuncta, poſtmodum conſulit Confeſſarium; an illa poſſit licitè retinere apud ſe ad ſui uſum.

Deſideratur Votum Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXXIII.

SUMMARIUM

1 *Videtur reſolvendum affirmativè,*
2 *Quia ſicuti Monialis defuncta, multò ante ſui obitum potuiſſet hæc donare alteri ſuæ Sorori, & iſta potuiſſet licitè retinere donum, ita potuit donum fieri à defuncta, & acceptari à ſuperſtite, ut docet* Donat.
3 *Præſertim quia in hoc Prælatus non cenſetur invitus.*
4 *Inſuper ſi ex* P. *Monialis licitè poteſt ex bonis ad ſui uſum permiſſis facere eleemoſynas, modò ſint moderatæ, & cum tacita licentia Superiorisſæ, ita &c.*
5 *Quibus non obſtantibus, reſolvendum cenſeo negativè,*
6 *Quia ſi hoc fieri non potuiſſet in vita ſinè licentia Superioriſſæ, cur poterit in morte fieri?*
7 *Saperet enim quid diſpoſitionis Teſtamentariæ;*
8 *Quare Soror defunctæ, accipienda illa Linteamina ſinè obtenta licentia à Prioriſſa, inobediens, & proprietaria dicenda foret.*
9 *Adde, quòd* Donatus *docet, Monialem uſuariam tantùm non poſſe ſinè debita licentia quicquam donare; ac proinde evincitur, alteram*

Mo

Digitized by Google

Monialem non poſſe ſibi donata retinere ſinè conſenſu Superioriſſæ.

10 *Præterea hanc doctrinam tradunt communiter* Auctores *de Regularibus utriuſque ſexus Voto Paupertatis adſtrictis*,

11 *Et eſt conformis* Decretis Sac. Cong.

12 *Ad primum negatur, abſolutè loquendo, antecedens: quia ibi* Donatus *loquitur limitatè, & Superior non cenſetur invitus.*

13 *Secus verò evincunt in noſtro caſu querimoniæ Superioriſſarum ſuper diſtractionibus veſtium &c.*

14 *Ad ſecundum, dato antecedente, quia ibi ſupponitur licentia, negatur conſequentia, quia hinc abeſſe dignoſcitur.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum affirmativè, quia ſicuti Monialis defuncta potuerat licitè illa Linteamina donare alteri Moniali Sorori ſuæ ſecundùm carnem multò ante ſui obitum, & hæc potuiſſet illa eadem licitè retinere ad ſui uſum,
2 non videtur dubitandum, illa ipſa potuiſſe licitè donari à defuncta, & illis ipſis licitè uti poſſe à Sorore ſuperſtite, cum ex una parte, ut docent apud *Donatum tom. 4. de Voto Paupertatis tract. 15. quæſt. 37. nu. 10. Fagundez præcep. 2. lib. 8. cap. 6. nu. 4. Diana 1. part. tract. 6. reſol. 37.* Religioſi ejuſdem Conventus
3 poſſint invicem dare caligas, tunicam, & libros, & ſimilia, eò quòd Prælatus non præſumitur invitus; ita in caſu noſtro Monialis defuncta potuit licitè donare ſua linteamina, & veſtes Moniali Sorori ſuæ, quia non præſumitur, quòd Superioriſſa fuerit invita, immo potiùs inclinata ad hujuſmodi donationem in conſolationem utriuſque Sororis, morientis nempe, & ſuperviventis: & ex alia parte, ſi moriens potuit licitè donare, ſupervivens potuit licitè accipere; donare enim, & accipere ſunt correlativa, inquit citatus *Donatus nu. 9. ex Card. de Lugo de Juſt. & Jure diſp. 3. nu. 164. Diana part. 3. tract. 2. reſol. 65. §. Nota quartò; & P. de Monial. cap. 4. nu.*, 57., &, utpote licitè accepta, ſimiliter illa retinere licitè.

4 Præ-

Digitized by Google

4 Præterea ſi Monialis vivens poteſt, & quidem licitè in ſententia *P. de Voto Paupertatis cap. 4. ſect. 1. quæſt. 12. nu. 19.* ubi citat *Tambur. diſput. 9. quæſt. 3. nu. 13., Dianam part. 1. tract. 6. reſol. 19., & alios*, poteſt ex bonis ad ſui uſum permiſſis facere eleemoſynas, dummodo ſint moderatæ, & de tacita licentia Superioris, ita in caſu noſtro de Moniali conſtituta in diſcrimine vitæ videtur diſcurrendum, & præcipuè quia cum dicta linteamina ad ſui uſum permiſſa donet Sorori ſuæ, veluti in eleemoſynam, ad hoc ut iiſdem utatur pro ſuis indigentiis, cum juxta conſuetudinem Monaſterii non debeat ab eodem expectare quæ ſunt neceſſaria ad veſtitum, eò quòd in ipſo Monaſterio non vigeat vita verè communis: quo ſuppoſito, ſtatim deducitur, Confeſſarium reſpondere poſſe, Monialem defunctam rationabiliter præſumpſiſſe, ſe habere tacitam licentiam Superioriſſæ ad donanda illa linteamina Sorori ſuæ, & ſimiliter Sororem ſuam ad illa retinenda pro ſui ipſius uſu ſinè ulla culpa, & præſertim quia Monaſterium nullum patiatur damnum; aut, ſi fortè patiatur, aliquod damnum, reparandum in obitu hujus alterius Sororis.

5 His tamen minimè obſtantibus, Reſolvendum puto, præfatam Monialem non potuiſſe donare licitè ſuas veſtes, linteamina, & ſimilia Moniali, quamvis Sorori ſecundùm car-
6 nem; quemadmodum enim non potuiſſet independenter à voluntate ſuæ Superiorisſæ illas res donare in vita ſua Sorori ſuæ, multò minùs poterat illas donare cauſa mortis, cum do-
7 nationes cauſa mortis ſapiant ſpeciē diſpoſitionis teſtamentariæ, & ultimæ voluntatis, cujus eſt omnimodè incapax perſona Voto Paupertatis ſolemni ligata, & propterea omni, & quolibet jure dominii ſpoliata; & conſequenter Monialis ejus Soror non poteſt ſinè licentia Superiorisſæ illas res ad ſui uſum
8 retinere, ſicuti non poterat illas ipſas independenter à Superioriſſa recipere, cum hujuſmodi actus, accipiendi nempe, & retinendi, reputentur communiter actus dominii, & proprie-

Digitized by Google

tatis, prout docet *Donatus cum aliis tom. 4. tact. 151. quaſt. 37. nu. 1.*, & *nos ipſi* notavimus *alibi in hac ſecunda Parte*.

Præterquamquod ſcripſit in rem noſtram *idem Donatus*
9 *loc. cit. ex Azor. 1. part. Inſt. Moral. lib. 12. cap. 11. quaſt. 7.*, perſona Religioſa, quæ non poteſt eſſe uſufructuaria, ſed tantùm uſuaria, hoc eſt habens uſum facti tantùm pro ſe, non poteſt alteri donare rem, cujus habet uſum dumtaxat ſinè licentia Superioris: ideòque Monialis in caſu noſtro cum acceperit linteamina, & veſtes à Moniali ſorore ſua illicitè, hoc eſt ſinè ulla licentia, inde ſequitur, illas res non poſſe retinere licitè ad ſui uſum independenter à voluntate ſuæ Superioriſſæ; & hoc totum poteſt confirmari ex eo, quod communiter docent *Auctores* de Regularibus utriuſque ſexus Voto Paupertatis
10 adſtrictis, hoſce nempe non poſſe diſponere diſpoticè independenter à voluntate Superiorum de rebus ad uſum ſibi conceſſis, & præcipuè in morte, cum nequeant diſponere de bonis Monaſterii, veluti ſunt omnia ſupellectilia cellæ ſuæ non & veſtes, linteamina, & ſimilia, ſuper quibus totum, & plenum dominium privativè quoad omnes, & ſingulas perſonas Religioſas unicè ſpectat ad Monaſterium, juxta vulgatam Regulam: *quidquid eſt Monachi eſt Monaſterii*: eout ſi aliqua ex illis alienentur, ut ſupra in noſtra hypotheſi, neſciente Superioriſſa, reputentur injuſtè ablata eidem Monaſterio, & ſic eſſent furta peccaminoſa ad menſuram materiæ gravis, aut levis ablatæ, ideòque ſemper illicita graviter, aut leviter.

Inſuper ad uberiorem doctrinam ſubaddi poteſt, quòd ſicuti Monialis, cujus officium eſt diſtribuere Monialibus amicis, quàm aliis, animo illas gratificandi, ſimiliter defuncta Monialis non potuit propria authoritate donare illas res Sorori ſuæ propter eamdem rationem, ex defectu nempe dominii, quod non habebat ſupra res ipſas, quarum uſum facti dumtaxat habuerat pro ſe tantùm, & non ultra ad illum poſſe transferre in tertiam perſonam, prout habetur apud *P. de pauper-*

Digitized by Google

pertate cap. 4. *ſect.* 1. *quæſt.* 14. *nu.* 22. *ex Suarez tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 15. *nu.* 9. 10.

11 Hucuſque dicta conformia ſunt *Decretis Sac. Cong.* 26. *Janu.* 1604., *&* 10. *Aprilis* 1615. Declaravit enim *Sac. Cong.* facultatem diſponendi de propriis cellis poſt mortem nulli Monialium concedendam, ſed eas dum vacaverint arbitrio Superiorum aliis Monialibus in ordine ſenioribus diſtribuendas, ut notavit *Barboſa lib.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 44. *nu.* 59. teſte *P. loc. cit.* quibus omnibus addi poteſt alia *Declaratio* meridiana luce clarior relata à *Stephano Quaranta in ſum. Bullar. verb.* Monaſteria *Monial. nu.* 16., ubi apertè dicitur, Moniales, ut in caſu, decedere revera proprietarias, ut refert *Donatus tract. de clauſura Monial. tract.* 3. *quæſt.* 5. Et ex his Confeſſarius habet in promptu reſponſionem dandam præfatæ Moniali, hoc eſt non poſſe licitè retinere linteamina, & ſimilia clandeſtinè accepta à Moniali Sorore ſua defuncta, ideòque teneri petere licentiam à Superioriſſa.

12 Ad primum igitur negatur in primis, abſolutè loquendo, antecedens, quia *Donatus* in docendo *loc. cit.* quòd Religioſi ejuſdem Conventus poſſunt invicem dare caligas, tunicam, & libros, loquitur limitatè, hoc eſt quia in his Prælatus non præſumitur invitus; in caſu autem noſtro Superiorisſa Monaſterii, ut plurimùm præſumitur invita: audivimus enim querimonias Superioriſſarum unius, vel alterius Monaſterii, in qui-
13 bus non practicatur vita communis ſuper diſtractiones, & ablationes veſtium ex lana, & lino, & aliorum mobilium è cellis Monialium defunctarum ſinè ſui licentia, & Superioriſſæ, utpote mulieres ex ſenioribus Monaſterii multùm avidæ ad diſponendum de rebus Monialium defunctarum, necnon inſiſtentes propriæ authoritati in obitu earumdem ſolent eſse valde ſollicitæ ſuper omnia, & ſingula relicta ab iiſdem defunctis, illaque diſtribuere volentes ad ſibi conciliandum amorem, ſi non omnium, & ſingularum, ſaltem plurium ex ſuis Monialibus,

Digitized by Google

bus, vel ex pretio earundem rerum, partim ſuffragia curare pro defuncta, & partim pro impenſis medicinalium, & funerum ejuſdem.

Itaque, his ſuppoſitis, ceſsat illa præſumptio, nempe quòd Superioriſſa non præſumatur invita, cum experientia doceat ex dictis in contrarium, hoc eſt expreſsè eſſe invitam: Expreſſum autem notat *Donat. loc. cit. nu.* 8. facit ceſsare præſumptum: nec poteſt dici, Superioriſsam in hypotheſi eſse irrationabiliter invitam, quia regularis diſciplina, & bonum gubernium ſpirituale, & temporale Monaſteriorum, quæcumque iſta ſint, illam obligant ad hujuſmodi poteſtatem dominativam manutenendam in viridi obſervantia, nimirum ut Moniales non diſponant authoritate propria de ſuis rebus, præcipuè in morte.

14 Ad ſecundum, dato antecedente, quia ibi ſupponitur tacita licentia ex dicto *citati P.* negatur conſequentia, quia in caſu noſtro nulla ſupponitur licentia Superioriſsæ, ut patet ex modò dictis ad primum objectum; quæ omnia ſunt intelligenda in deſtructionem hujus ſecundi, ut Confeſsarius conſultus in contingentia facti reſpondeat præfatæ Moniali, non poſse retinere licitè veſtes, linteamina, & ſimilia clandeſtinè accepta à Sorore ſua defuncta, & propterea teneri petere licentiam à ſui Superioriſsa ad illa ipſa retinenda ad ſui uſum.

Monia-

Digitized by Google

Monialis, quæ reclamavit, ſervato Juris ordine, ſuper nullitate Profeſſionis, videns ſui Ordinarium non velle agere ſui cauſam, exierat à Monaſterio, &, dimiſſo habitu Monaſterii, adierat aliam Civitatem, ubi retenta de mandato Epiſcopi illius Civitatis in domo apud Matronam honeſtam, donec idem Epiſcopus haberet oraculum *Sac. Congregationis*, eadem Monialis auctoritate propria exivit ab eadem domo, cauſa inviſendi Sanctuarium B. V. Sanctiſsimi Roſarii. Hinc dubitatum fuit; an hujuſmodi Monialis violaverit clauſuram per egreſſum à ſui Monaſterio, necnon ab eadem domo, & inciderit in aliquam pœnam.

Deſideratur nunc Reſolutio Confeſſarii Monialium.

RESOLUTIO XXXXIV.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, præfatam Monialem in contingentia facti licitè potuiſſe exire à ſui Monaſterio.*

2 *Docet hoc* Portell. & P.

3 *Et Jus naturale vindicandi ſui libertatem prævalet Juri poſitivo de ſervanda clauſura,*

4 *Quam non tenetur obſervare, cum exiſtimet, ſe non eſſe Profeſſam; ſicuti etiam Educandæ poſſunt exire à Monaſterio ſinè metu violandi clauſuram.*

Digitized by Google

5 *Præterea ſi hoc practicari poſſet pro Matrimonio carnali*, *ut docet* Donat., *multò magìs pro matrimonio Spirituali*:

6 *Quandoquidem Monialis non incurreret pœnas*, *ut ſupra*, *quia non eſt verè profeſſa*.

7 *Quæ omnia cum faveant Moniali egredienti à ſui Monaſterio*, *multò magìs favebunt eidem egredienti de Domo*.

8 *In contrarium tamen reſolvimus*,

9 *Quia Monialis cenſetur violatrix clauſuræ*, *cum in dubiis præſumendum ſit pro juſtitia Superioris*.

10 Trident. & Conſt. Pontif. *ſtant contra Monialem*.

11 *Inſuper motivum Profeſſionis invalidæ non legitimat egreſſum à clauſura*.

12 *Confirmatur paritate Regularis intentantis judicium ſuper nullitate ſuæ profeſſionis*, *qui propter hoc nullatenus poteſt dimittere Habitum*, *vel diſcedere à Religione ſinè licentia Superioris*.

13 *Præterea reclamatio fieri poteſt per interpoſitas Perſonas*,

14 *Nec recurrere poteſt ad alium Ordinarium*, *cum ſit cauſa ſpectans ad ſolum Summum Pontificem*.

15 *Conformiter ad hæc* plura *extant* Sac. Cong. Decreta.

16 *Cum autem domus loco Monaſterii aſſignata fuerit Moniali ab Epiſcopo*, *tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato*, *non eſt dubitandum*, *Monialem fore ream violationis clauſuræ*, *ſi ab ea domo exeat ſua tantùm authoritate*.

17 *Ad primum negatur antecedens*: & Declaratio *ibi allata refutatur*, *tanquam apocrifa unà cum cæteris tali declaratione fultis*.

18 *Præterea*, *dato*, *quòd valuerit in illis temporibus*, *de præſenti nullo modo ſubſiſtit*.

19 *Nec valet dicere*, *quòd Jus naturale &c. quia non ſumus in caſu*, *ubi non poſſit pati aliqua mora pro faciendo recurſu ad Papam*;

20 *Ad clauſuram verò tenetur donec declaretur non profeſſa*,

21 *Aliàs incidit in pœnas latas &c. cum non ſit conſideranda tanquam Mulier ſæcularis*, *vel Educanda*, *ut prætendebat objectum*.

22 *Ad ſecundum*, *dato*, *quòd ſit practicandum cum hujuſmodi Moniali*, *quòd*

Digitized by Google

quod aliàs cum alia; tamen licèt ob identitatem rationis poſſit extendi ad vinculum Profeſſionis, nequit autem extendi ad vinculum Clauſuræ.

23 *Exponitur ſententia* Doctorum *circa caſum adductum à* Navarr., *ex quo evincitur, Monialem non potuiſſe exire authoritate propria.*

24 *Pariformiter reſpondetur ad ultimum. Et tandem exponitur quomodo hìc Bononiæ practicatum ſit in conſimili Caſu.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, præfatam Monialem licitè potuiſſe in contingentia facti exire à ſui Monaſte-
2 rio, ut docent *Portell. Ord. S. Franciſci de Obſervantia lib. 1. caſu 9.* & *P. de clauſura Monial. quoad egreſſum cap. 5. ſect. 2. quæſt. 31. nu. 68.*, quia *Sac. Cong.* declaravit, teſte *Marzilla ad ſeſſ. 25. cap. 17. de Regular.*, hujuſmodi Monialem audiri poſſe ab Ordinario extra Monaſterium, referendo verba ejuſdem *Declarationis*, quæ ſunt iſta: *Si Monialis, aut Novitia neget, ſe eſſe Profeſſam, Ordinarius poteſt illam audire extra Monaſterium*: ex quibus verbis clarè infertur, Monialem ad theſim vocatam, non auditam à ſui Ordinario potuiſſe licitè aufugere à ſui Monaſterio, cauſa adeundi aliam Civitatem, ut audiretur ſuper prætenſa nul-
3 litate ſuæ profeſſionis ab Epiſcopo ejuſdem Civitatis. Quandoquidem jus naturale vindicandi propriam libertatem prævalet juri poſitivo de ſervanda clauſura; ideòque hujuſmodi Monialis utens jure ſuo, ad probandam nullitatem profeſſionis, rejecta à ſui Ordinario, ſi aufugiat à Monaſterio, cujus habitum induerat, cauſa adeundi alium Epiſcopum, ut audiatur, non videtur violare clauſuram per egreſſum, cum exiſti-
4 mans, ſe non eſſe Profeſſam, non teneatur ad obſervandam clauſuram, veluti Educanda, aut Mulier adulta in Monaſterio, quæ poſſunt exire ab eodem quandocunque ſibi ipſis maluerit ullo abſque reatu violationis clauſuræ.

5 Præ-

Digitized by Google

5 Præterea videtur practicandum in præſenti caſu ſuper prætenſa nullitate Profeſſionis per hanc Monialem, quod practicari ſolet, inquit *P. de Clauſur. Monial. per egreſs. cap. 5. ſect. 2. quæſt. 31. nu. 68. cum aliis cit. à Donato tom. 4. de violata clauſura tract. 4. queſt. 23. nu. 2.*, ubi citat *Navarr. lib. 2. tit. de confeſſis: conſ. 1. n. 4.* cũ Mulieribus pro matrimonio carnali, juxta *cap. 14. de Sponſal.* cum locũ non habeat conſenſus, quod majori ratione debet habere locum in matrimonio ſpirituali, hoc eſt in Profeſſione religioſa, quæ majorem exigit libertatem (ſubaddit *Navarr. loc. cit.*) non enim, inquit idem Canoniſta, eſt neceſſaria ad hoc, ut extrahatur à Monaſterio licentia Pontificia, ne violet clauſuram, incurratque pęnas indictas Monialibus
6 violantibus illam per egreſſum. Quandoquidem Monialis ad theſim vocata non incurreret pęnas, ut ſupra, quia cum hujuſmodi pęnæ indictæ ſint contra Moniales verè Profeſſas, & hujuſmodi Monialis non ſit verè Profeſſa, nec ſeipſam dicat verè Profeſsam, & revera teneat, ſe non eſse Profeſsam, eò quòd intentat judicium ſuper nullitate Profeſſionis, ſtatim deducitur, illam non incurriſse pęnas per ſui egreſsum à clauſura independenter à Superioribus, & propterea non violaſse culpabiliter clauſuram; & hæc omnia, quæ hucuſque diximus
7 in excuſationem præfatæ Monialis, hoc eſt ipſam in data hypotheſi non violaſse clauſuram, egrediendo à ſui Monaſterio, multò magis intelligenda ſunt in favorem ejuſdem, nimirum in caſu ejus egreſſionis à Domo, in qua detinebatur de mandato Epiſcopi, ad quem habuit recurſum pro intentando judicio ſuper nullitate ſuæ Profeſſionis.

8 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, prædictam Monialem, quamvis invalidè Profeſsam non poſse à ſui Monaſterio exire ſinè licentia Pontificia abſque violatione clauſuræ, & incidentia in pęnas indictas contra Moniales violatrices clauſuræ per egreſsum; & ſimiliter ipſam teneri ſervare clauſuram in Domo ſibi aſſignata tanquam Monaſterium ab Epiſcopo. Et

Digitized by Google

Et quoad primum adſunt plures rationes relatæ à *Donato loc.*
9 *cit.* In primis, inquit ipſe, in dubiis ſemper præſumendum eſt pro juſtitia Superioris, & per hanc regulam præfata Monialis ſtatim condemnanda tanquam violatrix clauſuræ per egreſſum; maximè quia ex *Conc. Trid. ſeſs. 25. cap. 5. de Regul.* habetur illud prohibens per hæc verba: *Nemini Sanctimonialium*
10 *liceat poſt Profeſſionem exire à Monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu &c.*: ad quod reducuntur *Conſtitutiones Summorum Pontificum* loquentes indiſtinctè de quibuſcumque Monialibus Profeſſis, nulla excepta, & clariſſimè per illa verba, *quocumque prætextu*, infertur; ergo Moniali non licet exire prætextu Profeſſionis invalidæ, uſquedum non fuerit dubium deciſum, juxta vulgatam Regulam; *ubi lex non diſtinguit nec nos diſtinguere debemus*. Inſuper, motivum Profeſſionis invalidæ cum non ſit ex aſſignatis à *Sanctiſs. Pio V. in*
11 *Bulla*, quæ incipit *Decori*, non poteſt reddere licitum egreſſum à clauſura, & præſertim quia non eſt ex illis aliis cauſis ſimilibus quoad identitatem rationis, quarum cognitio ſpectat ad Ordinarium, ut egreſſus à clauſura cum licentia ipſius ſit licitus necne; caſus autem, in quo ſumus, cum ſit peculiaris, pertinet ad Romanum Pontificem, ideòque Monialis exiens à clauſura ſinè licentia Papæ eſſet violatrix clauſuræ, incideretque in pęnas latas &c.: quod quidem confirmatur à paritate de viro Regulari, qui nequit intentare judicium ſuper inva-
12 liditate ſuæ profeſſionis, dimittendo habitum Ordinis, nec etiam cum habitu diſcedere ſinè licentia Superioris, per ea, quæ habentur in *Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 19.*, multò minùs Monialis poterit diſcedere à Monaſterio ſinè licentia legitima, neque deſerere clauſuram, quin ipſam violet, & præſertim cum Moniales ſtrictiùs teneantur ad obſervantiam clauſuræ ratione ſexus, ut notat *P. loc. cit. quæſt. 28. nu. 65.*, quando-
13 quidem reclamatio nullitatis fieri poteſt per interpoſitas perſonas, & moram patitur pro adeundo Summum Pontificem,

Digitized by Google

ad quem unicè, & privativè quoad omnes ipſius Papæ inferiores diſpenſare poteſt in lege clauſuræ in caſibus extraordinariis, uti ſe habet ille, de quo eſt ſermo: ubi enim agitur de nullitate Profeſſionis, etiam infra quinquennium, hiſce noſtris temporibus nequit fieri coram Ordinario, ſed tantùm co-
14 ram *Sac. Cong. Eminentiſſimorum in Urbe*, & quidem ſervato Juris ordine, juxta legem *Conc. Trid. loc. cit.*, & ſecundùm *Decre-*
15 *ta Sac. Cong. juſſu Urbani VIII. promulgata*. Conformiter ad cuncta, quæ diximus contra præfatam Monialem de violata clauſura, plura fuerunt data *Decreta à Sac. Cong.* in rem noſtram, ut in una *Avenionen. 19. Auguſti 1603.*, *Venetiis 29. April. 1616.*, & in alia *Tullen. 16. Jan. 1628.*

16 Ad ſecundam partem, dato, quòd Domus, in qua Monialis apoſtata à ſui Monaſterio detinebatur apud Matronam pro cuſtodia ejuſdem, fuerit ſibi aſſignata proviſionaliter loco Monaſterii ab Epiſcopo, ut rationabiliter ſupponi debet; non remanet locus dubitandi; an ipſa teneatur ſervare clauſuram ſibi indictam in eadem domo, ita, & taliter, ut exeundo ab eadem domo propria, & ſola ſui auctoritate, diceretur violatrix clauſuræ, quandoquidem clauſura illa fuiſſet indicta, & legitimè præſcripta à legitimo Superiore ſe gerente in contingentia facti, tanquam Delegatus Sedis Apoſtolicæ; & propterea ipſam Monialem, tanquam violatricem clauſuræ per egreſſum, incidiſse in pęnas latas per *Sacros Canones*, & *Bullas Summorum Pontificum*. His itaque reſolutis,

17 Ad primum reſpondetur, negando antecedens, tanquam diametraliter oppoſitum Reſolutioni noſtræ; & *Declarationem allatam* in adjutorium antecedentis dico, eſſe apocrypham, cum non conſtet de illius authentica, inquit *Donat. loc. cit. n. 11.*, & propterea ea omnia innixa huic prætenſæ *Declarationi*, tanquam inutilia rejiciuntur: præterquamquod etiamſi ſubſiſte-
18 ret relativè ad præterita tempora, in præſenti nullo modo ſubſiſtit, ratione *Decretorum Conc. Trid. loc. cit. & Sac. Cong. juſſu*

Urb.

Digitized by Google

Urb. VIII., quæ utpote poſteriora derogant illi priori, juxta Regulam tritam: *poſteriora derogant prioribus*: Et hinc evidenter colligitur, præfatam Monialem auctoritate propria fugientem à ſui Monaſterio, & confugientem ad aliam Civitatem pro intentando judicio ſuper nullitate ſuæ profeſſionis, fuiſſe violatricem clauſuræ per egreſſum. Nec ſuffragatur quidquam id, quod addebatur; Jus naturale nempe prævalere Juri poſitivo, quia non ſumus in caſu, in quo non poſſit pati aliquam
19 morã pro faciendo recurſu ad Papam, ad quem ſpectat cauſa judicandi ſuper nullitate Profeſſionis, & propterea Jus naturale non habet in propoſito caſu prælationem ſupra præceptum de obſervanda clauſura, quamvis præfata Monialis firmiter credat, ſe non eſſe Profeſſam: duo namque conſideranda ſunt in contingentia facti, quæ ſunt valde diverſa: Profeſſio nempe, & præceptum clauſuræ, ad quod præceptum clauſuræ Monia-
20 lis tenetur uſquedum reputatur profeſſa: quod verificatur; donec non fuerit declarata non Profeſſa per Sententiam Judicis competentis, ideòque cum Monialis noſtra aufugerit à ſui Monaſterio ante Sententiam ſuper nullitate prætenſa de ſua Profeſſione, fuit revera violatrix clauſuræ, & ſic incidit in pœnas latas &c.: non enim conſideranda eſt Monialis dicta, veluti mulier ſecularis, aut tanquam puella educanda, ut patet, & conſequenter diverſimodè judicanda, hoc eſt tanquam rea violatæ clauſuræ per egreſſum.

22 Ad ſecundum, dato, quòd ſit practicandum cum hujuſmodi Moniali quod aliàs fuit practicatum, cum alia Moniali: attendendum eſt, docet hic *Donatus loc. cit.*, quòd licèt *cap. de Sponſal.* poſſit ob identitatem rationis, hoc eſt propter libertatem, quæ requiritur ad præſtandum conſenſum pro contrahendo Matrimonio, & pro facienda Profeſſione, poſſit, inquam, extendi ad ligamen, & vinculum Profeſſionis; non tamen extendi poteſt ad legem clauſuræ, quia vinculum Profeſſionis, & lex clauſuræ ſunt duo valde diverſa; à diverſis

Digitized by Google

autem non ſit illatio unius ad aliud: ſicque ab hoc, quòd Monialis in contingentia facti poſſit reclamare, ſervato Juris ordine, ſuper nullitate ſuæ Profeſſionis, non poteſt inferri; ergo ipſa poteſt exire licitè à clauſura, quia Monialis poteſt, & debet intentare hujuſmodi judicium, ſervando clauſuram, eo modo, quo Moniales omnes tractant cauſas civiles Monaſterii in communi, aut etiam ſui in particulari apud Judices cum obſervantia clauſuræ.

23 Ad illud ultimum, quod addebatur ex *Navarro* reſpondent *Auctores*, ut videre eſt apud *Donatum nu.* 11. *in fine*, nimirum, Monialem ibi adductam fuiſſe priùs examinatam ad crates per Vicarium Epiſcopi, & poſtmodum extra Monaſterium ex commiſſione ſibi facta; ex quo habetur, ipſam Monialem non potuiſſe auctoritate propria exire à Monaſterio ad proponenda jura circa nullitatem ſuæ profeſſionis, quandoquidem commiſſio data Vicario, ut Monialem extraheret pro examine, probat, Monialem ipſam non potuiſſe à ſe ipſa exire abſque culpa, & violatione clauſuræ.

24 Demum ad ultimum contra ſecundam partem Reſolutionis ſatisfit eodem modo, quia ſemel dato, quòd domus Matronæ fuerit aſſignata Moniali ab Epiſcopo loci loco Monaſterii, militat eadem ratio, ut aliàs diximus in *alia Reſol. hujus ſecundæ Partis*. Sic practicatum fuit hìc Bononiæ, ut diximus ſupra: Monialis namque alterius Civitatis non longè diſtantis ab hac habitu mentito huc perventa, hìcque ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo detenta, tanquam profuga à ſui Monaſterio, ex prætenſa nullitate ſuæ profeſſionis, circa quam non erat audita (ut aſſerebat ipſa) collocata fuit in domo apud honeſtam Matronam eidem aſſignata loco Monaſterii, in qua religioſiſſimè ſervavit clauſuram, donec, adveniente *Oraculo Sanctiſſimi CLEMENTIS XI.*, reaſſumpto Habitu ſui Ordinis; & per *me auctoritate Apoſtolica mihi demandata* privatim abſoluta à cenſura, in quam inciderat ob violationem clauſuræ per

egreſ-

egreſſum, tranſlata fuit ad unum ex his Monaſteriis, ubi dicens jura ſua ſuper invaliditate ſuæ Profeſſionis apud Judicem competentem, &, cognita ejus Profeſſione invalida juridicè, vigore *Brevis Apoſtolici* dimiſsa fuit, ut libera poſſet redire in Civitatem, & Domum ſuam.

Monialis Profeſſa graviſsimè dubitans, an fuerit Baptizata ſe fecerat Rebaptizare ab alia Moniali clandeſtinè; quod, ut ſolet contingere de ſecretis Monialium, cum factum fuerit publicum ab ipſis Monialibus, hoc eſt à Baptizata, & à Baptizante, dedit occaſionem dubitandi poſtea de validitate Profeſsionis Rebaptizatæ, & conſultus fuit Confeſſarius pro Reſolutione; itaque

Deſideratur Reſolutio à Confeſſario.

RESOLUTIO XXXXV.

SUMMARIUM

1 *Monialis Rebaptizata non videtur teneri ad reiterandam Profeſſionem,*
2 *Quia non eſt dubitandum de validitate ſuæ Profeſſionis;*
3 *Maximè cum dubium de Baptiſmo nullam habeat connexionem cum dubio de validitate Profeſſionis:*
4 *Præterea, dubitavit quidem de Baptiſmo, minimè verò de Profeſſione;*
5 *Quare iſta non erit reiteranda, cum jam emiſsa Profeſſio ſtet pro va-*

va-

Digitized by Google

validitate ejuſdem: & non conſtet evidenter de illius nullitate.

6 *Inſuper, ſicuti conſtante Baptiſmo, Baptiſmus non poteſt reiterari, ita &c.*

7 *In contrarium tamen reſolvitur,*

8 *Quia ſicuti ad cautelam tenebatur iterare Baptiſma, ita ad cautelam tenetur iterare Profeſſionem, juxta* Decretum Sac. Cong.

9 *Nec placet Doctrina* Portelli *utpote alterata, nec concordans cum* dicto Decreto;

10 *Quandoquidem juxta* Portellum *ſuſtinentem, ab hujuſmodi Moniali iterandum eſſe Novitiatum, videtur prima Profeſſio fuiſſe invalida;*

11 *Sed hoc eſt falſum, cum verba declarationis apertiſſimè doceant, primam Profeſſionem tenere, ideòque non eſſe reiterandum Novitiatum, ſed tantummodo Profeſſionem ad cautelam.*

12 *Ad primum negatur antecedens, quia ex dubio Baptiſmi ſtatim oritur dubium Profeſſionis.*

13 *Demonſtratur neceſſaria connexio primi cum ſecundo dubio.*

14 *Ad ſecundum, dato quòd non dubitaverit de Profeſſione, non per hoc ſequitur, reiterandam non eſſe Profeſſionem.*

15 *Immo difficillimum eſt, quòd dubitaverit de principali, id eſt Baptiſmo; & non de acceſſorio, id eſt de Profeſſione.*

16 *Concludimus, dicendo, veriſſimum eſſe, quòd, conſtante de actu Profeſſionis, non debeat renovari Profeſſio; ſed hoc procedit, quando nihil ſupervenit tollens de medio ipſum actum, ut in noſtra hypotheſi.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem in contingentia facti non teneri renovare Profeſſionem, cum non remaneat locus dubitandi rationabiliter de validitate ſuæ pro-
2 feſſionis, quamvis dubitaverit, an fuerit, nec ne Baptizata; dubium namque de ſui Baptiſmo nullam connexionem habet
3 cum validitate ſuæ Profeſſionis, ita & taliter, ut, poſito dubio

bio

bio de ſubſiſtentia Baptiſmi, neceſſariò ſubſequatur dubium de validitate Profeſſionis, quandoquidem Baptiſmus, & Profeſſio religioſa ſunt duo diſparata, & nullo modo neceſſariò connexa: non enim valet hæc illatio; Monialis eſt Baptizata; ergo eſt Profeſsa: neque hæc alia, ut patet in propoſito caſu, eſt Profeſsa; ergo Baptizata, cum præfata Monialis fuerit habita ut ſolemniter Profeſsa in facie Eccleſiæ, & tamen hic, & nunc non reputetur Baptizata. Quapropter Rebaptizata, ut in hypotheſi ad theſim vocata, non videtur, ipſam debere ſui profeſſionem ampliùs renovare, juxta illam Regulam; ne videatur actum agere.

4 Præterea præfata Monialis dubitavit quidem, an fuerit Baptizata, ſed nunquam dubitavit, quòd non fecerit Profeſſionem, ideòque ſi dubitavit, & quidem rationabiliter, ſecus non erat ullo modo Rebaptizanda, juxta ea, quæ docet in hac
5 materia *Pater Giribaldus tract. 2. de Sac. Bapt. cap. 4. dub. 4. nu. 27. & ſeq. cum aliis*, de non reiterando Baptiſmo, remoto quolibet dubio ſuper validitate ſuæ profeſſionis, quatenus ſe ſemper credidit fuiſse Profeſsam, ſtatim deducitur, ipſam non debere ampliùs Profeſſionem renovare. Quandoquidem actus anteactæ profeſſionis ſtat pro actu, & poſſeſſione validitatis ejuſdem; neque enim Profeſſio religioſa reiterari ſolet in eodem Ordine, ubi non conſtat evidenter de nullitate, & invali-
6 ditate ipſius. Inſuper ad confirmandum totum ratiocinium poſset addi, quòd ſicuti, conſtante Baptiſmo, nimirum quòd quis ſit Baptizatus, non debet, nec poteſt iterum Rebaptizari, ita, conſtante Profeſſione, hoc eſt in caſu noſtro, quòd Monialis aliquando Profeſſionem ſolemniter emiſerit, non debet illam reiterare. Quandoquidem, inquit *Portellus in dub. Reg. ver. Monial. nu. 5.*, hujuſmodi Monialis ſi profeſſionem emiſit Profeſſio tenet, ita ut exire non poſſit à Religione, ut firmat *Tambur de jur. Abbatiſs. diſp. 6. quæſt. 3. nu. 4.* dicens; Monialem ad cautelam Rebaptizatam ſua Profeſſione anteacta

eſse

Digitized by Google

eſſe ligatam; ergo ſi Profeſſio in propoſito caſu tenet, & Monialis ratione illius remanet ligata, non videtur ampliùs reiteranda.

7 His tamen non obſtantibus, Reſolvo cum *Donato tom.4. tract. 12. de Profeſs. Monial. quæſt. 20. nu. 2.*, Monialem Profeſſam Rebaptizatam, ut ſupra, teneri renovare ſuam Profeſſionem; nam ſicuti, ſuppoſito gravi dubio; an fuerit Baptizata, fuit Rebaptizata ad cautelam, ita ad cautelam tenetur renovare Profeſſionem, juxta *Declarationem Sac. Cong. de Urbe*, quam refert ex dicto ejuſdem *Donati Bartol. de Vecchiis in praxi Novit. diſp. 13. dub. 1. nu. 17. ſub his verbis: Monialis, quæ emiſerat profeſſionem, & deinde probabiliter dubitans, non eſſe Baptizatam, denuo ad cautelam Baptizata fuit, profeſſione ligatur, ſed ad majorem cautelam iterum eam emittere debet, alio anno non expectato*. Ex hujuſmodi *Declaratione*, quam referunt etiam *Navar. in lucerna Regul. verb. Monial. nu. 11.* & *Tambur. de Jure Abbatiſs. diſp. 6. quæſt. 3. nu. 4.* habetur firmum fundamentum Reſolutionis anteactæ, à
9 qua, de conſilio *citati Donati*, non eſt recedendum; neque enim audiendus eſt, inquit ipſe, in rem noſtram *Portell. in dub. Regul. verb. Monial. nu. 5.*, dicens, *quòd Monialis dubitans, an eſſet Baptizata, quæ ad cautelam ſe iterum fecit Baptizare, ſi antea Profeſſionem emiſerat; profeſſio tenet, ita ut exire non poſſit, ſed tamen debet iterum Novitiatum facere anno integro, & poſtea profiteri, eò quòd ita declaraverunt Eminentiſſimi Cardinales apud Marzillum lib. 1. cap. 18.* ſubaddens, quòd hujus opinionis ſit *Lezan. part. 4. ſum. ver. Moniales nu. 14.*: Quandoquidem hæc *Declaratio* concepta ſub his terminis videtur alterata quoad onus iterum faciendi Novitiatum per annum integrum, & propterea recedendum ab ipſa; ſtante etenim illa prima Profeſſione in ſuo
11 robore, ut clarè colligitur in *utraque Declaratione* relata, per illa verba: *Profeſſione ligatur*, & ſimiliter in altera per illa alia, *Profeſſio tenet*, ſignum eſt, quòd *Sac. Cong* cenſuit, prævium Novitiatum fuiſſe ritè, & legitimè factum, cum Profeſſio facta ſi-

nè

nè prævio legitimo Novitiatu nullius ſit obligationis, juxta legem indictam à *Concilio Tridentino ſeſſ. 25. de Regul. cap. 5.*: Ex quo infertur, Monialem ad theſim vocatam teneri quidem iterum profiteri ad cautelam, juxta *Declarationem Eminentiſſimorum*, non tamen eſſe obligatam ad iterandum annum probationis, cum verior, magis integra, & nihil omnino mutata reputari debeat *Declaratio Sac. Cong.* à nobis aſſerta, claudit doctiſſimus *Donatus*, verè accuratus in ferendis *ejuſdem Sac. Cong. oraculis*.

12 Ad primum igitur negatur antecedens, quia ſemel dato dubio rationabiliter, quòd Monialis non fuerit Baptizata, ſtatim oritur dubium rationabiliter ſuper validitate Profeſſionis ejuſdem: quandoquidem dubium, quòd ipſa non fuerit ingreſſa in Eccleſiam Chriſti per januam, quæ eſt Sacramentum Baptiſmatis, produxit hoc aliud dubium, quòd non fuerit facta Sponſa Chriſti per Profeſſionem; eſt enim imperceptibile,
13 quòd Monialis reputata dubia de Baptiſmo non ſit reputanda etiam dubia de Profeſſione religioſa, cum hæc videatur eſſe tanquam aliquid conſequens ad ipſum Baptiſma, dans primum eſſe in ſtatu gratiæ: ſi dubitans ergo, an fuerit Baptizata, ad cautelam debet Rebaptizari, ex oraculo *Sac. Cong.*, ſimiliter debet iterum profiteri ad cautelam, quia, poſito dubio de Baptiſmate, oritur etiam dubium ſuper validitate Profeſſionis, quamvis Baptiſma, & Profeſſio revera ſint duo diſparata, & non neceſſariò connexa, ut optimè dicebatur ex inſubſiſtentia illius illationis, *eſt Baptizata, ergo Profeſſa*, aut vice verſa; præterquamquod ſumus in deciſis à *Sac. Cong.*, nimirum Monialem hujuſmodi Rebaptizatam ad cautelam, debere iterum profiteri ad cautelam, quæ cautelâ Monialis, iterando ſui Profeſſionem, non cenſetur actum agere abſolutè, ſed agere id, quod fortè non egit, & hoc ad tollendum omne dubium pro quiete animi ſui.

14 Ad ſecundum, dato, quòd Monialis numquam dubitave-

Digitized by Google

rit de validitate ſuæ Profeſſionis, non per hoc ſequitur, ipſam
non debere reiterare ſuam ipſam Profeſſionem, in primis,
quia, ut jam diximus, *Sac. Cong.* ſtatuit, illam debere ad cau-
telam iterum profiteri, ſicuti ad cautelam fuit Rebaptizata:
deinde gratis dicitur, præfatam Monialem numquam dubitaſ-
15 ſe de validitate ſuæ Profeſſionis. Quandoquidem enim dubi-
tans vehementer, & probabiliter de principali, hoc eſt de Ba-
ptiſmo, videtur conſonum rationi, ipſam dubitaſſe etiam de
acceſſorio, nempe de validitate ſuæ Profeſſionis, juxta illam
Regulam: *Acceſſorium ſequitur principale*, & hinc eſt, quòd ſicu-
ti Baptiſmus fuit eidem reiteratus ad cautelam, ita reiteranda
ſit Profeſſio per eandem ad ſimplicem cautelam, conformiter
ad deciſum à *Sac. Cong.* juxta *Declarationem antedictam*.

16 Ad illud autem, quod addebatur, nimirum, ceſſante actu
Profeſſionis ſolemniter emiſſæ, non debere iterum renovari,
dico, hoc eſſe verum, niſi superveniat aliquid novum emer-
gens, quaſi tollens de medio ipſum actum, ut contingeret in
facta hypotheſi; nam dubium ortum, & quidem valde proba-
bile ſuper Baptiſmo, inducit dubium ejuſdem naturæ ſuper
validitate Profeſſionis, propter ſuperiùs dicta; & hinc eſt, Pro-
feſſionem reiterandam eſſe ad cautelam, ſicuti Baptiſma fuit
eidem reiteratum ad majorem cautelam; & ſanè ſinè obliga-
tione iterandi annum Novitiatus, cum de hoc nullam fecerit
mentionem *Sac. Cong.* in *declaratione relata* pro contingentia
hujuſmodi caſus.

Monia-

Digitized by Google

Monialis Profeſſa habet in Cella ſua quædam ſupellectilia contraria primævo ſui Inſtituto. Prælatus in viſitatione Monaſterii præcipit eidem, ut amoveat illa: Monialis autem renuit obedire, dicens, ipſa mobilia eſſe juxta præſentaneam conſuetudinem Monaſterii.

Quæritur à Confeſſario Judicium pro gubernio conſcientiæ Monialis.

RESOLUTIO XXXXVI.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, prædictam Monialem poſſe in contingentia facti renuere abſque culpa mortali, aut veniali,*

2 *Quia Conſuetudo habens vim Legis illam omnino tuetur;*

3 *Quemadmodum enim contraria conſuetudo abrogare poteſt Decretum indicens clauſuram, quæ eſt materia gravis, multò magìs poterit abrogare primævam conſuetudinem circa mobilia Cellæ, quæ materia non eſt tanti ponderis:*

4 *Præterea Conſuetudo quando recipitur, & viget, conſentientibus Superioribus, habet vim Licentiæ; ac proinde juxta talem conſuetudinem Monialis licitè retinebit dicta Mobilia.*

5 *Ulteriùs poſſet dici, hujuſmodi Monialem Profeſſam fuiſſe ſub tali Inſtituto permittente, & utente hiſce mobilibus, quæ ſi ſcivisſet, in poſterum prohibenda fore, forſan non fuiſſet profeſſa in eo.*

6 *In contrarium tamen deciditur:*

7 *Ratio eſt, quia Moniales omni jure tenentur obedire Prælato ſuo in concernentibus ad perfectionem Inſtituti, ut accideret in caſu noſtro:*

8 *Neque ipſis ſuffragatur uſus, ſeu potiùs abuſus, quia nequeunt introducere Conſuetudinem vim Legis habentem;*

9 *Præſertim cum nullum privilegium Papæ ſupponatur haberi ab iſtis Monialibus, permittens ipſis uſum prædictorum Mobilium;*

10 *Quapropter, penſata qualitate materiæ, contemptus, & ſcandali, Monialis invenietur ubique culpabilis.*

11 *Quibus abunde ſatisfieri poteſt objectis in contrarium,*

12 *In quorum primo falſum eſt, clauſuram aboleri poſſe per contrariam conſuetudinem.*

13 *In ſecundo inanes ſunt excuſationes ibi adductæ in favorem Monialis.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem in contingentia facti renuere poſſe abſque ulla culpa mortali, aut veniali, quia, ſtando conſuetudini, licitè poteſt illa mobilia re-
2 tinere, juxta illam Regulam: *Conſuetudo habet vim Legis*. Quandoquidem quamvis in primævo Inſtituto forent contraria conſuetudini ejuſdem, tamen decurſu temporis, prout ferunt viciſſitudines humanæ, necnon fragilitas, & debilitas ſexus mulierum, præſertim in earum Monaſteriis, ubi non habetur ampliùs vita communis, ſicut erat in principio fundationis illorum, introducta fuit conſuetudo in contrarium, & ſic noſtra Monialis, ſtando conſuetudini de tempore ſuo, potuit ſinè ulla culpa retinere prænominata mobilia, cum antiquata, & primæva conſuetudo nullius ſit valoris hìc & nunc, extante alia conſuetudine: nam ſicuti lex lege, ita conſuetudo conſuetudine redditur caduca, ut advertit *Donatus tom. 3. Variar. Reſol. tract. 12. quaſt. 95. nu. 3. ex l. de quibus ff. de legibus l. 1. C. quæ ſit l. longa conſuetudo, Bald. in l. Moribus ff. de vulg. & pupill., & Alii ibidem*: quemadmodum enim Moniales poſſunt per contra-
3 riam conſuetudinē derogare Decretis indicentibus clauſuram, eò quòd cum Jus quodcunque humanum, ſimpliciter loquendo, poſſit abrogari, & obligatio clauſuræ Monialium ſit de Ju-
re

re humano poſitivo, & quidem Eccleſiaſtico, ut pluries diximus in *prima*, & in *hac ſecunda parte Reſol.*, inde eſt, quòd Moniales poſſint alicubi derogare præfatæ obligationi, ut docet *Sanchez* in terminis *lib.6. Mor. cap.* 15. *nu.* 4. *ex Azor. tom.* 1. *lib.* 13. *quæſt.* 1. *cum aliis*, ut advertit *P. de clauſ. cap.* 5. *ſect.* 5. *quæſt.* 14. *nu.* 22. Unde multò magis potuerunt in caſu noſtro derogare primævæ conſuetudini circa mobilia cellæ per novam conſuetudinem iutroductam, cum hujuſmodi materia, circa quam non ſit tanti ponderis, & momenti, ac ſit illa, quæ pertinet ad clauſuràm Monaſterii, quod ſanè clariſſimum eſt. Et, ſtante hac inductione, Monialis ad theſim vocata potuit licitè retinere prædicta mobilia in cella ſua, ratione conſuetudinis, cui ſtare debuerat etiam Prælatus in Viſitatione ejuſdem Monaſterii.

Præterea, ſequendo ſententiam *Tamburini de Jure Abbatiſs. diſp.* 9. *quæſ.* 3. *nu.* 26. poteſt dici, quòd ſicuti conſuetudo aliquid accipiendi, dandi, vel expendendi ſinè licentia Superio-
4 rum, quando conſuetudo eſt recepta, & viget, conſentientibus ipſis, excuſat Monialem à peccato, ſaltem regulariter, quia talis conſuetudo habet vim licentiæ, ut docet *Sanchez. lib.* 7. *in decal. cap.* 19. *nu.* 7. contra *Calderin.*, *Rimin.*, *Redoan.*, *Tapia*, *Graſſium*, quos idem *Sanchez citat ibidem*, ita in noſtra hypotheſi conſuetudo retinendi præfata mobilia in cella inducens naturam licentiæ, juxta doctrinam traditam, operatur hoc, quòd Monialis poſſit licitè retinere dicta mobilia, quatenus illa retinet cum licentia, quam ſibi vindicat à conſuetudine introducta, ſcientibus, & non contradicentibus Superio-
5 ribus præteritis à multis annis, etiam ante ingreſsum ipſius Monialis in Monaſterium, & antequam indueret habitum, quem fortè non induiſſet, ſi tempore ſuæ educationis in eodem Monaſterio non ſcivifset, & vidiſſet talia mobilia eſſe in uſu, & permiſsa in tali Monaſterio, quandoquidem puellæ in eligendo ſtatu Religioſo moventur ad electionem hujus potiùs,

Digitized by Google

tius, quàm alterius Monaſterii ex majori commodo ejuſdem, prout ſequitur in adoleſcentibus, qui moventur ad electionem unius potiùs, quàm alterius Inſtituti à magnificentia Monaſteriorum, vel habitus, juxta conſuetudinem, quam vident, & obſervant intus, & extra clauſtra Regularium in Eccleſia Dei. Ex quibus omnibus infertur, Monialem in facta hypotheſi renuentem removere à cella ſua memorata mobilia nullo modo peccare, & ſic ferendum eſſe judicium à Confeſſario pro gubernio convenientiæ Monialis.

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvendum eſt negativè, Monialem nempe in contingentia facti non poſſe reſiſtere mandato Prælati ſui Superioris ſinè aliqua culpa mortali, aut veniali, regulariter loquendo; & ratio in primis eſt, quia Præ-
7 latus habet poteſtatem imperandi omnibus, & ſingulis ſuis Monialibus in iis, quæ ſpectant ad regularem diſciplinam Inſtituti, cujus regulam ſunt profeſſæ, & propterea adſtrictæ ad illius obſervantiam, quam quidem obſervantiam practicè profiteri debent, & tenentur, obtemperando mandatis Superioris in concernentibus ad perfectionem ipſius Inſtituti. Mandatum autem Prælati in facta hypotheſi eſſet ordinatum ad perfectionem Inſtituti, quatenus indictum ad amovenda illa mobilia contraria primævo Inſtituto, ideòque Monialis videtur ſtrictè obligata, & nullo modo poſſe renuere obedire, quin incidat in aliquam culpam gravem, aut levem, attentis circumſtantiis, quibus poſitis conſurgat gravitas, ſive levitas reatus inobedientiæ; non enim conſuetudo, & uſus (qui potiùs dici debet abuſus) in contrarium ſuffragari poteſt hujuſmodi Moniali, quia Moniales non poſsunt introducere conſuetudinem, quæ apud ipſas vim Legis habeat, juxta ea, quæ docent *Bartol. conſil.* 136., *Alexander conſil.* 173. *nu.* 12., *Roland. conſ.* 5. *nu.* 74., *Tiraquell. tract. de primogenit. quæſt.* 16. *nu.* 2.,
8 *Greg. XV. deciſ.* 162. *nu.* 2., *Paſqual.* 1. *part. deciſ.* 415. *omnes citati à Donato tom.* 3. *variar. Reſol. tract.* 12. *quæſt.* 95. *nu.* 1. *& alii*

plu-

Digitized by Google

plures; cum, non habentes poteſtatem, & juriſdictionem condendi Leges, non poſſint inducere conſuetudinem per modum legis; conſuetudo enim nō habet ex ſe vim obligandi, ſed hoc habet ab eo, qui poteſt obligare; ſolùm autem qui habet juriſdictionem, & poteſtatem condendi Leges poteſt obligare, & ſtatuere, Conſuetudinem habere vim Legis; Sed communitas Mulierum, ut ſunt Moniales alicujus Monaſterii, non habent juriſdictionē, & poteſtatem condendi leges, cum de ſui natura mulier ſit ſubjecta viro, & ratione ſexus imbecillitatis exigat, ut extrinſecùs regatur, & gubernetur ab homine, juxta Divinam inſtitutionem *Geneſ. 3. ſub viro eris, & ipſe dominabitur tui*, ſequitur hinc, aſſertam conſuetudinē nullius momenti haberi, & propterea, præfatam Monialem non poſſe renuere amovere à cella ſua illa mobilia, ita mandante ſui Prelato, tanquam
9 contraria primævo Inſtituto Monaſterii; niſi obſtet aliquod privilegium Papæ, ratione cujus fuerit introducta conſuetudo illa retinendi tot, & talia mobilia in cella, quamvis contraria primævo Inſtituto, antiquo vigori nempe Inſtituti: prout contigit in pluribus Regularium Ordinibus, quorum vivendi forma auctoritate Apoſtolica fuit mitigata, ut ajunt, moderatione adhibita ſuper eorum Conſtitutiones, & Regulas ex Indulto Summorum Pontificum. De cætero præfata Monialis renuendo, ut ſupra, peccaret contra obedientiam debitam Prælato Superiori, &, reſiſtendo voluntati ejuſdem, fieret rea proprietatis juxta ea, quæ alibi *diximus alia Reſolut. hujùs ſe-*
10 *cundæ Partis*, & quidem mortaliter ratione materiæ gravis ad ratam valoris mobilium, tum etiam ratione contemptus præcepti, præſertim interveniente ſcandalo, ut ſolet contingere, apud alias Moniales, aut ſaltem venialiter, attenta parvitate materiæ mobilium, ſive data tantùm aliquali reſiſtentia in obediendo ſuo Superiori.

11 Ad primum igitur negatur antecedens, & totum ratiocinium adductum in fundamentum ejuſdem: & ratio in primis

eſt,

eſt, quia conſuetudo, de qua in præſenti, & quæ reputanda eſt potiùs corruptela, quàm Conſuetudo, de qua ſolet dici tanquam legitimè introducta, quòd habeat vim Legis, non eſt ullius valoris ad hoc, ut præfata Monialis poſſit licitè retinere illa mobilia in cella ſua contra præceptum ſibi factum à Superiore, qui ex officio in Viſitatione Monaſterii volens extirpare abuſus introductos contra primævam Inſtituti obſervantiam, eidem mandavit removere à cella ſua dicta mobilia, tanquam contraria regulari diſciplinæ: nec prodeſt dicere, antiquatam, & primævam conſuetudinem, extante alia conſuetudine in contrarium hìc, & nunc nullius eſſe momenti, & propterea Monialem vigore ultimæ conſuetudinis poſſe licitè retinere mobilia contra voluntatem Prælati, quia quamvis ratione humanarum viciſſitudinum, tum etiam ratione humanæ infirmitatis, & debilioris ſexus Moniales declinantes ab origine ſua, hoc eſt à rigore Inſtituti, & à Spiritu ferventi primarum Monialium Monaſterii deciderint in abuſus, juxta Divinum oraculum: *Qui ſpernit modica paulatim decidet*; non tamen ſequitur, licitum eſſe præfatæ Moniali retinere dicta mobilia in propoſito caſu. Quandoquidem illa Regula, *ſicuti Lex lege, ita Cōſuetudo conſuetudine redditur caduca* ad nihilum valet in præſenti, ubi conſuetudo introducta contra cōſuetudinē antiquam eſt potiùs abuſus, & corruptela morum, quàm vera conſuetudo, quæ debet eſſe cum approbatione, ſive permiſſione Legiſlatoris habentis poteſtatem abrogandi Statuta per novam Legem: in quo quidem caſu ſtat illud effatum *ſicuti Lex lege, ita Conſuetudo conſuetudine redditur caduca*, non autem in præſenti. Ad illud autem, quod addebatur; Moniales poſſe derogare per contrariam conſuetudinem *Decretis* indicentibus clauſuram, negatur propter rationem, quæ ibi adducebatur, nimi-
12 rum contra clauſuram, utpote in materia tam gravi, & tanti momenti, ſtatutam tot, tantiſque *Summorum Pontificum*, & *Conciliorum decretis* firmatam non poſſe derogari per contrariam

riam

riam conſuetudinem Monialium dumtaxat, & proptereà, ruente hujuſmodi paritate, ſtatim ruere ſuppoſitum in hypotheſi noſtra eſt neceſſe, ita, & taliter, ut Prælatus in actu Viſitationis nequeat ſtare præfatæ conſuetudini, cum ex officio debeat, & teneatur, quantùm fieri poteſt, amovere omnes abuſus contra Inſtitutum.

Ad ſecundum, dato, quòd Monialis ſit immunis ab omni peccato uſquedum Prælatus non contradicit, negatur verò, contradicente Prælato, ut in facta hypotheſi: etenim, contradicente Prælato, ceſſat præſumpta licentia deducta ex illa conſuetudine; ceſſante autem licentia, conſtat clariſſimè,
13 ipſam non poſſe licitè retinere illa mobilia, ideòque peccare, renuendo obtemperare mandatis ejuſdem ſui Superioris. Superaddita autem in excuſationem ipſius Monialis futilia ſunt, nulliuſque momenti reputanda, cum Monialis, & quæcunque perſona Regularis, cujuſcunque ſexus ſit, ratione Profeſſionis adſtricta Votis Paupertatis, & Obedientiæ teneatur, & ſit verè obligata in hujuſmodi contingentiis obedire Superioribus ſuis; & ſic, omiſſis pluribus aliis, quæ facerent ad rem noſtram, Confeſſarius conſultus habet ſatis ex his quomodo ſe gerere debeat in ferendo judicio pro bono gubernio ſui, & Monialis conſcientiæ.

Monialis ex contemptu tranſgreditur bis, aut ter Regulam, v. g. adeundi Chorum, non obligantem ſub gravi, nec ſub veniali, & nihilominus de hujuſmodi tranſgreſſione ſe accuſat in Confeſſione Sacramentali. Quæritur; an ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Deſideratur Judicium Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXXVII.

SUMMARIUM

1 *Negativè reſolvendum videtur, cum Monialis in facta hypotheſi nullo modo ſit culpabilis;*

2 *Quandoquidem tranſgreſſio Regulæ ſupponitur citra omnem culpam, ac propterea contemptus ejuſdem non erit prohibitus:*

3 *Nam ſicuti peccatum veniale nequit ex ſui natura fieri mortale, & viceverſa mortale fieri veniale, ita contemptus Regulæ non obligantis ad culpam erit ſemper ex natura ſua citra culpam.*

4 *Quibus non obſtantibus, affirmativè reſolvendum eſt,*

5 *Quia, licèt Regula non obliget ſub ulla culpa, contemptus tamen ejuſdem eſt ſemper culpabilis:*

6 *Ratio eſt, quia contemptus propriè, & poſitivè ſumptus importat voluntatem tranſgrediendi Legem, quia non vult ſubjici Legi.*

7 *Contemptus impropriè, & negativè ſumptus importat voluntatem tranſgrediendi Legem ex alia cauſa, v. g. ex concupiſcentia, ira &c., ac proinde utroque modo eſt culpabilis.*

8 *Quod totum conſolidatur doctrina* Cajetani ſuper D. Thom. 2. 2. quæſt. 186. ar. 9. ad tertium.

9 *De facto* Conſtitutiones Ordinum *nulli vinculo peccati obligantes*

Digitized by Google

tes ſui tranſgreſſores , ſemper excipiunt caſum præcepti, vel contemptus.

10 *Ad primum igitur, dato quòd tranſgreſſio Regulæ per ſe non obliget ad ullam culpam, tamen ratione malitiæ in contemptu exiſtentis evadet revera culpabilis.*

11 *Ad ſecundum negatur antecedens, quia Legislator in caſu contemptus declarat, tranſgreſſionem eſſe culpabilem,*

12 *Eo modo, quo peccatum veniale, quod eſt materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ fieri poteſt materia neceſſaria ejuſdem, tranſeundo in mortale.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, tranſgreſſionem hujuſmodi non eſſe ullo modo materiam Sacramenti Pœnitentiæ, cum non ſit ullo modo culpabilis, hoc eſt, non ſit peccatum mortale, nec veniale; Regula enim tranſgreſſa, ut ſup-
2 ponitur, non obligat ſub gravi, nec ſub levi; materia verò remota Sacramenti Pœnitentiæ ſunt ſolummodo peccata, quæ, ſi mortalia ſunt, ſunt materia neceſſaria; ſi tantùm venialia, ſunt materia ſufficiens, ut docent communiter *omnes Moraliſtæ*: Nec poteſt dici, quòd contemptus, de quo in facta hypotheſi ſit aliquo modo peccaminoſus, quia nec hic videtur prohibitus ſub gravi, aut ſub levi, ſed tantùm eodem modo, quo prohibita eſt ipſa tranſgreſſio ejuſdem Regulæ non obligantis ad culpam, unde cum tanti habeatur tranſgreſſio, quanti habetur ipſa Regula tranſgreſſa, & hæc non veniat ſub culpa, ſequitur, hujus tranſgreſſionem non eſſe, nec poſſe eſſe materiam neceſſariam, ſive ſufficientem Sacramenti Pœnitentiæ, propterea Confeſſarium in contingentia facti non debere, nec poſſe impertiri abſolutionem pro hujuſmodi tranſgreſſione dumtaxat.

Præterea contemptus Regulæ, non obligantis ad ullam culpam, non videtur poſſe fieri culpabilem; quod enim ſemel

eſt ex natura ſua tale, juxta illam Regulam *; idem manens idem*
3 *ſemper eſt idem*, non poteſt deſinere eſſe tale: quemadmodum culpa venialis nequit ex ſui natura fieri mortalis, & viceverſa mortalis nequit eſſe venialis, ita contemptus Regulæ non obligantis ad culpam, & ſic nullo modo ex natura ſua culpabilis, fieri poteſt aliquo modo culpabilis, conſequenter tranſgreſſio Regulæ non obligantis ſub culpa, etiamſi conjuncta cum aliquali contemptu, nequit eſſe materia Sacramenti Pœnitentiæ, & præſertim ſi reliquæ Moniales nullum patiantur ſcandalum, quatenus non advertant ipſam tranſgreſſionem, quæ licèt ſit ſub aliqua pęna, non tamen eſt ſub aliqua culpa, cum ex dictis Regula non obliget ſub culpa; ut ſunt Regulæ plurimorum Ordinum Regularium utriuſque ſexus, veluti ſunt *Conſtitutiones noſtræ Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli*, quæ, ſecluſis ſpectantibus ad tria vota, non obligant, ut apertè colligitur ex *cap. 1. lib. 1. earundem Conſtit. Peccati verò vel mortalis, vel venialis vinculo nemo qui contra Conſtitutiones aliquas fecerit obligetur*. Quare præfata tranſgreſſio adeundi Chorum per duas, aut tres vices, utpote non cadens ſub ulla culpa, ideòque nullo modo peccaminoſa, non poteſt eſſe materia Sacramentalis Pœnitentiæ.

4 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, tranſgreſſionem Regulæ bis, aut ter non adeundi, v. g. Chorum, etſi non ſit ſub gravi, aut levi, quatenus ex contemptu, eſſe cum culpa, ideò-
5 que inducere rationem materiæ remotæ Sacramenti Pęnitentiæ: quandoquidem contemptus ex genere ſuo, ut docet *Donatus tom. 3. de obligat. ad propriam Regulam tract. 1. quæſt. 15. nu. 1.* propriè, & poſitivè, aut etiam impropriè, & negativè
6 conſideratus importat ſemper aliquid culpabile: propriè enim, & poſitivè ſumptus in caſu noſtro eſt voluntas tranſgrediendi Legem ex hac ſola cauſa, quòd quis non vult ſubjici Legi;
7 impropriè verò, & negativè ſumptus eſt voluntas tranſgrediendi Legem ex alia cauſa, v. g. ex concupiſcentia, ira, igno-

ignorantia, aut conſuetudine, eo modo, quo omnis peccator Dei legem contemnit; ex qua doctrina clarè infertur, quòd contemptus ex genere ſuo ſit culpabilis, ideòque infertur, tranſgreſſionem Regulæ non obligantis ſub culpa affectam culpabili contemptu revera eſſe culpabilem, & conſequenter aptam eſſe pro materia remota Sacramenti Pœnitentiæ: & in confirmationem iſtius ratiocinii, quod habet fundamentum
8 in doctrina *S. Thomæ 2. 2. quæſt. 186. art. 9. ad tertium* ex *Donat. loc. cit. Caietanus* ibidem ſcripſit: *peccare ex contemptu importat duo, ſcilicet actum peccati, & cauſam peccati, v. g. nolle ire ad Chorum, ſive frangere ſilentium ex contemptu dicit duo, primò ipſum actum non eundi ad Chorum, ſive actum frangendi ſilentium; ſecundò ipſam cauſam peccati, ſcilicet ex contemptu, hoc eſt, nolle ſubjici Regulæ*: ſi ergo contemptus Legis, & Regulæ cenſentur quædam irreverentia, & injuria contra Regulam, hinc eſt, quòd ſit reputandus culpabilis, ita & taliter, ut tranſgreſſio per ipſum reddatur culpabilis, ideòque materia remota Sacramenti Pœnitentiæ; nam ſtatim ac tranſgreſſio Regulæ ſimpliciter pęnalis fit cum contemptu, illico tranſgreſſio ipſa reputatur culpabilis; & hinc eſt, quòd Conſtitutiones, & Regulæ plurimorum Ordinum regularium, quæ ſunt merè pęnales, quatenus in earum tranſgreſſione ex humana fragilitate non obligant tranſgreſſores, niſi ad aliquam pęnam, nullo autem modo ad culpam mortalem, aut venialem, ſolent expreſsè excipere contemptum earundem, volentes, & declarantes, contemptum ipſum eſse culpabilem, & peccaminoſum, quod ſanè à *noſtris Conſtitutionibus ſupra citatis* factum eſt, nam loco ſuperiùs citato, ubi habentur verba *Textus* relata, nimirum: *Peccati verò mortalis, vel venialis vinculo nemo qui contra Conſtitutiones, vel ordinationes aliquas fecerit, obligetur*: ſtatim leguntur hæc alia, hoc eſt; *niſi aliàs Votorum, vel contemptus cauſa*.

9 Quod nos in rem noſtram adnotavimus *de Regulis, & conſtitutionibus noſtris, Donatus tom. 1. de leg. in gener. tract. 1. quæſt. 32. nu. 2.*

nu. 2. ſcripſit conformiter ad hujuſmodi Reſolutionem, referendo Textum Conſtitutionũ ſui Ordinis Prædicatorum *Prolog. Conſt. textu* 4. *Ut igitur unitati, & paci totius Ordinis provideamus, volumus, & declaramus, ut Regula noſtra, & Conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, ſeu ad pęnam: niſi propter præceptum, vel contemptum:* Habetur ergo ex his, contemptum Regulæ, quamvis hæc non obliget ſub culpa, eſſe peccaminoſum, æquiparatur nempe præcepto tranſgreſso, ideòque cum tranſgreſſio præcepti eſſet materia Sacramenti Pœnitentię, ſic tranſgreſſio Regulæ cum contemptu dici debet materia ejuſdem Sacramenti.

10 Ad primum igitur: eſto, quòd tranſgreſſio Regulæ non obligantis ſub culpa nullo modo ſit peccaminoſa, ſed purè pęnalis, quatenus cadit ſub aliqua pęna, v. g. quòd Regularis, ſive Monialis ſinè juſto, & legitimo impedimento non adeundo Chorum ad Matutinũ teneatur pro prandio illius diei jejunare in pane, & aqua abſque eo quòd ullam commiſerit culpam mortalem, aut venialem, ſi trangreſsa fuiſset hujuſmodi regula ex contemptu prohibito ſub culpa, tranſgreſſio de ſe non peccaminoſa, ratione contemptus evadit verè peccaminoſa, eò quòd tranſgreſſio induat rationem peccaminoſam cum malitia contemptus de ſe peccaminoſa, ut colligitur ex ipſa exceptione, quæ fieri ſolet in Conſtitutionibus, & Regulis Clauſtralium non obligantibus ad culpam, niſi tranſgrediantur ex contemptu, quæ particula *Niſi* debet obſervari tanquam gravatoria uſque ad culpam in caſu tranſgreſſionis, ut ſupra: & hinc ſimiliter infertur, Confeſsarium non debere, nec poſse impertiri præfatæ Moniali abſolutionem Sacramentalem pro tranſgreſſione ſimplici, & nudè ſumpta, cum nudè ſumpta non ſit culpa, nec mortalis, nec venialis; poſſe autem, & debere abſolvere ſacramentaliter Monialem ſe accuſantem cum dolore de dicta tranſgreſſione ſuperinduta contemptu; prout dictum fuit in ſuppoſita contingentia facti.

11 Ad

Digitized by Google

11 Ad ſecundum negatur antecedens, quia mens, & voluntas Legiſlatoris, quæ declarat, Regulam non obligare ſub culpa in caſu tranſgreſſionis, declarat tranſgreſſionem ejuſdem Regulæ in caſu contemptus eſſe culpabilem ratione contemptus, quod eſt idem, ac dicere, contemptum eſſe injurioſum ipſi Regulæ, ideòque cadere ſub culpa, juxta illam Regulam: *propter quod unumquodque tale, & illud magis*: ſi enim tranſgreſſio Regulæ non culpabilis ſit culpabilis per contemptum, ſtatim evincitur, ipſum contemptum eſſe ſub culpa prohibitum, ideòque poſſe, & ex natura operari, quòd præfata tranſgreſſio fiat materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, eo modo, quo peccatum veniale, quod ex genere ſuo eſt materia ſufficiens

12 pro Sacramenro Pœnitentiæ, ratione alicujus circumſtantiæ fieri poteſt per accidens materia neceſsaria ejuſdem Sacramenti, tranſeundo nempe à veniali ad mortale, ut quando clauſtralis tranſgreditur rem levis momenti ſibi præceptam ſub mortali à legitimo Superiore, aut ratione conſcientiæ erroneæ, ut docent communiter *Moraliſtæ*: præterquamquod in hujuſmodi tranſgreſſionibus ſolent oriri ſcandala apud totam Communitatem in Clauſtris utriuſque ſexus, ſed præcipuè inter Moniales magìs timoratæ conſcientiæ, quæ amarè flentes inobſervantias, & tranſgreſſiones Regularum ſuarum deſumunt aliquando ſcandalum, timentes ruinam ſpiritualem ſui, & proximi, reliquarum ſcilicet Monialium.

Immi-

Iminınente electione novæ Abbatiſsæ Monaſterii Sanctæ Geltrudis, una ex Electricibus conſulit pro ſui conſcientia Confeſſarium, quærendo ab eodem; an teneatur eligere digniorem ſub peccato mortali, an verò poſsit licitè eligere dignam, poſthabita digniore.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO XXXXVIII.

SUMMARIUM

1 *COnſeſſarius videtur poſſe reſpondere Moniali, licitum eſſe eligere dignam, poſthabita digniori,*

2 *Quia hoc docet uſus, etiam in electionibus ad ſupremam Dignitatem totius Religionis apud Regulares;*

3 *Neque adeſt præceptum eligendi digniorem perſonam.*

4 *Inſuper Religioſi eſſent nimis gravati in conſcientia, & maximè Moniales:*

5 *Præterea electio perſonæ dignæ in concurſu dignioris ſuſtinetur in foro fori; ergo etiam licitè in foro Poli.*

6 *Confirmatur hoc doctrina* D. Thom., & Donat.

7 *Quibus minimè obſtantibus, in contrarium reſolvitur, unà cum* D. Thoma,

8 *Quia ſecus agendo violaretur Juſtitia diſtributiva, & commutativa;*

9 *Præterea abuterentur jure ſibi impertito à Conſtitutionibus in damnum Monaſterii.*

10 *Satisfit primo objecto, negando antecedens, & probationem ejuſdem.*

11 *Quia uſus, & conſuetudo approbant in praxi opinionem, quando non repugnant rationi, & non aliter.*

12 Ul-

Digitized by Google

12 *Ulteriùs eligere meliorem eſt de Jure Divino, & naturali.*

13 *Ad ſecundum dico, quòd forum fori ſuſtinet electiones perſonarum dignarum in concurſu digniorum, quia reſpicit tantùm earum idoneitatem,*

14 *Secundùm quam perſonæ reputantur dignæ munere ſibi collato ab Electoribus;*

15 *Horum autem eſt meliori modo conſulere Communitati, quod non verificaretur, ſi dignam eligerent, omiſſa digniori perſona:*

16 *Incommoda verò excogitata in gravamen conſcientiæ eligentium diluuntur doctrina* D. Thomæ.

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Confeſſarium conſultum in contingentia facti poſſe legitimè reſpondere, licitum eſſe Moniali eligere in Abbatiſſam Monialem dignam Abbatiſſatus, poſthabita Moniali digniore, quia praxis, & conſuetudo, ſive uſus communis apud Regulares in electionibus,
2 quæ fiunt in Capitulis ad Superioritatem, etiam ſupremam totius Religionis, docet, eligi quidèm regulariter dignos, non autem digniores; uſus autem, & conſuetudo eligendi dignos, non verò digniores probat, Monialem poſſe tuta conſcientia eligere in Abbatiſsam ſui Monaſterii Monialem idoneam tantùm, & non teneri ſub peccato mortali eligere magìs idoneam;
3 quandoquidem nullum adeſt Jus præcipiens Regularibus utriuſque ſexus, quòd in eligendis Superioribus ſuis debeant, ac teneantur ſub culpa eligere digniores, poſthabitis dignis: & ex alia parte ſi Regulares tenerentur, ut ſupra, eligere digni-
4 ores, forent nimis gravati in conſcientia, & rariſſimè poſſent ſatisfacere propriæ conſcientiæ, & præſertim Moniales, quæ, ut plurimùm, attenta earum mentis infirmitate, neſciunt diſcernere digniorem à digna: ergo, ne detur locus in hac materia ſcrupulizandi Monialibus ſuper diſquiſitione magìs, & minùs dignæ Abbatiſſatus, videtur concludendum, Monia-

Digitized by Google

lem electricem tuta conſcientia eligere poſſe ad Abbatiſsatum dignam, relicta digniore.

5 Propterea cum in contingentia facti, ut notat *Donatus tom. 1. part. 2. de electoribus tract. 4. quæſt. 25. nu. 1.*, ſecuta electione perſonæ dignæ in foro fori, ejus electio ſuſtineatur, prætermiſſa perſona digniore; hinc eruitur, electionem perſonæ dignæ, nullo habito reſpectu ad digniorem, eſſe canonicam, & propterea Moniales in caſu noſtro, eligendo in Abbatiſsam Monialem dignam, prætermiſsa digniore, non peccare mortaliter; quod enim canonizatur in foro judiciali, tanquam canonicè factum, canonizatur factum ſinè peccato, & ſervato Juris ordine, ideòque habetur, Moniales non teneri ſub peccato mortali eligere digniorem. Quandoquidem ſcripſit *Angelicus*
6 *Doctor in 2. 2. quodlib. 63. art. 2. in Reſp. ad* 3. in foro judiciali ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; ſecùs, inquit *Donatus citatus nu.* 18., omnis electio poſſet habere calumniam: & ſecundùm hoc intelligenda ſunt Jura, quæ dicunt, electionem factam de digno valere. huic opinioni favent *Syl. verb. Electio 1. quæſt.* 16., ubi ſe fundat in *cap. Cum olim cap. Cum dilecti: cap. Cum inter Canonicos de electione. Sotus de Juſtitia lib. 3. quæſt. 6. art. 2. concl. 9., Navarr. lib 5. de Simonia conſ. 81. nu. 1. & 2. & alibi, & Alii relati* ab eodem *Donato in fine quæſt. cit.*, & hæc omnia videntur adaptanda eſſe in rem noſtram, inquiunt aſſerentes, Moniales electrices novæ Abbatiſsæ non teneri ſub peccato mortali eligere digniorem, & poſſe abſque gravi culpa eligere dignam, nullo habito reſpectu ad digniorem.

7 His tamen non obſtantibus, reſolvendum eſt cum *D. Thoma* in contrarium, prout docet *quodlib. 4. art. 15., quodlib. 6. art. 9., & quodlib. 8. art. 6. & 2. 2. quæſt. 63. art. 2. in Reſp. ad tertium, & alibi*, ut videre eſt apud *Donat. loc. cit.*, ubi citat etiam plures, & quidem *graves Auctores* ſuſtinentes cum *Angelico Doctore*, Electores in foro conſcientiæ teneri ſub culpa lethali

eli-

Digitized by Google

eligere meliorem, ex multiplici ratione; & prima eſt, loquendo in rem noſtram, quia eligendo dignam, poſthabita digni-
8 ore, violaretur Juſtitia diſtributiva, & commutativa per acceptionem perſonarum, quod ex genere ſuo eſt peccatum mortale, juxta illud *Jacobi* 2. *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti*: manifeſtum eſt enim in propoſito caſu, quòd prætermittere digniorem propter minùs dignam Abbatiſſatus, ſit violatio utriuſque Juſtitiæ, diſtributivæ ſcilicet, ac commutativæ; quandoquidem Abbatiſſatus, qui, ut aliàs diximus in alia *Reſolutione bujus ſecundæ Partis*, §. *ad primum*, etſi revera non ſit vera Dignitas, & Prælatura in ſe ob defectum juriſdictionis ſpiritualis, cujus eſt incapax à Jure Divino, & humano quæcunque fœmina, reputatur nihilominus gradus honorificus, & veluti Dignitas inter Moniales, quibus præeſt, tanquam caput, ideòque reputatur idem Abbatiſſatus communiter ab omnibus Monialibus, tanquam præmium meritorum, & honor virtuoſarum, ad ſimilitudinem Dignitatis, & Beneficii Eccleſiaſtici; quare ſicuti Beneficia Eccleſiaſtica ſunt conferenda virtuoſioribus, & dignioribus, & quidem ſub gravi, ut notat *Donat. cit. nu.*4. propter potiora Jura eorum ad illa, attentis majoribus meritis, ita exigente Juſtitia diſtributiva, necnon commutativa, ſic in facta hypotheſi Abbatiſſatus reputatus apud Moniales ut præmium laborum, virtutum, & meritorum, conferri debet Moniali digniori, ne inferatur injuria Juſtitiæ diſtributivæ, aut commutativæ, quod eſt idem ac dicere, Monialem electricem ſub peccato mortali (ſumus enim in materia gravi) quatenus gravis, immo fortè graviſſima injuria infertur digniori non poſse in electione Abbatiſsæ eligere dignam, prætermiſsa digniore. Ad quæ confirmanda veniunt apprime quæ docent *Sapientiſſimi Canoniſtæ* in ordine ad electores, & proviſores Beneficiorum in Eccleſia Dei: quan-
9 doquidem jus datum Monialibus pro electione Abbatiſsæ videtur datum eiſdem à Jure, hoc eſt à ſuis Conſtitutionibus ap-

Digitized by Google

probatis à Sede Apoſtolica, ad effectum, ut omni meliori modo provideant Abbatiſsatum de Moniali, quantùm fieri poteſt, magis idonea ad bonum Monaſterii pro gubernio Spirituali, & temporali ejuſdem, & ad hoc Moniales tenentur pro conſcientia ſub gravi; cum autem eligendo dignam, prætermiſsa digniore, cognita ut tali, non providerent Abbatiſsatum de Moniali magis idonea ad bonum Monaſterii, ſequitur, hujuſmodi electricem in contingentia facti peccare mortaliter; peccaret nempe contra fidelitatem, quam ex ſuo officio debet Eccleſiæ, admittendo acceptionem perſonarum; unde *D. Hieronymus* ſcripſit in rem noſtram: *quod quidam non quærunt eos in Eccleſia columnas erigere, quos cognoſcant Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos plus ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis liniti, vel deditì, vel pro quibus majora quiſpiam rogaverit; &, ut deteriora taceam, qui, ut Clerici fierent, mulieribus, ſive muneribus impetrarunt.* Ex *Donat. loc. cit. nu.* 8., ad quem remitto lectorem pro applicatione aliarum Doctrinarum ad caſum, & Reſolutionem noſtram; & interim

10 Ad primum negatur antecedens, & probatio ejuſdem, quia uſus, & conſuetudo approbat in praxi opinionem, quando uſus, & conſuetudo non repugnat rationi, ut docet *Bannen.*

11 *in* 2. 2. *quæſt.* 63. *dub.* 3. Præterquamquod ſubaddit *cit. Donat. nu.* 15., eligere meliorem eſt de Jure Divino, & naturali, contra quod nec præſcriptio, nec uſus poteſt habere locum, inquit *Sotus lib.* 3. *de Juſt. quæſt.* 6. *art.* 2. *concl.* 9., dicens ibidem; *Quòd ubi longior fuit ejus abuſus, eò fiat delictum gravius*; ex quo habetur, Monialem electricem teneri, & quidem de Jure Divino, & naturali eligere in Abbatiſſam Monialem digniorem.

12 Ad ea verò, quæ inferebantur valde incommoda Regularibus utriuſque ſexus in electionibus ſuorum Superiorum in Capitulis ſatisfiet pro quiete conſcientiarum eorundem inferiùs ex doctrina *Angelici Doctoris*.

Ad ſecundum, quicquid ſit de foro fori, cujus judicia non

eſt

eſt noſtrum in hac materia curare, iterum negatur, Monialem electricem in foro conſcientiæ poſſe ſinè culpa gravi eligere ad Abbatiſſatum dignam, prætermiſſa digniore, quia, ut ſuperiùs adnotavimus, eligere meliorem eſt de Jure Divino, & de Jure naturali: Jus autem Divinum, & naturale prævalet Juri humano, eò ut obliget ſub gravi, & præſertim in materia gravi, veluti eſt illa, de qua in propoſito caſu.

13 Poſſet inſuper dici, electionem dignæ in Abbatiſſam, neglecta dignio e, ſuſtineri in foro fori, quia forum externum in hujuſmodi contingentiis reſpicit præcisè idoneitatem perſonæ proviſæ, ſecundùm quam reputatur digna gradus, & dignitatis illi collatæ ab electoribus, quorum conſcientia dumta-

14 xat oneratur ad eligendum magis dignum; non enim ſpectat electio ad Judices fori fori, quorum munus eſt ſuſtinere electum, dummodo ſit dignus, & idoneus, ſed pertinet unicè, & privativè ad Moniales Capitulares, quarum conſcientia

15 oneratur ſub gravi à Jure divino, & naturali, ut eligant in Abbatiſſam, quam pro ſua conſcientia judicaverint digniorem, & magìs idoneam ad bonum ſpirituale, necnon temporale Monaſterii. Per hoc tamen non ſequuntur incommoda excogi-

16 tata in fine hujus objecti contra Reſolutionem noſtram, quia *citatus S. Thomas in dicta 2. 2. quæſt. 63. art. 2. in reſpon. ad* 3. habet hæc verba relata à *Donat. cit. ibid. nu. 16.* pro conſolatione animarum:

Sed quantùm ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune, quia ſi poteſt haberi aliquis magìs idoneus erga aliquam Dignitatem, & alius præferatur, oportet, quòd hoc ſit propter aliquam cauſam, quæ quidem ſi pertineat ad negotium, quantùm ad hoc erit ille, qui eligitur, magìs idoneus; ſi verò non pertinet ad negotium id, quod conſideratur ut cauſa, erit manifeſtè acceptio perſonæ. Ex hac doctrina verè aurea conſtat, Moniales electrices novæ Abbatiſſæ debere eligere digniorem quidem, non ſimpliciter, ſed comparativè, hoc

eſt

Digitized by Google

eſt reſpectivè ad bonum commune Monaſterii, & ſic, habito reſpectu ad bonum commune Monaſterii, non eſſe ampliùs locum ſubterfugii pro excogitatis incommodis in Monialibus electricibus.

Puella educanda excipiens viſitationem Matris ſuæ ad januam Monaſterii illam admittit intra Clauſuram ſinè ulla licentia, dein aliquæ Moniales ſupervenientes, illam videntes intra ſepta Monaſterii, ipſam oſculo pacis more mulierum ſalutant, & cum eadem loquuntur de variis rebus.

Quæritur; an ſola Puella, vel ſolæ Moniales, aut Puella, & Moniales inciderint in aliquam pęnam.

RESOLUTIO XXXXIX.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Puellam incidiſſe in pęnam latam contra violantes clauſuram Sanctimonialium,*

2 *Quia fuit cauſa ingreſſus Matris ſuæ in clauſuram;*

3 *Nec ſuffragatur ei introduxiſſe Matrem ob honeſtum finem: expreſsè enim probibetur cuilibet ingredi clauſuram Monialium ſub quovis prætextu ſinè licentia, extra caſum neceſſitatis;*

4 *Immo Puella ſupponitur ſatis edocta de ſimili probibitione:*

5 *Præterea etiam illæ Moniales videntur incidiſſe in pęnam excommunicationis,*

6 *Quia*

Digitized by Google

6 *Quia ſciebant, Matrem Puellæ ingreſſam eſſe ſinè licentia, & tamen eam non ejecerunt,*

7 *Et ſalutarunt eam excommunicatam excommunicatione latæ ſententiæ:*

8 *Inſuper illam detinuerunt intra clauſuram, & propterea ceciderunt in Excommunicationem.*

9 *Quibus nequaquam obſtantibus, reſolvitur, nec Puellam, nec Moniales incidiſſe in ullam pęnam:*

10 *Non Puella, quia nullam commiſit culpam, ac proinde non incidit in pęnam.*

11 *Inſuper debet potiùs ſupponi ignorantem circa legem probibentem hujuſmodi ingreſſus illicitos;*

12 *Et, dato, quòd hoc illi conſtaret, metus reverentialis erga Matrem, eam prorſus excuſaret:*

13 *Deinde ad ipſam non pertinet excipere intra clauſuram, vel ab eadem expellere extraneos;*

14 *Sicuti etiam Moniales excuſari debent, quatenus nec fuerunt cauſa ingreſſus, illam ſalutando ingreſſam, nec confabulando cum eadem.*

15 *Quod ſufficit ad hoc, ut judicentur non comprebenſæ in* Conſtitutione Gregoriana.

16 *Qua doctrina abunde ſatisfit utrique objecto.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Puellam incidiſſe in pęnam latam contra violantes clauſuram Sanctimonialium, faciendo ingredi aliquam perſonam extraneam intra ſepta Monaſterii ſinè legitima licentia Superiorum. Quandoquidem hujuſmodi Puella, admittendo Matrem ſuam intra clau-
2 ſuram fuit cauſa ingreſsus ejuſdem Matris ſuæ, ideòque, quantùm fuit ex parte ſui, violavit clauſuram, & propterea facta rea violationis clauſuræ ſibi meruit excommunicationem latam per Summos Pontifices contra violantes clauſuram Mo-

nia-

Digitized by Google

3 nialium: nec illi ſuffragatur, quòd Matrem ſuam non admiſerit intra clauſuram ad malum finem, ſed recreationis gratia dumtaxat, quia ingreſſus hujuſmodi prohibitus eſt omnibus perſonis extraneis utriuſque ſexus ſub quovis prætextu ſinè licentia expreſſa, præterquam in caſibus neceſſariis, & etiam fortuitis, ubi non adeſt tempus adeundi Superiorem pro li-
4 centia obtinenda: tum etiam quia præfata Puella, utpote jam educanda in Monaſterio, ſupponitur habere notitiam Legis prohibentis ingreſſum ſinè licentia omnibus perſonis extraneis in Monaſterium ſub graviſſimis pęnis. Quemadmodum enim ipſa Puella ſcit, ſe non eſſe ingreſſam in Monaſterium, niſi cum licentia Superiorum, ſimiliter ſcire ſupponitur, quòd nemini liceat ingredi clauſuram Monialium abſque ulla licentia, & propterea Puella faciens ingredi matrem ſuam, quamvis non ad malum finem intra ſepta Monaſterii, graviter delinquit contra præceptum prohibens ingreſsum, ut ſupra; Ingrediens enim, & faciens ingredi ſunt ejuſdem rationis quoad culpam, & per conſequens ſub eadem pęna excommunicationis.

5 Præterea videntur Moniales illæ, quamvis nullo modo fuerint cauſa, cur fęmina, Mater educandæ ingrederetur intra ſepta Monaſterii, cum iſta non ſit ingreſsa clauſuram, videntibus ipſis, ſed in abſentia earundem, videntur, inquam, incidiſse in pœnam excommunicationis: in primis, quia illam
6 non ejecerunt à clauſura ſtatim ac illam viderunt intra clauſuram, & ſciverunt, ingreſsam fuiſse abſque legitima licentia:
7 Secundò, quia ſalutarunt ipſam latæ ſententiæ excommunicatam, quatenus ingreſsa ſinè ulla licentia, ideòque violatrix revera clauſuræ Sanctimonialium per ingreſsum prohibitum omnibus, & quibuſcumque perſonis extraneis ſub pęna ex-
8 communicationis, ut ſupra: Tertiò, quia ſalutare, confabulari, & ſimilia agere cum perſona extranea ingreſsa intra clauſuram ſinè licentia ſunt cauſa, cur perſona illicitè ingreſsa diutiùs

tiùs immoretur intra clauſuram, & propterea cum detinere perſonam extraneam intra ſepta Monialium ſinè legitima licentia prohibitum ſit ſub pęna excommunicationis, inde eſt, quòd præfatæ Moniales in contingentia facti revera inciderint in excommunicationem, eò quòd ſalutando, confabulando, & agendo ſimilia cum Matre educandæ illicitè ingreſſa illam, illicitè detinuerint intra clauſuram: & ſic tam Puella, quàm illæ Moniales in facta hypotheſi, tanquam cauſæ violatæ clauſuræ, ut ſupra, inciderunt in pęnam excommunicationis, latam contra authores violationis clauſuræ Monialium.

9 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, nec Puellam, nec præfatas Moniales in contingentia facti incidiſſe in ullam pęnam, quia revera ipſæ nequeunt condemnari de violata clauſura per ingreſſum illius mulieris. Et in primis, loquendo de Puella, Puella non incidit, cum nullam culpam commiſerit;

10 non enim incurritur pęna, ubi non committitur culpa, contra quam pęna ipſa eſt lata, juxta illam Regulam *Supplicium eſt pęna peccati*; quandoquidem Puella ex privilegio ignorantiæ Legis prohibentis admittere intra ſepta Monaſterii mulieres ex-

11 traneas, & præſertim Matrem ſuam, cui debet omne obſequium, & honorem in quacunque contingentia; unde, ratione metus reverentialis, quamvis permiſerit illam ingredi, non ta-

12 men poſitivè admiſit, nec dedit ei cauſam, ut ingrederetur illam ipſam, alliciendo, aut conſulendo ingreſſum, januam aperiendo ingreſſuræ, introducendo, & ſimilia agendo, quod quidem fuiſſet facere ingredi, ut advertunt communiter *Doctores ex Donat. tom. 4. de violata clauſu. tract. 5. quæſt. 3. nu. 1.*, & per conſequens dare manum illius ingreſſui, & ſic admittere illam intra clauſuram: præterquamquod Puella, etiamſi ſciviſset legem prohibentem mulieribus extraneis ſinè licentia ingredi ſepta Monaſterii, non per hoc, permittendo Matri ſuæ ingreſſum hujuſmodi, facta fuiſſet rea alicujus peccati, quia

13 non pertinebat ad ipſam impedire matrem ſuam, ne ingrede-

Pp retur;

retur; hoc enim ſpectabat ad Superiorisſam, ſive ad Janitrices Monaſterii ex officio, ut advertunt *Donat. loc. cit. quæſt. 9. Portell. in dub. ver. clauſ. Monach. nu. 5. Merolla tom. 1. diſp. 1. cap. 2. de volunt. 8. difficult. nu. 514. Tambur. de Jure Abatiſs. diſp. 22. quæſt. 3. dub. 1. P. de Monial. cap. 5. ſec. 3. quæſt. 3. nu. 97.*, unde clariſſimè infertur, Puellam hanc in hujuſmodi contingentia facti fuiſse immunem ab omni peccato, & per conſequens, nullam incurriſse cenſuram excommunicationis.

14 Et quoad dictas Moniales propter identitatem rationis patet, illas non incidiſſe in ullam pęnam, in primis, quia non fuerunt cauſa illiciti ingreſſus præfatæ mulieris in clauſuram, erant enim abſentes quando mulier ingreſsa fuit intra clauſuram, quandoquidem ſupervenerunt ad januam Monaſterii quando ipſa jam erat ingreſsa, & propterea nihil cooperatæ fuerunt ad ingreſsum ejuſdem, non ſecus ac plures aliæ Moniales adhuc penitus ignorantes ingreſsum ipſius. Præterquamquod earum ſalutatio, & confabulatio non poteſt dici ullo modo cauſa talis ingreſsus, ut docet *Donat. loc. cit. nu. 1. circa medium*; eſt enim imperceptibile, quòd habens jam eſse actuale, illud habeat à cauſa non exiſtente, & per conſequens in caſu noſtro, quòd ingreſsus jam ſecutus debeat ſequi per confabulationem ſubſequentem, non ſolùm quia implicat actum agere, ſed etiam quia ipſum confabulari, ſalutare, & alia ſimilia agere erga mulierem ingreſsam, quamvis poſſint ſignificare ingreſsum jam factum approbare, non poſsunt tamen ullo modo ſignificare ullam actionem poſitivam ad ingreſsum illius mulieris introductæ, & per conſequens, illas ipſas non eſse comprehenſas in *Conſtitutione Gregoriana contra*
15 *Moniales admittentes perſonas extraneas intra clauſuram*. Non eſt enim extendenda *Conſtitutio iſta*, cum ſit valde pęnalis, juxta *Regulam in 6. odioſa ſunt reſtringenda* ad caſus non expreſsos; quapropter dum reperitur lata contra ſolos permittentes, vel admittentes ad ingreſsum, non debet extendi ad ſalutantes, ſive

ſive ad confabulantes poſt ingreſsum, & præcipuè ſalutatio, & confabulatio non fuerunt cauſa illius, ne indirectè quidem, ut ex ſuperioribus eruitur: & tandem, quia de quibus hìc eſt ſermo, non ſupponuntur officiales obligatæ, nempe ex officio ad expellendam mulierem illam illicitè, & ſinè legitima licentia ingreſsam intra ſepta Monaſterii, ut advertunt omnes *Canoniſtæ* hujus ſententiæ, quod ſufficit ad excuſandas hujuſmodi Moniales ab omni culpa, & per conſequens à pęna excommunicationis latæ contra Moniales admittentes intra clauſuram perſonas extraneas ſinè legitima licentia.

Ad primum igitur negatur antecedens, & totum id, quod ſuperadditum fuit ad ipſum probandum, tanquam falsò ſuppoſitum, quia Puella nullo modo cooperata fuit ingreſsui
16 Matris ſuæ, ut clariſſimè conſtat ex dictis ad fundamentum Reſolutionis, cum nullo modo fuerit cauſa ingreſſus ejuſdem, ideòque ex parte ſui non violavit clauſuram; &, quamvis ſciverit, quòd nulla perſona extranea non pōteſt introire in ſepta Monaſterii ſinè legitima licentia Superiorum, ipſa tamen non admiſit poſitivè Matrem ſuam intra clauſuram, ſed merè negativè ſe habuit ad ejus ingreſsum propter timorem reverentialem, & honorem filialem, & per conſequens nullius peccati facta fuit rea, præterquamquod etiamſi dediſset tali modo aliquatenus manum ad ingreſſum ejuſdem, non per hoc peccaviſset, quia non ſolùm non intelligitur comprehenſa in *Conſtitutione Gregoriana* contra violantes, & permittentes violari Monialium clauſuram, ſed etiam quia non pertinebat ad ipſam impedire ingreſsum Matri ſuæ, hoc enim ex officio ſpectat ad Superioriſsas, & Janitrices, ut advertimus in fundamento Reſolutionis noſtræ. Puella ergo in contingentia facti revera immunis à peccato violationis nullo modo eſt innodata cenſura excommunicationis.

Ad ſecundum ſimiliter negatur antecedens, & inſuper quòd illæ Moniales tenerentur mulierem ingreſsam expellere

 à clau-

Digitized by Google

à clauſura, quia hujuſmodi expulſiones fieri debent à Monialibus Officialibus, quarum eſt cura introducere perſonas extraneas, ſic exigente bona diſciplina regulari, nec ipſarum eſt examinare; an hæc, vel illa ingreſſa fuerit; cum, vel ſinè licentia legitima: poſtulat enim bonus ordo in Communitatibus Regularium utriuſqne ſexus, ut nemo ſe ingerat in alienis miniſteriis, ne Domus Dei, domus pacis, fiat domus confuſionis, & Babylon, ubi nullus ordo; & hinc eſt, quòd cum non pertineat ad has Moniales privatas illam jam ingreſſam expellere à clauſura, & ignorent, cur, & quomodo; licitè ne, an illicitè ipſa intraverit, quamvis illam ſalutaverint, non per hoc dici debent excommunicatæ (quod tamen non eſt id, de quo quæritur hìc) quia *Bulla Gregoriana* non facit ullam mentionem de hoc caſu, & propterea cum non ſit juxta dictum ſuperiùs extendenda à caſu expreſſo, hoc eſt à Moniali permittente, vel admittente ad ingreſsum perſonam extraneam ſinè licentia, ad alium caſum valde diſſimilem, qualis eſt ſalutare, & confabulari cum perſona jam ingreſsa; unde Moniales ad theſim vocatæ non ſunt reputandæ incidiſſe in pęnam excommunicationis, etiamſi ſalutando, & confabulando fuerint cauſa, quòd illa mulier diutiùs immorata fuerit intra clauſuram, maximè quia de hac circumſtantia nulla fiat mentio in *dicta Bulla*, non extendenda ultra caſus expreſſos: &, his poſitis, ſatis conſtat, præfatam Puellam, necnon & illas Moniales in hypotheſi facta in nullam incidiſse pęnam latam contra violantes clauſuram Monialium, ut ſupra.

Monia-

Digitized by Google

Monialis cupiens loqui de re temporali cum Sacerdote Regulari cogitat illum procurare ab Ordinario in ſui Confeſſarium extraordinarium, animo tamen non confitendi Sacramentaliter apud ipſum. Antequam illum petat, conſulit Confeſſarium ordinarium; an hoc facere licitum ſit.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii ordinarii.

RESOLUTIO L.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, hoc eſſe illicitum Moniali,*
2 *Quia doloſè ſe gereret cum ſuo Prælato, & in materia quidem gravi;*
3 *Et eſſet cauſa, quòd Prælatus, dando illi licentiam petitam, excederet poteſtatis ſuæ terminos.*
4 *Talis dolus eſſet etiam injurioſus Regulari accedenti cum tali licentia illicita ad colloquendum;*
5 *Et ipſa Monialis loquens cum eo ſinè legitima licentia incideret in pœnam, & cenſuram latam in* Conciliis Provincialibus, *ſive* Epiſcopalibus.
6 *His non obſtantibus, contrarium defendimus,*
7 *Quia Prælati ſolent concedere hujuſmodi licentias Regularibus, etiamſi ſciant aliquando peti à Monialibus, agendi cauſa de re temporali cum eiſdem.*
8 *Quod Ego oretenus confirmatum* hoc Bonon. Vicario Monialium *audivi.*
9 *Unde videntur Prælati velle in hujuſmodi contingentiis licitos reddere acceſſus Regularium ad Moniales;* 10 *Pro-*

10 *Propterea Regularis ita licentiatus licitè poterit accedere ad colloquendum cum dicta Moniali de re temporali.*

11 *Ad primum negatur antecedens, & ſuppoſitum, quia Monialis uteretur titulo colorato licito, non vero doloſo, & injurioſo.*

12 *Ad ſecundum negatur totum ratiocinium, quia Regularis ſtatim ac eſt licentiatus ad audiendam Confeſſionem ſacramentalem Monialis, implicitè etiam habet licentiam audiendi eam in rebus temporalibus.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem in præfata hypotheſi non poſſe licitè ſibi procurare ab Ordinario Regularem in ſui Confeſſarium extraordinarium, ad effectum loquendi cum illo de negotio merè temporali dumtaxat, do-
2 losè enim ſe gereret cum ſuo Prælato, & quidem in materia gravi, ut communiter reputatur acceſſus ad Moniales, & locutio cum Monialibus; duo revera prohibita ſub graviſſimis penis à ſummis Pontificibus omnibus Regularibus. Monialis ergo ad theſim vocata non videtur licitè poſſe procurare in ſui Confeſſarium extraordinarium Regularem, quandoquidem abuteretur cum dolo auctoritate Superioris; dolus
3 autem hujuſmodi eſt valde injurioſus ipſi Prælato, cum nequeat à ſe dare licentiam Regularibus (præterquam Parentibus intra gradus præſcriptos) ad loquendum cum Monialibus, & ſic præfata Monialis eſſet cauſa, cur Prælatus excederet poteſtatem ſuam in concedendo licentiam, quam dare non poteſt: inſuper hic dolus, quo mediante Monialis impetraret Regu-
4 larem in ſui Confeſſarium extraordinarium, eſſet ſimiliter injurioſus eidem Regulari, quatenus illum faceret accedere cum licentia invalida, eò quòd eſſet licentia præter intentionem, & non volita ab eodem Prælato, qui eam concederet titulo Confeſſionis Sacramentalis, & non colloquii habendi de re merè temporali, & ſic ipſa Monialis eſſet cauſa, cur Regularis

ac-

accederet ad colloquendum ſinè ulla licentia; perinde enim ſe habet licentia præter intentionem concedentis, ac licentia invalida, & nulla.

5 Præterea præfata Monialis, loquendo cum prænominato Regulari non habente legitimam licentiam, incideret in pęnam, & cenſuram in *Conciliis Provincialibus*, ſive *Epiſcopalibus* latam vigore *Bullæ Gregorii XV.* quæ incipit: *Inſcrutabili*, & ita fuiſſe *deciſum à Sac. Congr. die 29. Jan. de anno 1633. in una Verulen.* teſtatur *Donat. tom. 4. de acceſſu ad Monial. tract. 6. quæſt. 30.*, *& Barboſa in collect. Bullar. ver. Monial.*, nec non *Tambur. de Jure Abbatiſs. diſp. 25. ad* 8. Regularis autem in contingentia facti non haberet legitimam licentiam, immo, ut adnotavimus, nullam licentiam haberet ſimpliciter ad colloquendum, cum licentia eidem Regulari fuerit expedita pro Confeſſione ſacramentali audienda, non pro colloquio habendo de re temporali cum ipſa: Hinc *Novarius in Luc. Regul. ver. Monial. nu.* 181. docuit, Moniales Regularibus ſubjectas alloquentes cum Regularibus etiam ejuſdem Ordinis licentiam legitimam non habentibus incurrere pęnas, & cenſuras memoratas ſuperiùs. Quid ergo dicendum de prædicta Moniali, quæ in caſu noſtro, utpote ſubjecta Ordinario, à quo extorſit malitiosè, & dolosè, & titulo mentito licentiam, illam alloquitur, Regularem etiam alterius Ordinis? Concludendum itaque in contingentia facti, Moniali non licere Regularem poſtulare in ſui Confeſſarium extraordinarium animo non confitendi apud ipſum ſacramentaliter, ſed præcisè illum alloquendi de negotio temporali.

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Monialem in contingentia caſus propoſiti poſse licitè poſtulare in ſui Confeſsarium extraordinarium Sacerdotem Regularem ab Ordinario, quamvis ipſa non habeat animum confitendi ſacramentaliter apud ipſum, ſed ſolùm intendat loqui cum eodem de aliquo negotio merè temporali: etenim ſolent Ordinarii ad preces hujus,

hujus, vel alterius Monialis expedire licentias Regularibus ſi-
7 bi bene viſis titulo excipiendi Confeſſionem ſacramentalem alicujus Monialis, etiamſi ſciant, Monialem Oratricem non habere animum confitendi peccata ſua, ſed præciſè intendat habere colloquium de re temporali cum eodem Regulari. Ego ipſemet audivi pluries, & pluries Vicarium Monialium
8 Bononiæ dicentem palam in Palatio Archiepiſcopali, ſe conceſſiſſe huic, & alteri Regulari licentiam adeundi hoc, vel illud Monaſterium ad audiendam Confeſſionem ſacramentalem unius, ſive alterius Monialis, licèt idem quaſi certò ſciret, Monialem hujuſmodi non velle confiteri peccata ſua eidem Regulari, ſed revera velle loqui cum eodem de rebus non pertinentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ. Igitur ſi Ordinarii ſolent expedire hujuſmodi licentias, quamvis ſciant, non ſortiri ſuum finem circa ſacramentalem Confeſſionem,
9 certè videntur Superiores in ſimilibus contingentiis velle reddere licitum acceſſum regularis ad Moniales; dato enim acceſſu legitimo, poteſt Regularis, paratus tamen, quantùm eſt ex parte ſui, audire Confeſſionem Monialis; poteſt, inquam, audire Monialem de rebus temporalibus dumtaxat, non ſecus
10 ac in caſu, quo Deputatus ad audiendas Confeſſiones omnium Monialium totius Monaſterii audiret licitè aliquam ex illis loquentem ſolùm de rebus nihil pertinentibus ad ſacramentum Pœnitentiæ, ut multoties contingere ſolet, in quo quidem caſu Monialis loquitur licitè cum Regulari, ratione illius licentiæ datæ explicitè ad audiendas Confeſſiones, & implicitè ad audiendas etiam res nullo modo ſpectantes ad ſacramentalem Confeſſionem; ita diſcurrendum in propoſito caſu, Ordinarium nempe optimè informatum de uſu Monialium in petendis hujuſmodi licentiis concedere licentiam Regulari, ut adeat Monaſterium pro audienda Moniali copulativè, hoc eſt non ſolùm ſacramentaliter, verùm etiam de aliis rebus non ſpectantibus ad ipſum Sacramentum: & propterea ſtat firmum,

Digitized by Google

mum, quòd præfata Monialis in contingentia facti licitè ſe gerat, ſicuti licitè ſe gereret Regularis, qui habens neceſſitatem loquendi cum aliqua Moniali de negotio temporali, non potens tamen accedere ad ipſam ſinè licentia *Sacræ Congregationis*, ſtante *Decreto* ejuſdem, edito de mandato *Sixti V.* 1590., & *Declaratione ipſius Sacræ Congregationis* 25. *Februarii* 1617., ſibi procuraret ab Ordinario licentiam pro audienda illius Confeſsione ſacramentali, ad effectum in tali contingentia loquendi cum ipſa: quod ſanè, inquit *P. de Monial. quoad Confeſſar. extraordinar. cap.* 10. *ſect.* 3. *ſubſect.* 2. *quæſt.* 19. *nu.* 276., poſſunt, & ſolent facere Ordinarii pro ſua prudentia in caſibus ſibi bene viſis, ut docet praxis, ex qua habetur, hoc practicari à Viris doctis, & multùm timoratis, qui deputantur tanquam Extraordinarii ad Moniales in particulari, cum quibus liberè loquuntur de negotiis, etiam non ſecuta Confeſſione ſacramentali. Diximus ſupra: *Quòd Regularis debet ex parte ſui eſſe paratus audire Confeſſionem Monialis*, ut poſſit dici deputatus in Confeſſarium extraordinarium, & per hoc ipſe poſſit loqui de temporalibus, ſecus nec titulo Confeſſarii poſſet loqui, &, ſi loqueretur cum ipſa, perinde ſe haberet ac ſi abſque licentia loqueretur, ſiquidem fraus, & dolus nemini debent patrocinari; quod tamen non eveniret, ſi Monialis non vellet confiteri, quia titulus Confeſsarii extraordinarii ex legitima Epiſcopi poteſtate ſibi datus legitimat, & operatur, quòd Regularis poſſit licitè loqui cum Moniali, & Monialis cum Regulari.

11 Ad primum igitur negatur antecedens, Reſolutioni diametraliter oppoſitum, & ſimiliter negatur ſuppoſitum ſubſequenter, quia Monialis poſtulans Regularem in ſui Confeſſarium extraordinarium cauſa loquendi de negotio temporali cum illo, utitur quidem titulo colorato, hoc eſt, pro ſui Confeſſione ſacramentali, ſed utendo hujuſmodi titulo, non agit doloſè, quia optimè ſcitur à Prælato, quòd Moniales ſolent uti

tali medio ad conſequendum ſui finem, & Superiores in hac parte non decipiuntur, ſed videntur potiùs velle decipi pro quiete ſui, & Monialium, præſertim quando Regularis vocatus in extraordinarium eſt probatæ vitæ, doctrinæ, & prudentiæ, ita ut ſperari poſſit ex ejus locutione ſpiritualis profectus in Moniali, quamvis iſtius ſermo debeat eſſe de negotio temporali tantùm; & ex his ſatisfieri poteſt ad reliqua, quæ addebantur in contrarium, nimirum in hujuſmodi contingentia facti non intervenire ullum dolum, nec ullam fraudem, cum cuncta, quæ fiunt in propoſito caſu, fiant de ſcientia, ſaltem rationabiliter præſumpta, Prælati concedentis licentiam Regulari poſtulato in extraordinarium Monialis poſtulantis.

12 Ad ſecundum ſimiliter negatur antecedens, & totum ſubſequens ratiocinium propter ſuperiùs dicta: quandoquidem præfatus Regularis haberet legitimam licentiam loquendi cum Moniali, etiam de re merè temporali; ſtatim enim ac iſte eſt deputatus in extraordinarium, intelligitur legitimè licentiatus ad colloquendum cũ ipſa, non ſolùm in miniſtrando ſacramentum Pœnitentiæ, ſi Monialis vult confiteri ſacramentaliter peccata ſua, ſed etiam extra ſacramentalem Confeſſionem, ſi Monialis non vult confiteri, & velit merè loqui de non pertinentibus ad ſacramentalem Pœnitentiam: & propterea clarè infertur, Monialem in hypotheſi nullam incurrere cenſuram, & per conſequens nihil illicitum agere, unde Confeſſarius ordinarius conſultus à Moniali, prout in propoſito caſu, deberet reſpondere præfatæ ſuæ Moniali, poſſe licitè ſibi procurare in extraordinarium Regularem præciſè ad colloquendum cum ipſo de negotio temporali ſinè animo confitendi ſacramentaliter apud ipſum.

Nobi-

Nobilis Matrona multùm dives in ultimo ſuo Teſtamento, cum quo deceſſit, reliquit Monialibus cujuſdam Monaſterii Legatum triginta millia aureorum, cum hac conditione, quòd Moniales ejuſdem Monaſterii, ubi non viget vita verè communis, amplectantur vitam communem. Moniales autem nolentes immutare ſtatum ſuum recuſarunt Legatum. Quæſitum fuit; an licitè potuerint renunciare Legatum, & onus.

Deſideratur Reſolutio à Confeſſario.

RESOLUTIO LI.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Moniales poſſe renunciare hujuſmodi Legatum,*

2 *Quia hoc eſſet imponere Monialibus onus nimis gravoſum.*

3 *De facto vita communis reputatur à Religioſis utriuſque ſexus onus importabile:*

4 *Adeò, ut ſemper reclamaverint quoties* Summi Pontifices, *tentarunt illos reſtituere in primævam vitam communem,*

5 *Donec ipſi Pontifices deſtiterunt ab inchoato opere, permittendo Regularibus proſequi juxta inductam conſuetudinem;*

6 *Præterquamquod emiſerunt profeſſionem ſinè obligatione vitæ communis, quam ſanè non emiſiſſent, vigente vita communi:*

7 *Præterea, ob conſuetudinem in contrarium, habent Moniales ſtabile jus vivendi ſecundùm illam, & recuſandi vitam communem,*

Digitized by Google

8 *Quæ non eſt de ſubſtantiâ Paupertatis religioſæ ; ac proinde &c.*
9 *In contrarium nihilominus eſt reſolvendum ,*
10 *Quia (docente* S. Anton.*) ſicuti Prælatus tenetur, quantùm poteſt, inducere ſubditos ad vitam communem, ita iſti tenentur, quantùm poſſunt, illam ampleEti .*
11 *Quod ſi commodè fieri poteſt , & renuant , contra Paupertatis Votum manifeſtè operantur;*
12 *Sed ſumus in caſu; ergo &c.*
13 *Ulteriùs Ordines Religioſorum approbâti ſunt à S. Sede Apoſtolica in ſtatu vitæ communis ,*
14 *Et Pontifices voluerunt eſse de ſubſtantia Inſtituti , & propterea de ſubſtantia Voti Paupertatis .*
15 *Ad primum negatur ſuppoſitum antecedentis, cujus falſitas latè , & clariſſimè comprobatur .*
16 *Regulares, qui reſtiterunt &c. graviſſimè peccarunt .*
17 *Et Pontifices tolerant vitam communem in Regularibus non approbativè , ſed permiſſivè .*
18 *Ad ſecundum reſpondemus : Jus Divinum ex Votis ſolemnibus ortum non poſse abrogari per ullam conſuetudinem in contrarium .*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Moniales in contingentia facti poſſe renunciare Legatum, utpote valde oneroſum ſibi ipſis. Quandoquidem Legatum conditionatum,
2 nimirum cum onere amplectendi vitam communem, quam Moniales non ſunt profeſſæ, & nunquam practicarunt ab anno Novitiatus uſque ad hæc tempora, nemo eſt, qui non cognoſcat, eſse multùm oneroſum; imponit enim onus, & quidem grave Monialibus, non ſolùm junioribus, ſed etiam, immo multò magis ſenioribus, & præſertim ditioribus ratione peculii, & annui redditus, cujus habent uſum facti, prout pluries diximus in *Reſolutionibus primæ* & *hujus Secundæ Partis*. Onus
3 vitæ communis in clauſtris ab omnibus Regularibus utriuſque

ſexus,

ſexus, qui eam non profitentur, practicè reputatur onus importabile; unde in contingentia quando Romani Pontifices voluerunt pro zelo animarum illam reſtituere Regularibus,
4 apud quos erat, & forſan ad uſque hodiernam diem ampliùs non extat, prout extabat initio Ordinum ſuorum, Regulares ipſi quaſi onerarentur indebitè ultra eorum obligationem ubique locorum conquerebantur, adeout reclamantes contra *Decreta Pontificia* edita pro reſtauranda vita communi proteſtarunt, ſe non teneri ad illam amplectendam; ſicuti de facto, permittentibus tandem Pontificibus, nondum acceptarunt:
5 Ergo Moniales in propoſito caſu poſſunt ad ſui libitum renunciare Legatum prædictum, ne ratione illius cogantur vivere in vita verè communi, quam putant, & judicant jugum nimiùm grave, & onus importabile, ad quod ferendum ſe dicunt non teneri ullo Jure, cum emiſerint ſolemnem Profeſſio-
6 nem ſinè obligatione vitæ communis, & proteſtantur, quòd non emiſiſſent, ſi Monaſterium fuiſſet in vita communi, & propterea potuerunt præfatæ Moniales dictum Legatnm, & unà cum legato onus amplectendi vitam communem.

7 Præterea, extante conſuetudine, & uſu in contrarium vitæ communis, Moniales habent jus vivendi ſecundùm conſuetudinem, & uſum inveteratum Monaſterii, cum facultate ſibi conceſſa diſponendi de peculio ad ſui commodum, honeſtum quidem, ſed ſibi ipſis beneviſum in victu, & veſtitu, nec non & in aliis rebus, prout practicatur in Monaſteriis, in quibus non obſervatur vita communis; ergo hujuſmodi Moniales recuſare poſſunt Legatum, tanquam deſtructivum conſuetudinis, & uſus Monaſterii, ne cum acceptatione Legati, ut ſupra,
8 introducatur de novo vita communis: quandoquidem vita communis non eſt de ſubſtantia Voti Paupertatis, ad quod Moniales verè tenentur; ſecus ſi vita cōmunis eſſet de ſubſtantia paupertatis Religioſæ, Profeſſio ſolemnis in Monaſterio, ubi non adeſt in praxi vita communis, eſſet nulla propter nullita-

litatem Voti Paupertatis, ex defectu vitæ communis; *bonum* etenim *ex integra cauſa, & malum ex quocunque defectu;* cum autem Profeſſio cenſeatur valida, quamvis emiſſa in Monaſterio, ubi non obſervatur vita communis, hinc eſt, hanc non eſſe de ſubſtantia Voti Paupertatis, ideòque Moniales non teneri vitā communem amplecti, & conſequenter poſſe licitè renunciare Legato triginta millia aureorum, ne cogantur vigore illius profiteri practicè vitam communem, ad quam non ſe obligaverunt in ſolemni Profeſſione, quam emiſerunt cum promiſſione vivendi ſecundùm conſuetudinem, & uſum Monaſterii, & non aliter, nec alio modo.

9 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Moniales in contingentia facti teneri acceptare præfatum Legatum, & onus amplectendi vitam communem, ſecus agendo peccarent mortaliter: & ratio eſt, quia, ut docent *S. Anton. 3. part. ſum. tit. 16. §. 11. de paupert. in fine: Syl. ver. Relig. 6. q. 7. dict. 4. citat. à Dotat. tom. 4. tract. 15. de Voto Paupertatis quæſt. 5. nu. 1.* Sicuti

10 Prælatus Regularium non eſt in bono ſtatu, ſi, in quantùm poteſt, abſque gravi ſcandalo, non nititur Religioſos in communi vivere, ac ſuperfluos uſus vitare, ſic nec ſunt in bono ſtatu Subditi reſiſtentes, non quòd nequeant ſufficienter vivere, ſed quia volunt abundare, & liberiùs diſponere, quod eſt

11 contra paupertatem, claudit *Sanchez. lib. 7. ſum. cap. 19. nu. 27.*, ita in caſu noſtro Moniales non eſsent in bono ſtatu, quandoquidem, renunciando Legatum eis relictum cum onere amplectendi vitam communem, peccarent mortaliter, quia renuerent amplecti vitam communem, ad quam tenentur ſub gravi, quandocunque Monaſterium habet redditus ſufficientes

12 ad ſuſtentandas ipſas Moniales ad formam Conſtitutionum, & Regularum Ordinis, & Inſtituti, quoad victum, veſtitum, & alia neceſſaria in communi, ſub qua Regula fundari, & approbari ſolent, & non aliter, nec alio modo Monaſteria, & Conventus Regularium utriuſque ſexus à Sancta Sede Apo-

ſto-

poſtolica: nullus etenim eſt, aut unquam fuit inſtitutus Ordo Regularium in Eccleſia Dei, & approbatus per Vicarium Chriſti Domini pro tempore, qui in ſua origine non practicaverit
13 vitam communem, ut conſtat ex *Chronicis omnium Religionum*, & debuerat eſſe in praxi, ad hoc, ut *Bullæ Pontificiæ* ſortirentur effectum ſuum, nimirum ut Religioſi profitentes Regulam approbatam viverent in communi, quatenus Voto Paupertatis adſtricti, tanquam ſinguli nihil omnino poſſiderent, quamvis in communi pro ſingulorum omnium indigentiis poſſent poſſidere ſinè ulla læſione paupertatis Religioſæ, exceptis tamen Capuccinis, & aliis Fratribus Ordinis Seraphici, nec non & aliorum Ordinum, ſi qui ſunt intra, & extra Italiam. Vita autem communis volita à Romano Pontifice, approbante Inſtitutum, eſt de ſubſtantia ejuſdem Inſtituti, prout includit tria Vota ſubſtantialia Religionis, quæ ſunt de Jure Divino, inter
14 quæ ad rem noſtram conſiderandum eſt ſpecialiter Votum Paupertatis, pertinens principaliter ad virtutem vitæ communis, unde *D. Auguſtinus in Regula Ordinis ſui*, non ſolùm poſuit præceptum vitæ communis, hoc eſt, *ſint Vobis omnia communia*; ſed etiam prohibitionem circa vitium oppoſitum, dicens: *Non dicatis aliquid proprium* ad imitationem fidelium naſcentis Eccleſiæ, de quibus habetur in Actis Apoſtolorum *cap.* 4. *Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebant aliquid ſuum eſſe dicebant*. His ergo poſitis circa Votum Paupertatis, pro cujus perfecta obſervatione videtur neceſsaria vita communis, unde Sancta Mater Eccleſia, Spiritu Sancto edocta pro reſtauranda, & in integrum reſtituenda Religioſa Paupertate, cum qua quidem eſt compatibile jus, & dominium rerum temporalium penes totam Communitatem, præſcripſit, & innovavit pro ſua auctoritate formam, & modum vivendi in communi, non ſolùm in *Specialibus Regulis Religioſorum*, ſed etiam in *Concilio Tridentino cap. 2. ſeſs. 25. de Regul.*, & inſuper *Romani Pontifices Clem. VIII. pro reform. Regul.*, & *Urban. VIII. de Apoſtat. & ejectis in ſuis Decretis*.

cretis. Moniales ergo in propoſito caſu non poſſent licitè renunciare Legatum, ex cujus fructibus Monaſterium ex una, & Moniales ex altera parte haberent alimenta ſufficientia, & ultra in vita communi, ad quam revera tenentur Moniales pro tuta conſcientia, ratione ſolemnis Profeſſionis; unde, ſi vellent renunciare, poſſent cogi à Superioribus ad illud acceptandum, & reſiſtentes eſſent valde punibiles, inquit hic *Donatus loc. cit. quaſt. 5. nu. 2.*, & ex quo punibiles, quia reæ per hoc, quòd renunciarent Legatum, & onus amplectendi vitam communem.

15 Ad primum igitur negatur ſuppoſitum antecedentis, quia tantùm abeſt, quòd vita communis ſit oneroſa, quin potiùs eſt omnibus, & ſingulis Religioſis clauſtralibus utriuſque ſexus valde ſuavis, & leviſſima, juxta illud *Chriſti Domini Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*: quod quidem eruitur: primò, quia ubi practicatur vita communis, providetur de neceſſariis, etiam iis Monialibus, quæ aliquando nullum habentes peculium ob inopiam conſanguineorum coguntur eſurire, dum aliæ pingui peculio donatæ abundant, juxta illud *Apoſtoli* 1. *ad Cor.* 11. *alius quidem eſurit: alius autem ebrius eſt*. Secundò, quia, extante vita communi, aufertur omnis occaſio fovendi amicitias, ut plurimùm, perniciosas, perſonarum etiam ſæcularium quibuſdam certis munuſculis. Tertiò, quia, florente vita communi, tolluntur innumeræ diſtractiones mentis ad parandas, & conſervandas res neceſſarias. Quartò, quia in vita communi Moniales ſibi unicè vacantes vitam magis quietam, & tranquillam ducunt ſui, & rerum ſuarum curam ſoli Deo committentes. Quintò, quia in communi vivendo meliùs ſervatur Humilitas, quatenus omnes peculio deſtitutæ mutua charitate ferventes nulla deſpiciatur ab alia, & nulla intumeſcit ſupra aliam, tanquam dives in pauperem. Et tandem, quia viventes in vera communitate veriorem vitam ſpiritualem ducunt, & ferventiores fiunt in dies apud De-

Digitized by Google

Deum, ſectantes diſciplinam regularem in omnibus exercitiis præſcriptis à *Conſtitutionibus*, *& Regulis Inſtituti*, *tanquam nihil habentes*, *& omnia poſſidentes*, prout ſcripſit *Paulus 2. ad Cor. 6.*, & memores mandatorum *Divini Sponſi* apud *Matth. 6. Nolite ſoliciti eſſe dicentes: quid manducabimus*, *aut quid bibemus*, *aut quo operiemur &c.* Ex quibus his omnibus clariſſimè conſtat, vitam communem non eſſe revera onerosam, ſed multùm levem, & propterea Moniales in contingentia facti non habere juſtum titulum renunciandi præfato Legato, immo teneri ad ejus acceptationem, ut amplectantur vitam communem, quam tenentur practicare quandocunque poſſunt provideri, prout provideretur in propoſito caſu eiſdem Monialibus totum id, quod eſt neceſſarium ad victum, veſtitum, & alias res neceſsarias juxta Conſtitutiones, & Regulas Monaſterii. Ad reliqua verò, quæ addebantur, in primis reſpondetur; Clauſtrales, qui reſtiterunt voluntati *Pontificum*, qui ad formam *Sac. Con.*
16 *Trid.* cupierunt reſtaurare vitam communem collapſam in clauſtris peccaſse graviſſimè, nec potuiſſe ſui proterviam excuſare ex conſuetudine in contrarium adducta, quia contra *Regulam* approbatam *à Sancta Sede*, prout includit tria Vota ſubſtantialia Religionis, quæ ſunt de Jure Divino, non datur locus conſuetudini, docet *Donat. loc. cit.*, etiamſi foret centenaria & immemorabilis, *Graff. 2. par. deciſ. aur. lib. 3. cap. 9. Tapia authentic. Ingreſſi. cap. 3. nu. 55. Calderin. toto conſil. de conſuetud.*, *& Alii*. Et tandem ad illud, quod addebatur; Pontifices nempe tolerare vitam non communem ſatisfit, dicendo,
17 Prælatos Religionum, & ipſos Pontifices illam tolerare non approbativè, ſed tantùm permiſſivè, ad cavendum majus malum: nota *majus malum*, quia ſtatim habes, in vita non communi adeſſe aliquod malum, & quia non adfuerunt in Monaſterii redditus ſufficientes pro vita communi. Ex his habes reſponſionem.

18 Ad ſecundum, hoc eſt, ceſsare jus illud vivendi ſecundùm

conſuetudinem, & uſum Monaſterii non viventis in vita communi, adveniente commodo vivendi in vita communi, cum contra Jus Divinum ex tribus Votis ſolemnibus ortum conſuetudo in contrarium non habeat locum; quæ conſuetudo, ut diximus, toleratur permiſſivè dumtaxat, ad evitanda majora mala, & fugienda plura ſcandala, quæ omnia tamen tollerentur de medio, ſi Moniales, & Regulares omnes vellent intelligere, quàm bonum, & jucundum ſit habitare in unum in vera vita communi, ad quam ſub gravi tenentur quando datur eis modus, & commodum illam amplectendi, & practicè profitendi.

Monialis tempore Quadrageſimæ vellet invertere tempus comeſtionis, hoc eſt, parvam refectiunculam facere de manè hora ſolita prandii aliarum Monialium, & in Veſperis eadem hora prandere; dubitans autem, an hoc ſit ſibi licitum, interrogat ſui Confeſſarium ſuper quid agendum.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO LII.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Monialem in facta hypotheſi licitè ſe gerere,*
2 *Quia hora collationis non pertinet ad ſubſtantiam jejunii;*
3 *Et licitum eſt jejunanti variare, quæ non variant ſubſtantiam Jejunii.*
4 *Ulterius Monialis non frangendo jejunium adimpleret præceptum, quo adimpleto, rea dici non poteſt.*

5 *Sed*

Digitized by Google

5 *Sed in contrarium reſolvendum eſt, quando non adeſſet legitima cauſa invertendi refectionem.*

6 *Ratio eſt, quia hora comeſtionis circa meridiem eſt præſcripta ab Eccleſia,*

7 *Quam multò magìs ſervare tenetur Monialis, utpote adſtricta non tantùm præcepto Eccleſiæ, ſed etiam Regulæ ſui Ordinis.*

8 *Adde, quòd ex hoc multum detrimentum pateretur diſciplina Regularis;*

9 *Ergo ſinè juſto motivo nequibit refectionis ſtatutum tempus invertere.*

10 *Ad primum objectum ſatisfit, negando antecedens, quia ſi inverſio horarum non eſt contra ſubſtantiam Jejunii, eſt tamen contra conſuetudinem Eccleſiæ,*

11 *Et contra obſervantiam ſuæ Regulæ;*

12 *Immo videretur hoc fieri cum contemptu:*

13 *Quæ verò variata fuerunt authoritate publica, non licet eadem variare privata authoritate.*

14 *Ad ſecundum, dato antecedente, negatur illatum, quia ſemper ſtat, Monialem ſaltem venialiter peccare, invertendo ſinè cauſa rationabili tempus ab Eccleſia præſcriptum.*

1 PRo Reſolutione videtur, Confeſſarium, in facta hypotheſi, poſſe reſpondere Moniali, ſibi licitum eſſe invertere horam collationis, & propterea, poſse ſinè ulla culpa refectiunculam ſumere de manè, & in veſperis cœnam ſolitam fieri hora meridiana; & ratio eſt, quia hora collationis non
2 pertinet ad ſubſtantiam Jejunii, ut notat *Diana in ſum. verb. Jejun. §. Quoad collationem nu. 63.*; Jejunium enim, quod eſt abſtinentia à cibis vetitis ex natura ſua, importat unicam comeſtionem, prout præcipit Eccleſia cum parva refectiuncula ex conſuetudine legitimè introducta, & ab eadem Eccleſia ubique permiſſa; quandoquidem, inquit citatus *Diana loc. cit. §.*

 nu. 9.

nu. 9. hora comeſtionis multoties fuit mutata, cum aliquando fuerit hora nona diei, & aliàs hora tertia poſt meridiem; cum autem licitum ſit jejunanti variare, ſinè ulla culpa, quæ non variant ſubſtantiam jejunii, clarè deducitur, Confeſſarium interrogatum à Moniali ad theſim vocata, poſſe reſpondere, ſibi licitum eſſe comeſtionem meridianam differre uſque ad ſerò, & ſerotinam refectiunculam anticipare in meridie ſinè ulla labe.

4 Præterea, qui jejunat, & nullo modo frangit jejunium adimplet præceptum, & in adimplendo præceptum nemo præſumitur reus contra ipſum præceptum; cum autem Monialis in propoſito caſu non frangeret jejunium, & propterea præceptum adimpleret, nullo modo cenſeretur rea alicujus culpæ, ideòque Confeſſarius rectè reſponderet eidem, dicendo, illam poſſe ad ſui beneplacitum, ſinè ulla labe, invertere meridianam comeſtionem cum ſerotina, prandendo nempe in ſerò, & ſumendo conſuetam refectiunculam in meridie.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvo in contrarium, niſi Monalis haberet legitimam cauſam invertendi refectionem, hoc eſt cauſam ſanitatis tuendæ, approbatam tamen à Medicis, vel alterum rationabile motivum, ratione ſui miniſterii, accedente licentia Superioriſſæ Monaſterii. Ratio autem Reſolutionis eſt in promptu, quia hora comeſtionis circa meridiem eſt præſcripta ab Eccleſia, & prout talis non eſt in manu jejunantis illam variare ad ſui merum beneplacitum, ſinè juſta cauſa, & præſertim in caſu noſtro, ubi agitur de Moniali, quæ
7 tenetur ad obſervantiam, non ſolùm Præcepti eccleſiaſtici, ſed etiam Regulæ ſui Ordinis conformiter ad ea, quæ præſcribuntur univerſaliter à Sancta Matre Eccleſia; cum autem ubi adeſt Lex, ſive à Jure, per conſuetudinem legitimè introducta, ſive ab homine per Statuta municipalia cujuslibet Inſtituti clauſtralis, non poſſit perſona privata ſinè juſta cauſa diſpenſare ſe ipſam ab ejus obſervantia ſinè aliqua labe, hinc evin-

Digitized by Google

evincitur, Monialem in hypotheſi noſtra non poſſe ſinè motivo rationabili invertere comeſtionem meridiamam cum ſerotina, niſi cum aliquā culpa, & præſertim propter gravia incommoda, quæ orirentur in detrimentum diſciplinæ Regularis; quandoquidem, ex hujuſmodi variatione horarum comeſtionis, præfata Monialis invertens jure cervelotico hujuſmodi horas, eſſet cauſa ſcandalorum, quæ aliquando inveniuntur ex humana fragilitate in Domo Dei; reliquæ Moniales etenim non ſolùm Profeſſæ, ſed etiam Converſæ, videntes Monialem hanc ſinè ullo rationabili motivo velle toto tempore Quadrageſimali ſumere refectionem meridianam de ſerò, mirarentur inter ſe, murmurarentque de eadem pro tali ſingularitate, tanquam de inobſervantia contra conſuetudinem Eccle-
7 ſiæ, & contra bonam diſciplinam Regularem, & propter abuſus, qui orirentur ex hoc malo exemplo; poſſent namque, ut contingit in clauſtris Regularium utriuſque ſexus, aliæ Moniales velle invertere ad ſui beneplacitum hujuſmodi horas comeſtionum, & ſic turbare ordinem plurium aliarum Regularum, circa miniſteria Profeſſarum, & Converſarum in ſuis officiis, ut conſideranti vitam Regularem clariſſimè patet; hæc autem omnia cum reſultarent in graviſſimum detrimentum ſpirituale, necnon & damnum temporale Monaſterii, Monialis cervelotica, in contingentia facti, cauſa talis, & tanti damni
9 Monaſterio ſuo, eſſet in culpa, ſi non mortali, ſaltem veniali, quandocumque non adeſset juſta cauſa invertendi, toto tempore quadrageſimali, comeſtionem meridianam cum ſerotina; unde

10 Ad primum negatur antecedens, abſolutè loquendo; nulla nempe data juſta cauſa in Moniali ad invertendas horas comeſtionum in die Jejunii, & præſertim in facta hypotheſi, durante ſcilicet toto tempore Quadrageſimæ; quia etſi non videatur hujuſmodi horarum inverſio contra ſubſtantiam jejunii, nihilominus eſset contra conſuetudinem Eccleſiaſticam, à qua,

Digitized by Google

qua, tanquam univerſaliter approbata, non licet recedere, ſinè aliqua culpa, quoties non adeſt juſta cauſa recedendi; & inſuper cum ſimus in caſu Monialis obligatæ ad obſervantiam ſuarum Regularum, inter quas habetur illa, *in diebus nempe quadrageſimalis Jejunii, ſument comeſtionem juxta conſuetudinem Eccleſiæ circa meridiem*, ſi Monialis ad ſui beneplacitum, nulla
11 ſinè juſta cauſa, vellet invertere tempus comeſtionis, videretur deſpicere, & quidem ad longum tempus, totius ſcilicet Quadrageſimæ, ordinationem Inſtituti ſui; & propterea, verificato hujuſmodi contemptu, peccaret ſaltem leviter, eò quòd quamvis Regula ipſa, ex natura ſui non ſoleat obligare
12 ſub peccato, peccatur tamen, ſi tranſgreſſio ejuſdem, qualiſcunque ſit, fiat in contemptum ipſius Regulæ, ut communiter habetur in clauſtris. Et hinc ſtatim ſatisfit ad reliqua, quæ addebantur; quia, ſi aliquando in Eccleſia Dei hora comeſtionis fuit variata, non per hoc ſequitur, eſse liberum Mo-
13 niali horam, ut ſupra, invertere; non enim quæ poteſt auctoritas publica determinare, & præcipere, poſsunt auctoritate privata variari, & relaxari, & præſertim inter Regulares ſinè aliqua culpa, ſecus orirentur maxima inconvenientia contra bonos mores, & de facili verificaretur illud oraculum: *Qui ſpernit modica paulatim decidet*, in ruinam ſpiritualem totius Communitatis.

14 Ad ſecundum, dato antecedente, negatur illatum, quia Monialis in propoſito caſu, quatenus non frangeret jejunium quoad ſubſtantiam, eò quòd unica vice comederet in ſerò, cum refectiuncula de manè, non fieret rea peccati mortalis, fieret tamen culpabilis venialiter, cum tranſgrederetur, ſinè juſta cauſa, & cervelotico ſui genio, jejunium quoad modum præſcriptum ab Eccleſia omnibus Chriſtifidelibus, cœnandi nempe in meridie cum parva refectione ſerotina; modò non adſit, ut diximus, aliqua legitima cauſa invertendi hunc ordinem; quæ cauſa, excepta illa de ſanitate notabiliter tuenda,

vix

vix inveniri poteſt apud Moniales, pro toto tempore Quadrageſimæ, cum non habeant miniſteria, ratione quorum nequeant obſervare modum præſcriptum ad jejunium quadrageſimale; non enim habent ex ſui officio ſtudere, concionari, Confeſſiones ſacramentales audire, & ſimilia, ſicuti habent Regulares alterius ſexus, quæ omnia poſſunt eſſe cauſa juſta, cur poſſit inverti ordo, & tempus comedendi, currente ſacratiſsimo Quadrageſimæ jejunio.

Abbatiſſa Monaſterii non exempti quærit à Confeſſario ordinario; an in aliquo caſu poſsit concedere licentiam ingrediendi clauſuram extraneis, inconſulto Superiore?

Deſideratur Reſponſio ejuſdem Confeſſarii.

RESOLUTIO LIII.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Abbatiſſam Monaſterii non exempti in nullo caſu poſſe dari bujuſmodi licentiam,*

2 *Quia ſicuti nequit indicere clauſuram ſuis Monialibus, ita nequit extraneis licentiare ad ingrediendum intra clauſuram.*

3 *Quæ licentia impertiri tantummodo poteſt ab Epiſcopo.*

4 *Quod clarè docet* Tridentinum;

5 *Præterea cum bæc licentia non poſſit concedi, niſi ab Epiſcopo, vel perſona, Epiſcopali juriſdictione gaudente; ſequitur, Abbatiſſam, utpote bac juriſdictione, vel quaſi incapacem, non poſſe in ullo caſu bujuſmodi licentiam impertiri.*

6 His

Digitized by Google

6 *His nequaquam obſtantibus, reſolvitur, Abbatiſſam in aliquo caſu, puta alicujus Incendii, poſſe licentiare extraneos ad ingrediendam clauſuram.*

7 *In hoc enim præſupponitur illi conceſsa facultas ab ipſomet Epiſcopo.*

8 *Exemplo res fit clarior,*

9 *Et paſſim conceditur hæc facultas Abbatiſſis ab Epiſcopis, ne magna oriantur incommoda.*

10 *Ad primum reſpondeo, quòd de Jure Ordinario Abbatiſsa non poteſt dare talem licentiam, ſed ex interpretativa facultate.*

11 *Secundum reſolvitur ex dictis.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Abbatiſſam Monaſte-
rii non exempti non poſſe in ullo caſu dare facultatem
perſonis extraneis, ut ingrediantur clauſuram ſui Monaſterii,
quia ſicuti Abbatiſsa non poteſt auctoritate ſua indicere clau-
2 ſuram Monialibus, ita nec poteſt dare facultatem illam ingre-
diendi perſonis extraneis; Quandoquidem per quas cauſas res
naſcitur, per eas & diſſolvitur, & ipſa Abbatiſſa tenetur
obſervare clauſuram ſibi, & ſingulis Monialibus indictam à
Superioribus, & *Concilium Tridentinum ſeſs. 25. de Regul. cap. 5.*,
ubi prohibet ingreſſum hujuſmodi, decrevit licentiam ad in-
grediendum ſepta Sanctimonialium dandam eſſe ab Epiſco-
3 pis, ſive Superioribus privativè quoad alios, prout conſide-
ranti verba *Concilii* patet: verba autem *Sanctæ Synodi* ſunt iſta:
*Ingredi autem intra ſepta Monaſterii nemini liceat cujuſcunque gene-
ris, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſinè Epiſcopi, vel Supe-*
4 *rioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto
incurrenda*: ex quibus verbis clariſſimè conſtat, facultatem fa-
cere, ut quis extraneus utriuſque ſexus ingrediatur clauſuram
Monaſterii Monialium, ſpectare unicè in caſu noſtro de Mo-
naſterio non exempto ad Epiſcopum privativè quoad Abba-
tiſſam: dictio enim excluſiva ſignificat, quòd hoc poteſt Epi-
ſcopus,

Digitized by Google

ſcopus, & nemo alius, claudit *Tambur. de Jure Abbatiſs. diſp. 23. quæſit. 3. nu. 8. ubi cit. Navarr. Commen. 4. nu. 59. verſ. 3. de regul. Roder. 99. reg. tom. 1. quæſt. 46. art. 2. verſ. Obſerva tamen: Azor. part. 1. lib. 13. cap. 8. quæſt. 6. & alios plures*; Ergo Abbatiſſa Monaſterii non exempti in nullo caſu poteſt licentiare perſonam extraneam ad ingrediendum clauſuram, inconſulto Epiſcopo Superiore ſuo.

5 Præterea concedere licentiam ingrediendi ſepta Sanctimonialium quarumcumque non eſt cujuſcunque Superioris, ſed ſolius Epiſcopi, vel alterius Superioris habentis juriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi; ergo &c. Abbatiſſa autem, utpote incapax à Jure iſtius juriſdictionis Epiſcopalis, vel quaſi, non poteſt in nullo caſu dare licentiam ingrediendi clauſuram extraneis, quia in quocunque caſu excogitabili Abbatiſſa ſemper erit incapax juriſdictionis Epiſcopalis, vel quaſi; nemo enim dat quod non habet; & propterea Abbatiſſa non habens de per ſe facultatem licentiandi pro ingreſſu perſonarum extranearum, non poteſt auctoritate propria dare licentiam ingrediendi, ut ſupra.

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Abbatiſſam Monaſterii poſſe in aliqua contingentia dare licentiam perſonis extraneis, ut ingrediantur clauſuram ſui Monaſterii; & hujuſmodi contingentia eſſet, caſu, quo ratione gravis neceſſitatis, exiſtente periculo in mora petendæ licentiæ ab Epiſcopo: tunc enim Abbatiſſa ex præſuppoſita proprii Prælati voluntate poſſet licentiare perſonam extraneam ad ingrediendum clauſuram pro urgente neceſſitate, v. g. dato, quòd ex inadvertentia cujuſdam Monialis ex ſenioribus tempore hyemali fuerit accenſus ignis in ejus cella ex ſcintillis deciſis à lucerna ſuper ſtratum ſuum, & inde magnum videatur excitari incendium, poſſet hìc, & nunc Abbatiſsa dare licentiam viris extraneis, ut accurrerent ad extinguendum ipſum ignem pro reparando incendio, quia pro eo tunc Abbatiſſa, interpretando volunta-

7 tem Epiſcopi ſui Superioris, uteretur facultate, qua pollet, & tenetur ad impedienda hujuſmodi damna, tanquam mater erga ſuas Moniales, & caput ipſius Monaſterii: unde *Barboſa de officio Epiſc. alleg.102.nu.39. ex Rodrig.*, ut advertit *P. de clau. Monial. cap.5. ſect. 3. quæſit. 31.nu.152.*, aſſerit, quòd ſi Prælatus Monialium longè abſit, vel ejus acceſsus ſit difficilis, Abbatiſſa Monaſterii in caſibus repentinis poteſt concèdere licentiam ingrediendi, & hoc eſt ex ipſius Prælati ratihabitione, fundata in rationabilitate caſus occurrentis. Rem clarifico exemplo ſimplicis Confeſſarii non habentis poteſtatem abſolvendi à peccatis reſervatis extra mortis articulum; poteſt
8 enim hic Confeſſarius aliquando abſolvere pęnitentem à peccato reſervato, benignè interpretando voluntatem reſervantis, hoc eſt hìc, & nunc pœnitentem poſitum in tali, & tali circumſtantia, ex præſumpta rationabiliter voluntate Superioris abſolvendum eſse, ut in caſu, quo puella incauta facta gravida, & dein, procurato abortu fętus animati, accedens unà cum matre ſua ad Confeſsarium, ſe accuſando de hoc homicidio in Sacramentali Confeſſione omnimodè occulto, non potens accedere ad habentem facultatem abſolvendi à reſervatis, deberet per illum ſimplicem Confeſsarium abſolvi ex præſumpta facultate Superioris. Ita in rem noſtram Abbatiſſa ex præſumpta, & quidem rationabiliter, voluntate Prælati ſui, poteſt in quibuſdam certis caſibus fortuitis, & repentinis cum periculo in mora pro adeundo Superiore, concedere facultatem exteris ingrediendi clauſuram. Et hinc eſt, ut advertunt *Auctores ex P. de poteſtate Abbatiſsæ cap. 10. ſect. 2. ſubſec. 2. quær. 15. nu. 141.*, quòd pluribus in locis ſoleant Epi-
9 ſcopi facultatem facere generalem Abbatiſſis Monaſteriorum ſibi ſubjectorum, ut poſſint in caſibus frequenter occurrentibus dare licentiam extraneis ingrediendi clauſuram, ne paſſim ad eos adiri debeat, non ſinè gravi utriuſque partis incommodo, ut notavit *Tambur. de Jur. Abbatiſs. diſp. 23. quæſit. 3. nu.4. cum Aliis.*

Ad

Digitized by Google

10 Ad primum igitur reſpondetur, verum eſse, Abbatiſsam de Jure ordinario non poſse dare licentiam perſonis extraneis pro ingreſsu in clauſuram, quia, quamvis ſit Superiorisſa Monaſterii, non tamen venit ut Superior, juxta verum ſenſum *Sac. Conc. Trid. loc. cit.* habens poteſtatem jurisdictionis Epiſcopalis, ſive quaſi, cum hujuſmodi ſit omnimodè incapax; & propterea cum ipſa nequeat indicere clauſuram, nequit ſimiliter ſuper illam aliquid minimum innovare, & ſic non poteſt illam diſpenſare, concedendo licentiam extraneis ad ingrediendum. At in caſibus repentinis, in quibus mora adeundi Epiſcopum pro obtinenda licentia dignoſcitur valde damnoſa Monaſterio, tam in re temporali, ratione videlicet incendii, ut ſupra, quàm in re ſpirituali, qualis eſset, extremum vitæ unius Monialis ex inopinata apoplexia, tunc Abbatiſsa, interpretativa facultate ſibi attributa, eò quòd cenſeat in hujuſmodi caſibus adeſse cauſam legitimam, & Epiſcopum non eſſe rationabiliter invitum ad hujuſmodi licentiam concedendam, tunc, inquam, poteſt illam concedere; & ſic ſalvatur, quòd ſolus Epiſcopus in Monaſteriis non exemptis habeat, juxta diſpoſitionem *Conc. Trid. loc. cit.*, poteſtatem ordinariam concedendi licentias pro ingreſsu intra ſepta Monialium; & Abbatiſsam in caſibus extraordinariis, fortuitis, repentinis, & inopinatis, non ferentibus ullam moram, ex præſumpta, tacita, & interpretativa voluntate Epiſcopi poſse concedere licentiam ingrediendi clauſuram, ut ſupra.

11 Ad ſecundum ſatisfit ex ſatis dictis pro ſolutione primi objecti, & pro fundamento Reſolutionis, maximè quia nos non dicimus, Abbatiſsam poſſe licentiare perſonas extraneas ad ingrediendum clauſuram Monaſterii, eò quòd ipſa ſit ſui Monaſterii Superior, ut ex *Tambur. loc. cit. nu.* 1., videtur opinari *Navarr. in ſum. cap.* 28. *addit.* 2. *ad nu.* 143., ſed dicimus, Abbatiſsam poſse hujuſmodi licentias concedere aliquando tantùm, in caſibus nempe repentinis, & non ex propria auctori-

Digitized by Google

tate, ſed potiùs ex auctoritate Epiſcopi ſibi attributa per benignam interpretationem, quòd Epiſcopus in tali caſu urgentis neceſſitatis non ſit rationabiliter invitus.

Monialis in Monaſterio, ubi non viget vita verè communis antequam profiteretur dedit centum aureos eidem Monaſterio, ut ſibi ſolverentur quinque Aurei ſingulis annis, ſua vita durante ab eodem Monaſterio; & hic Contractus initus fuit ſinè licentia Superiorum: unde Monialis facta Profeſſa dubitans, an poſsit percipere illos quinque aureos, conſulit ſui Confeſſarium.

Expectatur Judicium Confeſſarii.

RESOLUTIO LIV.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Monialem non poſſe percipere illos quinque Aureos;*

2 *Quandoquidem ex defectu validitatis contractus, nec Monaſterium tenetur illos ſolvere, nec ipſa habet ullam actionem contra Monaſterium,*

3 *Et maximè, quia facta profeſſa ſpoliata eſt omni Jure conveniendi Monaſterium;*

4 *Præterea in hac nullitate contractus non datur locus Juſtitiæ:*

5 *Neque enim Monaſterium tenetur illos ſolvere, tanquam fructus Moniali debitos.*

6 *Qui-*

Digitized by Google

6 *Quibus non obſtantibus, reſolvendum cenſeo, Monialem poſſe percipere annuatim illos quinque Aureos, & Monaſterium teneri illos ſolvere ex quadam Fidelitate, & Æquitate,*

7 *Quia in traditione centum Aureorum poteſt interpretari voluntas Monialis de faciendo Cenſu vitalitio,*

8 *Quem ſi inſtituiſset cum perſona privata, ſanè omni Jure poſſet pro illo dictos aureos exigere:*

9 *Ex quadam igitur fidelitate, ſi non de rigore, videtur poſse illos percipere à Monaſterio.*

10 *Dilucidatur hac materia:*

11 *Et ad primum reſpondetur, objecta vera eſſe, ſi loquamur de rigore Juſtitiæ, ſecus ſi de Fidelitate, & Æquitate.*

12 *Et pariformiter ad ſecundum.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem in contingentia facti non poſſe percipere illos quinque aureos, cum non adſit titulus, ratione cujus Monaſterium teneatur illos ſolvere, nec Monialis habeat ullam actionem contra Monaſterium ex defectu validitatis ejuſdem contractus, eò quòd
2 fuerit initus ſinè licentia Superiorum, quæ neceſſariò requireretur, ut Monaſterium ſe obligaret ad ſolutionem illorum quinque aureorum, durante vita naturali præfatæ Monialis, quæ ſanè non habet ullam actionem contra ipſum Monaſterium, non ſolùm ex dicto defectu licentiæ Superiorum, ſed etiam ex eo, quòd facta Profeſſa ratione Voti Paupertatis,
3 ſpoliata omni jure, nullo modo poteſt convenire Monaſterium ad ſibi ſolvendos illos quinque aureos, juxta illam regulam *idem nequit eſſe agens, & paſſum reſpectu ejuſdem*, cujus oppoſitum verificaretur in hypotheſi ad theſim vocata, ſtante illo axiomate: *quicquid acquirit Monachus acquirit Monaſterio;* verificato ſiquidem, quòd jus ad centum aureos, quod habebat Monialis antequam profiteretur, factum ſit Monaſterii, ratione ſolemnis

lemnis

Digitized by Google

lemnis Voti Paupertatis per ipſam Monialem emiſſi, ſtatim evincitur, quòd eadem Monialis incorporata Monaſterio vi ſuæ profeſſionis ſolemnis, volens exigere quotannis illos quinque aureos à Monaſterio, ageret in ſe ipſam, quatenus ageret contra Monaſterium, cujus eſt membrum, quod tamen non eſt admittendum, cum agens, & paſſum debeant eſſe duo diverſa, & reſpectù diverſorum.

4 Præterea, ſi, admiſſa nullitate Contractus, ut ſupra inter Monaſterium, & Monialem, non datur locus Juſtitiæ, hoc eſt Monaſterium, non tenetur ex Juſtitia ſolvere, & Monialis non poteſt juſtè prætendere illos quinque aureos, non videtur dari alius titulus, cur Monialis poſſit illos percipere; non enim illos poteſt percipere velut fructus centum aureorum, quos de-
5 dit Monaſterio, quia in donando ipſos centum aureos Monaſterio, non inſtituit cenſum ſibi fructiferum, cum non emerit aliquod ſtabile, verbi gratia aliquod prædium, vel aliquam domum ejuſdem Monaſterii, quorum redditus annui ſibi cederentur, ſua vita durante; ad hoc enim requirebatur licentia non ſolùm Superioris Ordinarii, ſed etiam Summi Pontificis, prout praxis docet Regulares omnes utriuſque ſexus, qui nequeunt inſtituere cenſus paſſivos ſinè beneplacito Apoſtolico. Rurſus ſi nullitas contractus nihil ponit in eſſe in contrahentibus, clarè deducitur, nullam eſſe obligationem in Monaſterio ad ſolvendos illos quinque aureos, & ſimiliter nullum jus eſſe in Moniali ad illos percipiendos, & propterea Confeſſarius conſultus in contingentia facti deberet reſpondere præfatæ Moniali, non poſſe ampliùs percipere illos quinque aureos, & perceptos tanquam malè perceptos debere reſtituere ſui Monaſterio.

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, Monialem ad theſim vocatam poſſe percipere annuatim illos quinque aureos à ſui Monaſterio, & Monaſterium teneri eoſdem ſolvere ipſi Moniali, non quidem rigore Juſtitiæ, ſed ex quadam Fidelitate, &

Æqui-

Digitized by

Æquitate; quia Monialis antequam profiteretur Vota ſolemnia, recogitans in corde ſuo Monaſterium, ubi profiteri debebat, non eſſe in vita communi, & propterea ſingulas Mo-
7 niales cogi ſibi providere in dies plura ad victum, & veſtitum, & alia neceſſaria, putavit implicare illos centum aureos cum Monaſterio ad modum Cenſus vitalitii, ut idem Monaſterium ſibi ſolveret quotannis quinque aureos, donec viveret pro expenſis dietim faciendis ad ſui ſuſtentationem, non ſecus ac ſi feciſset hujuſmodi contractum cum qualibet alia Perſona pri-
8 vata, vel Univerſitate Monaſterio extranea: unde ſicuti potuiſſet in hac hypotheſi ex Juſtitia exigere, & juſtè percipere fructus illos, nempe quinque aureos, ſua vita naturali durante, videtur ſimiliter in contingentia facti, ſi non de rigore Ju-
9 ſtitiæ, ſaltem ex Fidelitate, & Æquitate, poſse illos exigere, & percipere à Monaſterio pro ſuis indigentiis; quinimmo & ipſum Monaſterium teneri eoſdem ſolvere eidem Moniali, cum teneatur ex fidelitate ſtare promiſſis de ſolvendo in futurũm, & donec præfata Monialis vixerit naturaliter ſingulis annis illos quinque aureos. Rem dilucido ſic: Monaſterium, ſive
10 Superioriſſa, vel Cameraria Monaſterii quando accepit à Moniali nondum Profeſsa illos centum aureos, cum pacto ſolvendi eidem quinque aureos ſingulis annis, donec vixerit naturaliter, habuit animum ſe obligandi ad talem ſolutionem, vel non; ſi habuit animum, & intellexit, ſe verè obligare, quamvis ex defectu licentiæ Superiorum, quæ requirebatur ad hoc onus ſuſcipiendum, non videatur teneri de rigore Juſtitiæ, tamen cenſetur teneri ex quadam obligatione naturali morali, quæ oritur ex illa honeſtate, & debito morali, ut notat *Naldus verbo Obligatio nu. 6.*, quæ ſolet comitari humanas promiſſiones bona fide factas, & à comparte acceptatas: ſi verò Monaſterium, ſive Officiales Monaſterii non habuerunt animum ſe obligandi ad ſolvendos quinque aureos, ut ſupra, ergo doloſè ſe geſſerunt, & malè acceperunt illos centum aureos, & ſic

idem

Digitized by Google

idem Monaſterium multò magìs teneretur ſolvere, cum fraus, & dolus in damnum Tertii nequeant operari legitimum beneficium alterius, ne detur anſa contractibus iniquis; aut deberet dimittere eoſdem centum aureos, tanquam malè acceptos, ad reparandum damnum præfatæ Monialis innocenter deceptæ à ſe ipſo ſub ſui ipſius bona fide, quatenus aliter contraxiſset cum alio. Præterquamquod ſubaddi poteſt, in favorem ejuſdem Monialis, in contingentia facti adfuiſſe ſaltem tacitam licentiam Superioris: quandoquidem Superior ſciens, in ſuppoſito Monaſterio, eò quòd non profiteatur vita communis, non acceptari ad habitum, & ad profeſſionem puellas ſinè livello annuo pro indigentiis perſonalibus, videtur in hujuſmodi acceptationibus approbare omnia, quæ agit Monaſterium, & præcipuè quando cedunt ad majorem utilitatem Monaſterii; cum autem in caſu propoſito acta per Monaſterium videantur juxta mentem Superiorum, & quidem cum majori utilitate ipſius Monaſterii, quatenus accepit capitale, nempe centum aureos ſibi remanſuros poſt mortem Monialis; quos, non habuiſſet, ſi præfata Monialis illos implicaſset, ut ſupra, extra Monaſterium; hinc eſt, quòd idem Monaſterium debeat ſaltem ex Fidelitate, & quadam Æquitate ſolvere illos quinque aureos eidem Moniali, quæ tandem poſset reclamare ad Superiorem, à quo ſanè benignè audiretur, tanquam à Patre, atque ab eodem, attenta bona fide ipſius Monialis, & fidelitate, unà cum quadam æquitate ſervanda in humanis contractibus innocenter defectuoſis ex una parte, idem Monaſterium cogeretur ſolvere illos quinque aureos eidem Moniali pro expenſis faciendis ad ſui victum, & veſtitum in dies, ad quas aliàs teneretur Monaſterium ipſum.

Ad primum igitur, dato antecedente in ſenſu de rigore Juſtitiæ, eò quòd Monialis facta Profeſsa ſpoliata fuerit omni, & quocunque jure, & dominio ad temporalia, non poteſt illos quinque aureos exigere, tanquam fructus illorum centum aureo-

reo-

Digitized by Google

reorum, cum non ſint ampliùs ſui, ſed Monaſterii; negatur in ſenſu mox expoſito, hoc eſt poſſe licitè illos percipere ex quadam fidelitate ſibi debita, propter bonam fidem, qua dedit eidem Monaſterio ſuos centum aureos de eo tempore, in quo erat verè Domina illorum centum aureorum, hoc eſt ante
11 Profeſſionem ſolemnem, cum pacto, ut ſibi ſolveret ſingulis annis, vita ſua naturali durante, illos quinque aureos, pro ſuis indigentiis ſupplendis, ad modum illius contractus innominati: *Do, ut des*, non ſecus ac practicatur in quibuſdam Monaſteriis, ubi non obſervatur vita verè communis, quæ in acceptandis Puellis ad Habitum, & Profeſſionem, ſcientibus Superioribus, accipiunt certam ſummam pecuniæ, ſupra dotem taxatam ab Ordinario, cum onere ſolvendi annuatim livellum eiſdem, donec vixerint, non obſtante quòd illa pecunia ſupra dotem fiat pleni juris, & veri dominii ejuſdem Monaſterii.

12 Ad ſecundum negatur antecedens unà cum ratiocinio, quia ſi non verificatur titulus de rigore Juſtitiæ, datur locus Fidelitati, & Æquitati, attenta maximè licentia tacita Superioris, & etiam bona fide præfatæ Monialis, ut ſatis dictum fuit pro Reſolutione in ſuperioribus.

Digitized by Google

Monialis Profeſſa dat mutuò decem aureos de ſuo peculio alteri Moniali Converſæ, ut liberet Fratrem ſuum detentum in carceribus Principis, illam obligando ad aliqua peculiaria ſervitia ſibi præſtanda: dein dubia, an hæc ſibi liceant, conſulit Confeſſarium.

Deſideratur Judicium Confeſſarii.

RESOLUTIO LV.

SUMMARIUM

1 *ISta Monialis videtur licitè ſe gerere;*
2 *In hoc enim caſu ſubeſt contractus innominatus:* Do, ut facias.
3 *Et ſicuti poſſet eadem ſervitia exigere, ſi ſolveret illi certum ſtipendium, ita &c.*
4 *Præterea, ita ſe gerendo, rem illicitam non operatur; nam ſervitia illa exigit ratione gratitudinis.*
5 *Sed, hiſce rejectis, in contrarium deciditur,*
6 *Quia, exigendo talia ſervitia, exigeret quid pretio æſtimabile ſupra ſortem;*
7 *Quandoquidem Converſa habet ſemper alia gravoſa ſervitia, præſtanda toti Communitati:*
8 *Et Monialis Profeſſa mutuans nullum perſentiret incommodum ex mutuatione,*
9 *Quod ſolùm juſtificaret acceptionem alicujus rei ſupra ſortem:*
10 *Demum ſententiam noſtram confirmat argumentum à fortiori deſumptum.*
11 *Primo objecto ſatisfit, negando antecedens, & negando, quòd Mutuum, ut mutuum inducat contractum innominatum,*

12 *Et*

12 *Et refellitur paritas ibi adducta in favorem mutuantis.*
13 *Ad ſecundum negatur antecedens, ſuppoſito quòd ſervitia exigenda ſint in longum tempus, prout indicant circumſtantiæ iſtius Caſus;*
14 *Si verò præſtanda forent modico tempore, licitè reciperentur à mutuante titulo repenſionis beneficii.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem, in contingentia facti, poſſe exigere à Converſa illa ſervitia, ratione quorum dedit eidem mutuò illos decem aureos, juxta illud Adagium in ore, etiam mulierculàrum, *manus manum*
2 *lavat*; quandoquidem in hujuſmodi caſu videtur dari locum Contractui innominato: *Do, ut facias*, quatenus dedit Converſæ mutuò illos decem aureos, ut faceret ſervitia illa, non ſecus, ac poſſet eadem ſervitia exigere ab eadem Converſa, ſolvendo ipſi certum ſtipendium bis, aut ſemel in anno, ut ſolet fie-
3 ri in Monaſteriis, ubi non viget vita communis, ſcientibus, & permittentibus ipſis Superioribus; quibus poſitis, videtur, Confeſſarium conſultum à præfata Moniali poſſe adjudicare in favorem ejuſdem, dicendo, ſibi ipſi mutuanti licere illa peculiaria ſervitia exigere à Converſa mutuataria.

4 Præterea Monialis mutuans illos decem aureos, cum onere Moniali Converſæ mutuatariæ, ut ſibi præſtet præfata ſervitia, non videtur agere rem illicitam, quia non intendit illa ſervitia exigere tanquam lucrum ſupra ſortem ex Juſtitia, ſed ratione gratitudinis dumtaxat: & propterea tanquam quid licitum, & nulla Lege, divina, vel humana prohibitum; quandoquidem gratitudo beneficii accepti, quemadmodum commendatur (ut notat *Caſſianus in ſua Arbore*) à *D. Thoma, relato à Leſſio de Juſt. lib. 2. cap. 74. nu. 5.*, veluti virtus moralis in perſona, quæ beneficium recepit, non improbatur ut vitium in perſona, quæ beneficium contulit; ideòque Confeſſarius, in

contingentia facti, videtur poſſe ferre ſui judicium ad favorem Monialis mutuantis, hoc eſt illam poſſe imponere onus Moniali Converſæ mutuatariæ, ut ſibi præſtet peculiaria ſervitia, in recognitionem commodi eidem collati, pro mutuo decem aureorum, ad liberandum Fratrem ſuum à carcere Principis.

5 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, præfatam Monialem, in contingentia facti, non poſſe imponere Moniali Converſæ onus præſtandi ſibi ipſi illa ſervitia, ratione mutui dati; & ratio eſt, quia mutuans in mutuo non poteſt exigere à mutuatario aliquid pretio æſtimabile ſupra ſortem; præſtatio autem illorum ſervitiorum, cum non ſit ad modicum tempus,
6 ideòque parvi momenti, ſed ſit diuturna, proptèrea pretio æſtimabilis, & hujuſmodi obligatio revera ſit valde incommoda præfatæ Converſæ Mutuatariæ, cum præter hæc ſervitia præſtanda Moniali mutuanti, habeat alia miniſteria, & ſanè
7 laborioſa, continua, & gravia in adimplendis officiis Converſarum; hinc eſt, quòd juſtè nequeat obligari ad præſtationem illorum ſervitiorum, hac ſola ratione mutui illorum decem aureorum; & præſertim eò quòd Profeſſa mutuans nullum
8 ſentiat incommodum reale, hoc eſt nec lucrum ceſſans, nec damnum emergens, quæ juſtificant acceptionem alicujus rei
9 pretio æſtimabilis in Mutuo ſupra ſortem, ut docent communiter *Auctores*, à quibus inter alia monita pro bono gubernio mutuantis enumeratur illud, quod eſt de Jure Divino, prout datum à Chriſto Domino apud *Lucam cap. 6. Mutuum date, nihil inde ſperantes*, ubi cum propter illud *nihil*, quod habet negare totum, eò quòd ſit verbum malignantis naturæ, mutuans nihil ſperare debet ex Juſtitia à mutuatario; inde eſt, quòd Monialis Profeſsa, in hypotheſi ad theſim vocata, nequeat imponere onus illud, ad modum contractus utrinque obligatorii, & oneroſi Moniali Converſæ vi mutui illorum decem aureorum; præterquamquod, ſi, ut docent *Moraliſtæ*, illud mutuum foret uſurarium, interveniente pacto, quòd mutua-

ta-

Digitized by Google

tarius frequentet Molendinum, aut Tabernam mutuantis,
10 quamvis idem mutuatarius debeat ex ſui indigentia illud, vel
aliud molendinum adire, multò magìs uſurarium reputan-
dum eſſet mutuum, de quo agitur in præſenti, cum Monialis
Converſa mutuataria, non ſolùm non ſit neceſſitata, ſed ſit
undequaque libera, ad præſtanda illa peculiaria ſervitia Mo-
niali mutuanti; quod ſanè evincitur ex eo, quòd de facto illa
ipſa ſervitia non præſtaret, nec alio titulo ad illa præſtanda
teneretur, niſi forſan ex charitate, & aliquando dumtaxat,
prout contingit inter Clauſtrales, juxta illam regulam; *Propriis
incommodis aliorum commoda quærere*; &, his ſtantibus,

11 Ad primum reſpondetur, negando antecedens, & ſatisfit
ad ea, quæ addebantur in favorem ejuſdem: dato igitur illo
Adagio, *manus manum lavat* in contingentiis licitis, & hone-
ſtis, prout exigit humanitas in ſervitiis reciprocè præſtandis, ne-
gatur in præſenti contingentia facti; quandoquidem illicitum
eſt imponere aliquod onus, & præcipuè ad longum tempus,
utpote quid pretio æſtimabile, ſola ratione Mutui, juxta præ-
ceptum Domini: *mutuum date, nihil inde*, hoc eſt, vi mutui,
nihil inde ſperantes: nec poteſt dici, mutuum ut mutuum indue-
re rationem illius contractus innominati; *Do, ut facias*, quia in
mutuo decem aureorum transfertur dominium eorundem
aureorum uſque ad certum tempus, cum ſola obligatione,
12 quòd Converſa mutuataria illos, ſive illorum valorem reſti-
tuat Moniali mutuanti; quando autem Monialis Profeſſa illos
daret Converſæ, ut eadem Converſa faceret ſibi ipſi peculia-
ria ſervitia, videretur emere hujuſmodi ſervitutem ab ipſa
Converſa, & propterea poſſet illam ex Juſtitia, ratione con-
tractus emptionis exigere, & ſic non eſset ampliùs caſus ſup-
poſitus de ſimplici Mutuo, in quo non deberet, nec poſset
Confeſsarius conſultus adjudicare in favorem Profeſſæ mu-
tuantis contra Converſam mutuatariam.

13 Ad ſecundum ſimiliter negatur antecedens, ſuppoſito, quòd

Pro-

Profeſsa mutuans intendat illa ſervitia exigere ad longum
tempus, hoc eſt, uſque ad tempus reſtitutionis illorum decem
aureorum; quod quidem tempus, attenta paupertate Conver-
ſæ mutuatariæ, & ejus Fratris pariter pauperis, erit diuturnum,
& per conſequens pretio æſtimabile: quòd ſi eſſet breve, & ideò
veluti nihilum reputandum, aut intenderet illa ſervitia reci-
pere à mutuataria titulo gratitudinis, & non aliter, nec alio
modo, quaſi lucrum ſupra ſortem, tunc Monialis mutuans il-
los decem aureos licitè reciperet illa ſervitia, etiam ad lon-
gum tempus, à Converſa mutuataria ſibi grata ex beneficio
accepto in mutuatione illorum decem aureorum facta, ut illi-
co ipſa Converſa liberaret Fratrem ſuum à carceribus Princi-
pis. Unde in rem noſtram ſolent *Auctores* docere, ut apud
Leſſium de Juſt. lib. 2. cap. 74. nu. 5. ex *D. Thoma cit. à Caſſiano in*
14 *ſua Arbore Opinionum verb. Gratitudo*, inter officia gratitudinis
adeſt illud, hoc eſt repenſio beneficii accepti, non quidem
legaliter de rigore Juſtitiæ, ſed tantùm moraliter, ratione cu-
juſdam decentiæ. Quare Confeſsarius interrogatus in con-
tingentia facti, deberet pro ſua prudentia conſulere Monia-
lem, quæ mutuavit illos decem aureos Conſorori Converſæ
ut ſupra, ne ampliùs exigat illa peculiaria ſervitia, tanquam
lucrum ſibi debitum, vi Mutui anteacti, & propterea debere
ſui animum aperire ipſi Converſæ mutuatariæ, dicendo ei-
dem; ſervitia, quæ mihi præſtitiſti uſque in hodiernam diem,
veluti onus tibi impoſitum, ratione mutui decem aureorum,
ſcias, non mihi deberi ex Juſtitia, teque eſse omnino liberam
ad illa præſtanda, vel non præſtanda, & in poſterum ſi unum,
vel aliud peculiare ſervitium mihi præſtabis, illud ipſum reci-
piam ex charitate nobis Monialibus reciprocè conſona, &
non aliter, nec alio modo mihi debita.

Monia-

Digitized by Google

Monialis Ordinis Sancti Benedicti Monaſterii ſubjecti Epiſcopo quærit à ſui Confeſſario ordinario, an poſsit gaudere privilegiis Spiritualibus conceſsis toti Ordini S. Benedicti à Pontificibus, pôſtquam Monaſterium à juriſdictione ejus Ordinis tranſivit ad juriſdictionem Epiſcopi.

Deſideratur Reſponſio Confeſſarii.

RESOLUTIO LVI.

SUMMARIUM

1 *SI Moniales, de quibus eſt ſermo, non ſint nominatæ in* Bulla Privilegiorum *non videntur dicendæ participes illorum Privilegiorum ſpiritualium,*

2 *Quia Privilegia extendi debent ad perſonas tantùm nominatas,*

3 *Nec alium effectum ſortiuntur, niſi quoad ea, quæ in eo exprimuntur;*

4 *Ac proinde Privilegia conceſsa Ordini Benedictino non debent extendi ad Moniales ab eodem extractas.*

5 *Eo modo, quo ſpiritus vitalis non participatur membris à corpore reſciſſis.*

6 *Præterea conſideranda eſt intentio concedentis Privilegium,*

7 *Qui in noſtro Caſu ſi voluiſſet, ad Moniales præfatas extendi privilegium, eas nominaſſet in* Bulla Privilegii.

8 *Quibus haud obſtantibus, in contrarium reſolvitur,*

9 *Quia Lex generaliter loquens generaliter intelligi debet;* & ubi Jus non diſtinguit &c.

10 *Quare cum Moniales præfatæ verè, & realiter ſint de Ordine Benedi-*

cti-

ctino, procul dubio contenta cenſentur in Bulla Privilegii *generaliter conceſſi.*

11 *Confirmatur à fortiori, per doctrinam* Rodrig., Suar., Caſtro Palao, & Tambur.

12 *Et primum objectum ex antea dictis penitus evaneſcit.*

13 *Ad ſecundum retorquetur argumentum. Quia ſi Pontifex noluiſſet has Moniales frui privilegiis &c., illas excepiſſet in Bulla, ſed non excepit, ergo &c.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Monialem, ut ſupra, non gaudere privilegiis ſpiritualibus, dummodo Moniales translatæ ad juriſdictionem Epiſcopi non ſint nominatæ in
2 *Bulla Pontificia privilegiorum*, quia privilegia ſicuti extendi debent ad perſonas nominatas, ita non extenduntur ad caſum, ad quem verba Privilegii non porriguntur, ut docet *Donat. tom. 4. de Novitiat. Monial. tract. 11. quæſt. 12. nu. 5. cap. ſanè de Privileg. & l. quod conſtitutum cum Gloſs. ff. de militari teſtam.* Quandoquidem privilegium non poteſt ſortiri alium effectum, niſi quoad ea, quæ in ipſo privilegio exprimuntur, ut
3 expreſsè notavit *idem Donat. loc. cit. ſub nu. 4.* vigore *l. Nec avus C. de Emancip. liber.*; Moniales itaque Ordinis S. Benedicti extractæ à juriſdictione Prælatorum ejuſdem Ordinis, niſi expreſsè nominentur in Bulla Pontificia, non videntur poſſe gaudere
4 privilegiis conceſſis toti Ordini Benedictino, cum extractæ ab eodem Ordine, hoc eſt, à dominio, & gubernio ejuſdem, non cenſeantur ampliùs de corpore Ordinis; & inde, veluti membrum reſciſsum, & ſeparatum à toto corpore, quod ampliùs non participat de ſpiritu vitali ejuſdem corporis, præfata Mo-
5 nialis, tanquam amputata à corpore myſtico totius Ordinis ſui, nequit participare de privilegiis ſpiritualibus eidem corpori conceſſis, niſi, ut notavimus, Moniales ipſæ tanquam emancipatæ ab Ordine ſpecialiter eſsent aliquo modo nominatæ in Bulla Privilegiorum.

Præ-

Digitized by Google

6 Præterea cum privilegia, ut ſcripſit *citatus Donatus tom. 3. tract. 3. quæſt. 36. nu. 2. ad ea tantùm extendantur, de quibus cogitatum eſt l. tres Fratres ff. de pact. l. cum Aquiliana ff. de tranſactionibus* & conſideranda ſit intentio concedentis privilegium, hinc eſt quòd Moniales Ordinis S. Benedicti, ſubditæ tamen Epiſcoporum, ſi non ſunt expreſsè nominatæ in Bulla privilegiorum, non cenſeantur excogitatæ à Papa; quandoquidem ſi Papa il-
7 las cogitaviſſet illas ipſas nominaviſſet in dicta Bulla, clarè infertur, ad hujuſmodi Moniales non extendi Bullam, nullamque fuiſse intentionem in Papa concedente privilegia Monialibus totius Ordinis ſimpliciter, illa ipſa privilegia concedendi Monialibus ſegregatis, ſeparatis, & avulſis ab eodem Ordine, quatenus fuerint poſitæ ſub juriſdictione immediata Epiſcoporum: privilegia enim non extenduntur de perſona ad Perſonam, etiam ob identitatem rationis, inquit *Donat. tom 3. tract. 5. quæſt. 40. nu. 1.*, niſi ſint inſerta in corpore Juris, ut advertit *idem Donat. tom. 1. part. 1. tract. 6. nu. 1., ubi nu. 4.* in confirmationem, quòd privilegium particulare non extendatur de perſona ad perſonam, quamvis adſit eadem ratio, ſubaddit, quia virtus, & efficacia privilegii non pendet à ratione, ſed à voluntate concedentis; cum autem in hypotheſi noſtra, poſito, quòd Moniales translatæ à juriſdictione Prælatorum Ordinis ſui ad immediatam, & omnimodam juriſdictionem Epiſcoporum non ſint ullo modo nominatæ in Bulla privilegiorum conceſſorum Monialibus Ordinis, cujus ſunt ſubditæ in omnibus, & per omnia, & revera ſint nominatæ in *dicta Bulla*, ſequitur, privilegia ipſa non poſſe intelligi conceſſa eiſdem ſeparatis ab Ordine, eò quòd prætermiſſæ fuerint in *Bulla*, tanquam non eſſent in mente Papæ concedentis, non obſtante, quòd ipſæ Moniales avulſæ, ut ſupra, ab Ordine ſuo, dicantur lato modo ejuſdem Ordinis, quia, ut dicebamus, virtus, & efficacia privilegiorum pendet non à ratione, ſed à voluntate concedentis, cujus voluntas in caſu noſtro dici poteſt fuiſſe ad

Digitized by Google

favorem Monialium Ordinis S. Benedicti in integrum, hoc eſt, viventium non ſolùm ſub regula tanti Patriarchæ, ſed etiam ſub obedientia Prælatorum ipſius, non verò pro Monialibus ſeparatis ab eodem, & poſitis immediatè ſub Epiſcopis.

8 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, privilegia ſpiritualia conceſsa Monialibus Ordinis S. Benedicti ſinè ulla exceptione intelligi conceſſa omnibus, & ſingulis Monialibus ejuſdem Ordinis, tam ſubditis locorum Epiſcopis, quàm viventibus ſub obedientia Benedictinorum; & ratio in primis poſſet erui ex illa regula: *Lex generaliter loquens generaliter debet intelligi:* & ex illa alia: *ubi Jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*: & ex

9 altera: *Beneficium Principis latè interpretandum*; *Privilegia enim ſunt amplianda*, & præſertim ſpiritualia, quando nihil obſtat in contrarium, ut in propoſito caſu, ubi Pontifex concedens aliquod privilegium ſpirituale, nimirum v. g. Indulgentiam Plenariam in die S. Scholaſticæ Virginis ipſius Ordinis ſub hac forma; *concedimus Indulgentiam Plenariam omnibus Monialibus S. Benedicti &c.*, quibus verbis univerſalibus, ſcilicet: *omnibus Monialibus*, comprehenduntur generaliter omnes Moniales ſinè ulla excluſione, videtur, mentem Pontificis extendi ad omnes Moniales ipſius Ordinis, tam ſubditis Prælatis Religionis, quàm ſubditis locorum Ordinariis, maximè quia Moniales Benedictinæ poſitæ à Sancta Sede ſub juriſdictione Epi-

10 ſcoporum non deſinunt eſſe de Ordine S. Benedicti, cum in ſolemni Profeſſione, quam emittunt in manibus Epiſcoporum, promittant vota ſua obſervare ſecundùm, & juxta Regulam præſcriptam à Sancto Patre Benedicto, & de facto vivant ſub eadem Regula, ut conſtat ex tot, & tantis Monaſteriis iſtius Ordinis intra, & extra Italiam immediatè ſubjectis juriſdictioni Epiſcoporum. Præterquamquod ſi Moniales alicujus Ordinis gaudent privilegiis, quorum ipſæ ſunt capaces ex conditione ſtatus, ac ſexus, quæ ſunt conceſſa Viris Religionis ejuſdem Ordinis, ut docent: *Rodrig. tom. 1. quæſt. 13. art.*

22., *Suar.*

Digitized by Google

22., *Suar. lib. 8. de leg. cap. 10. nu. 3., Caſtr. Palao tract. 3. tom. 4. part. 12. nu. 1., Tamb. diſp. 17. de Jur. Abbatiſs. quæſt. 1. nu. 1.*, quia in conceſſione privilegiorum non attenditur ſexus, ſed
11 ſtatus Religioſus, qui adeſt æqualiter in Monialibus, ac in viris Religioſis uniuſcujuſque Religionis; tum etiam quia in materia favorabili fœmininum comprehenditur ſub maſculino in iis, quæ poſſunt accommodari fœminis (dummodo in conceſſione non adſit taxativa pro Viris tantùm) à fortiori debet dici, Moniales ejuſdem Ordinis, quamvis immediatè ſubjectas Ordinariis locorum, gaudere privilegiis conceſſis à Papa Monialibus ſui Ordinis exemptis à juriſdictione Prælatorum ipſius Ordinis, quia ubi eſt eadem ratio, debet adeſſe eadem Juris diſpoſitio: cum autem in caſu præſenti adſit eadem ratio, idem nempe ſtatus Religioſus, debet ſimiliter adeſſe eadem Juris diſpoſitio, quòd gaudeant nempe iiſdem privilegiis Moniales ejuſdem ſtatus Religioſi, quamvis ſubjectæ Ordinariis locorum; cum non deceat Moniales, quæ tanquam exemptæ gaudebant privilegiis ſui Ordinis, privari uſu dictorum privilegiorum, ex eo præciſè quòd ſint factæ ſubditæ locorum Ordinariis, ut advertit *P. de privileg. Monial. cap. 9. quæſit. 1. 2. & 3. ubi cit. Portel. part. 2. reſp. Moral. caſu 14. nu. 3., Paſqual. deciſ. 178. nu. 3., Peyrin. tom. 2. privil. Conſt. 8. S. Pii V. §. 2. nu. 3. & in ſpecie Tambur. de Jur. Abbatiſs., qui loc. cit. quæſit. 2. nu. 2. 3. & ſeq.* unà cum *aliis Canoniſtis* ſuſtinet, Moniales, ut ſupra, gaudere privilegiis, ut ſupra.

12 Ad primum igitur negatur antecedens, quia eò ipſo, quò privilegia conceduntur Monialibus Ordinis S. Benedicti, non diſtinguendo exemptas à non exemptis, intelliguntur conceſſa omnibus, & ſingulis exemptis, & non exemptis, cum omnes ſint Moniales ejuſdem Ordinis, quamvis ſub gubernio diverſorum Prælatorum: quandoquidem Moniales non exemptæ, licèt non ſint ſpecialiter nominatæ, intelliguntur tamen comprehenſæ per illa verba generalia; *Concedimus Monialibus Ordinis*

nis S. Benedicti, cum revera, licèt ſint immediatè ſubjectæ Ordinariis locorum, ſint membrum ejuſdem corporis, hoc eſt, ipſius Ordinis S. Benedicti, ideòque capaces gaudendi privilegiis conceſſis toti corpori, ſcilicet toti Ordini: & hinc habetur, quòd Bulla privilegiorum in caſu noſtro ſortiatur integrum ſuum effectum reſpectivè ad omnes, & ſingulas Moniales, quia omnes, & ſingulæ Moniales, quatenus omnes, & ſingulæ, de Ordine cuius ſunt, ſufficienter intelligantur nominatæ in eadem Bulla favorabili; non enim ex eo, quòd tranſlatæ fuerint à juriſdictione Prælatorum Ordinis ad ſubjectionem Epiſcoporum, exierunt ab Ordine ſuo, ita ut ampliùs non ſint Ordinis ſui, nec renunciarunt juribus fruendi privilegiis ſpiritualibus ejuſdem Ordinis, cujus Habitum induerunt, & Regulam, etiamſi vivant ſub gubernio Epiſcoporum, adhuc practicè profitentur.

Ad ſecundum ſatisfit, retorquendo argumentum ſic: Pontifex dicendo; *Concedimus Monialibus Ordinis S. Benedicti Indul-*
13 *gentiam Plenariam in die feſto S. Scholaſticæ ejuſdem Ordinis*, nominavit per illa verba *Omnibus Monialibus* omnes Moniales ejuſdem Ordinis; ergo mens Pontificis fuit, illam Indulgentiam concedere omnibus Monialibus, tam exemptis, quàm non exemptis ipſius Ordinis, ideòque Moniales hujuſmodi, licèt ſubditæ Epiſcoporum, debent gaudere privilegiis Monialium ſubditarum ipſius Ordinis, cum adſit eadem ratio ex una parte, & privilegium ex alia non extendatur ultra, & contra voluntatem concedentis, quia in omnibus Monialibus tam exemptis, quàm non exemptis, adeſt idem ſtatus Religioſus, & per ly *omnibus* ſatìs habetur, quòd mens, & voluntas Papæ in concedendo privilegio fuerit, & voluerit includere omnes quomodolibet Moniales totius Ordinis gaudere privilegio. Et hinc Confeſſarius ordinarius conſultus ſuper hoc dubio à Moniali, qualiſcunque Ordinis ſit, Monaſterii ſubjecti Ordinario, habet regulam ſatisfaciendi in integrum, & modum

con-

Digitized by Google

conſolandi Monialem ſuam, reſpondendo, ipſam gaudere privilegiis, quibus fruuntur aliæ Moniales ſui Ordinis exemptæ à juriſdictione Ordinariorum, & adhuc viventes ſub obedientia Prælatorum ejuſdem Ordinis ſui.

Abbatiſsa Monialium Ordinis S. Claræ, abſoluto biennio ſui Abbatiſſatus, fuerat immediatè denuo electa capitulariter in Abbatiſſam, & propterea quæſitum fuit; utrùm denuo, & immediatè electa recurrendum eſſet ad Sacram Congregationem.

Deſideratur Votum Confeſſarii.

RESOLUTIO LVII.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, hanc ultimam electionem eſſe nullam,*
2 *Quia obſtat* Bulla Greg. XIII., *& biennium apud iſtas reputatur triennium,*
3 *Quia etiam poſſet non acceptari à Monialibus contrariis huic electioni.*
4 *Eo modo, quo Officialis creatus à Barone ultra annum, poteſt recuſari ab Univerſitate.*
5 *Quibus non obſtantibus, reſolvimus in contrarium,*
6 *Quia licèt anteactis temporibus Abbatiſsæ Ordinis S. Claræ ad unum annum, poſtea ad duos annos duraverint; Hodie tamen receptum eſt, ut poſt biennium ad alterum annum poſſint denuo eligi,*
7 *Immo expreſsè colligitur ex* Bulla Sixti V. *ſuper hoc negotio emanata;*

8 *Inſu-*

8 *Inſuper pro nobis ſtat etiam* Bulla Greg. XIII.

9 *Satisfit primo objecto, negando antecedens, quia* Bulla Greg. XIII. *potiùs eſt favorabilis.*

10 *Neque ullatenus dici poteſt, præcipuè in favorabilibus, biennium æquiparari triennio.*

11 *Secundum objectum diluitur ex ſupra enunciatis.*

12 *Nec obſtat, quòd Conſuetudo ſit in contrarium, quia hæc non habet vim Legis contra Legem expreſſam in Regula;*

13 *Paritas verò in contrarium adducta non currit,*

14 *Quia illic adeſt Lex in contrarium; hìc adeſt Lex in favorem.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, præfatam Monialem de novo, & ſtatim immediatè poſt abſolutum biennium Abbatiſſatus electam in Abbatiſſam eſſe nulliter electam à Capitulo Monialium, quia videtur obſtare *Bulla Gregorii*
2 *XIII. edita* 1. *Januarii* 1583., quæ incipit: *Expoſcit debitum*, qua prohibetur, quamcunque Abbatiſſam cujuſcunque Monaſterii intra fines totius Italiæ non poſſe durare in officio Abbatiſſatus ultra triennium, & hæc Lex indicta fuit ad tollendos abuſus, qui oriebantur ex iteratis electionibus, quæ fiebant de eadem Moniali ad Abbatiſſatum, quaſi ad vitam; cum autem apud Moniales ſub Regula S. Claræ biennium Abbatiſſatus præſcriptum pro facienda electione novæ Abbatiſſæ reputandum ſit propter eandem rationem, ac triennium Abbatiſſatus Monialium aliorum Ordinum, hinc eſt, quòd electio noviter facta, in hypotheſi ad theſim vocata, cenſenda ſit nullius valoris, & propterea recurrendum ſit ad *Sacram Congregationem* pro validitate confirmationis, & habilitate ejuſdem noviter ad Abbatiſſatum nominatæ.

3 Præterea præfata Monialis noviter electa ultra biennium contra Statutum ſui Ordinis in Abbatiſsam poſset non acceptari ut Abbatiſsa ab illis Monialibus, quæ illam fortaſſe non no-

Digitized by Google

nominarunt in Abbatiſſam, & hic caſus exemplificatur à *Tamb. de jur. Abbatiſs. diſp. 30. quæſ. 5. nu. 7. à Donat. tom. 4. tract. 7. de elec. Abbatiſs. quæſt. 25. nu. 2. & ab aliis citat.* ibi, dicentibus, quòd ſicuti Officialis creatus à Barone ultra annum poteſt recuſari ab Univerſitate; ita pari paſſu poterit non acceptari in
4 Abbatiſſam Monialis electa ultra biennium, ſtatutum à Jure municipali, hoc eſt à Regula S. Claræ in præfato Monaſterio: ſecus Moniales poſſent ad ſui beneplacitum eligere Abbatiſſam; quod tamen non eſt dicendum, cum teneantur ad validitatem actus ſervare Statuta ſua pro bona electione Abbatiſsæ.

5 His tamen minimè obſtantibus, reſolvendum cenſeo, Abbatiſſam Monialium S. Claræ, abſoluto biennio ſui Abbatiſſatus, poſſe de novo, & immediatè eligi capitulariter in Abbatiſſam ad alium annum, ſinè ulla facultate obtinenda à *Sac. Congregatione*, & ratio apertiſſima eſt, quia licèt temporibus *Nicolai V.*, ut notat *Miranda in ſuo Manual. Prælat. Reg. tract. de Monial. quæſt. 9.* ſtatutum, & ordinatum fuerit ab eodem Pontifice, Abbatiſſas Monialium Ordinis S. Claræ duraturas eſſe ad annum dumtaxat in partibus ciſmontanis, hoc eſt intra fi-
6 nes Italiæ, & locorum adjacentium, ut habetur in monimentis ordinis Minorum de Obſervantia, & ex eodem *Miranda*; quòd quidem *Statutum Nicolai* poſtea confirmatum fuit à *Leone X.*, quatenus conforme ad *Regulam ejuſdem S. Claræ cap. 24.*, ex *citato Miranda*; & in Regula, quæ hodie obſervatur cautum eſt expreſſè, Abbatiſſam, completo biennio ſui Abbatiſſatus, quod eſt computandum à die ſuæ electionis, poſſe iterum, & immediatè eligi ad alium anum in Abbatiſſam; immo ſi ex *citato Miranda Sixtus V.* in ſui *Conſtitutione* emanata *die 29. Julii 1587. Pontificatus ſui anno 3., & publicata in Capitulo
7 generali Fratrum Minorum de Obſervantia Romæ celebrato in Conventu de Ara-Cæli pro bono gubernio Monialium S. Claræ*, decrevit, Abbatiſſas ejuſdem Ordinis, *non per biennium tantùm, juxta Decre-*

cretum in Capitulo Generali Pariſienſi ejuſdem Ordinis editum, ſed ſaltem per triennium integrum duraturas, ſtatim deducitur, præfatam Abbatiſsam, completo dicto biennio ſui Abbatiſsatus, eligi poſſe ad alium annum immediatè ſequentem; quandoquidem Moniales electrices, ſi illam eligerent ad tertium annum, viderentur in hac parte adimplere *Conſtitutionem Sixti V.* ſtatuentis, Abbatiſsas Monialium S. Claræ debere eſſe triennales; præterquamquod habetur etiam in rem noſtram *Bulla Gregorii XIII.* ſuperiùs citata, qua volens *Sanctitas Sua* abolere perpetuitatem Abbatiſſarum apud Moniales totius Italiæ, & Inſularum adjacentium, & ſanè non ſolùm earum Monialium,
8 quæ profitentur vitam Monachalem S. *Benedicti*, & Ciſtercienſis, ac Carthuſiani Ordinis, ſed etiam aliarum omnium Monialium mendicantium propter illam clauſulam, *& aliorum quorumcunque Ordinum* ibi appoſitam, decrevit, ordinavit, & expreſsè declaravit, Abbatiſsas in poſterum debere eſse triennales, & non ultra; & propterea ſi Moniales Ordinis S. Claræ, utpote mendicantes, eligendo præfatam Abbatiſſam ad alium tertium annum, illam eligerent ad mentem Pontificis; & ſic adhærendo huic Conſtitutioni generali pro omnibus Abbatiſſis Monialium *quorumcunque Ordinum*, & ſimiliter *citata Conſtitutioni Sixti V.* ſpeciali pro Abbatiſſis Monialium S. Claræ, potuiſſent ipſæ Moniales S. Claræ eligere ab initio præfatam Abbatiſsam, non ſolùm ad biennium, verùm etiam ad triennium, clariſſimè deducitur etiam nunc, abſoluto biennio dictæ Abbatiſsæ, illam eligere poſſe ad tertium annum pro complendo triennio, ad quod habent jus eligendi.

9 Ad primum igitur negatur antecedens, quia *Conſtitutio Gregoriana* non ſolùm non obſtat, ſed potiùs eſt favorabilis in contingentia facti: nam, etſi finis *Gregorii* fuerit evellere graves abuſus, qui oriebantur in dies apud Moniales ex perpetuitate Abbatiſsarum, ſtatuit tamen, Abbatiſsas in poſterum eſſe triennales, & ſic decernendo, ſibi viſum fuit ſatis proviſum

pro

pro extirpandis abuſibus provenientibus ex nimia, vel quaſi perpetua duratione Abbatiſſarum in officio, ut innuit in *eadem Bulla* per illa verba: *perpendentes igitur varia, & multiplicia damna, quibus plerumque afficiuntur Monaſteria, quæ per Abbatiſſas perpetuas reguntur, è contra verò Abbatiſsas triennales ſcientes, ſe, elapſo triennio ſuæ adminiſtrationis, rationem eſſe reddituras &c., pœnam ſi malè ſe geſſerint metuentes, majori ſtudio &c., adminiſtrationem &c., gerere.* Qui finis optimus *Summi Pontificis* fore ut futurus eſſet in noſtro caſu, ubi Abbatiſſa, completo biennio ſui Abbatiſſatus, iterum eligeretur ad alium annum dumtaxat, & non ultra. Ad illud autem, quod addebatur, biennium ſcilicet Abbatiſſatus apud Moniales S. Claræ reputandum eſſe ac triennium Abbatiſsatus apud reliquas Moniales, & ſic non poſſe Abbatiſſam, completo biennio, denuo eligi, ut ſupra pro alio anno in Abbatiſſam, quemadmodum Abbatiſſa aliorum Ordinum, completo triennio ſui Abbatiſſatus, non poteſt ampliùs eligi, neque ad unum alium annum, immo debet ſtatim ceſſare omnimodè ab officio, & ſic ſpoliata Abbatiſſatu manere per integrum triennium: reſpondetur negativè,
10 cum biennium nullo modo æquivaleat triennio, & præcipuè in favorabilibus, ut in contingentia facti; & præſertim quia triennium pro Abbatiſſatu fuit determinatum, & limitatum à *Summis Pontificibus*; biennium autem decretum fuit à ſolo *Capitulo generali Fratrum de Obſervantia Pariſiis celebrato*, ſupra quod Capitulum eſt Papa, quemadmodum eſt ſupra Concilia Provincialia, nationalia, & generalia in tota Eccleſia univerſali, unde *Sixtus V.* in *citata Bulla* de facto ampliavit tempus durationis Abbatiſſatus, quod fuerat limitatum ab eodem Capitulo, ut dictum fuit ab anno, prout erat in uſu, juxta conſuetudinem ortam cum Ordine ipſo, uſque ad biennium integrum, ampliavit, inquam, *Sixtus* tempus Abbatiſſatus, illud extendendo uſque ad triennium integrum; ex qua extenſione etiam evincitur, præfatum biennium non æquivale-

re ullo modo triennio, ſecus *Decretum Sixti* pro Monialibus S. Claræ nihil operaretur, quod non eſt dicendum; quibus ſtantibus, ſtat in hypotheſi noſtra, non eſſe recurrendum ad *Sac. Congregationem* pro confirmanda noviter electa in Abbatiſſam, cum ſatis ſit proviſum ex *Bulla ſpeciali ejuſdem Sixti*.

Ad ſecundum negatur ſuppoſitum, quia in *Regula S. Claræ* cautum eſt, adveniente caſu, quo Abbatiſsa, completo biennio ſui Abbatiſſatus, ſtatim, & immediatè iterum eligatur capitulariter in Abbatiſſam, poſſit eadem Abbatiſſa
11 perſeverare in gubernio ad alium annum, quod ſanè intelligendum eſt, non obſtante conſuetudine in contrarium, quia etſi conſuetudo habeat quandoque rationem quaſi Legis, nullam tamen vim Legis habet contra Legem expreſſam in
12 Regula, quamvis hæc non ſit in uſu, quia quòd non ſit in uſu non operatur, ut nequeat poni in eſſe, volentibus Monialibus Capitularibus uti jure ſuo, eligendo dictam Abbatiſsam ad alium annum ultra completum biennium, ad formam ſuæ Regulæ, præſertim accedente auctoritate ad hujuſmodi electionem ipſis data à *Sixto V. in Bulla citata in ſuo Manuali à Miranda loc. cit.*, & Abbatiſsa non poſset acceptari ab aliis Monialibus, quia ejus electio, quatenus facta ad formam Regulæ, ut ſupra, & juxta *Decretum Sixti Papæ V.* eſſet canonica; electio autem canonica operatur, quòd electa debeat acceptari generaliter ab omnibus Monialibus in Abbatiſſam, & in hoc non eſt diſputandum. Ad illud verò, quod addebatur in contrarium, exemplo Officialis, qui poſset recuſari ab Univerſitate ſi deputaretur ultra annum à Barone, reſpondetur, pari-
13 tatem non currere, eò quòd contra Baronem adeſt Lex in contrarium. In caſu autem noſtro adeſt Lex in favorem, ut no-
14 tavimus in ſuperioribus: ad illud ultimũ tandem reſpondetur, Moniales poſse eligere Abbatiſsas quoad tempus durationis in Abbatiſsatu ad ſui beneplacitum, modò non excedat triennium in duratione Abbatiſsatus, & ſic poſsunt ſibi eligere in Abba-

Digitized by Google

Abbatiſsam ad annum, vel ad biennium, & etiam ad triennium dumtaxat, quia licèt fuerit eis indictum, & limitatum tempus triennale pro Abbatiſsis, & non ultra, non tamen fuit eiſdem prohibitum, quòd poſſint eligere Abbatiſsas ad brevius tempus, ut declaravit *Sac. Cong. Cardinalium in una Ariminen.* 18. *Novembris* 1595., ut ajunt *Tambur. de Jur. Abbatiſs. diſp.* 30. *quæſit.* 3. *nu.* 10., *Donat. tom.* 4. *tract.* 7. *quæſt.* 26. *nu.* 2. *& Alii cit. ab iiſdem*.

Moniales paulò antequam congregarentur Capitulariter pro electione novæ Abbatiſsæ tractarunt inter ſe, an poſſent eligere Monialem, quam putant valde dignam Abbatiſsatus, ſed illegitimam: orta autem contentione inter ſe ſuper poſse, & non poſse, illam eligi, quæſierunt reſolutionem à Confeſſario: igitur

Expectatur Sententia ejuſdem Confeſſarii.

RESOLUTIO LVIII.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, Monialem illegitimam, ſed habentem cætera requiſita à Jure præſcripta poſſe eligi in Abbatiſſam,*

2 *Quia non habetur* Canon *in contrarium;*

3 *Et, ſi quis eſt* Canon *ſolùm verſatur circa Viros, non verò circa Fœminas; & odia ſunt reſtringenda.*

4 *Et cum probibeant* Canones *promovere ad Dignitates perſonas illegitimas, ad Abbatiſſatum Monialium non ſunt interpretandi;*

Digitized by Google

5 *Quandoquidem Abbatiſſatus non eſt Dignitas propriè ſumpta:*

6 *Præterea Monialis illegitima habilitatur ad Abbatiſſatum per ſolemnem Profeſſionem.*

7 *Et ſi Vir Regularis illegitimè natus habilitatur ad Ordines Sacros ſuſcipiendos per Profeſſionem emiſſam in Religione, multò magìs Monialis ad Abbatiſſatum &c.*

8 *Immo* Bulla *loquens contra maſculos tantùm, videtur favere mulieribus;*

9 *In contrarium tamen eſt reſolvendum,*

10 *Quia, licèt* Canones *loquantur de maſculis, interpretandi tamen ſunt etiam de fœminis,*

11 *Quia finis iſtius Legis eſt prorſus idem in utriſque.*

12 *Authoritas* Doctorum, & Conc. *ſuadet, Abbatiſſatum eſse Dignitatem;*

13 *Quare recurrendum eſſet ad* Sac. Cong. *pro diſpenſatione.*

14 *Ad primum negatur ſuppoſitum;*

15 *Odia verò ſunt reſtringenda, niſi identitas rationis obliget in contrarium, ut in noſtro Caſu.*

16 *Abbatiſsatus verò habet quamdam ſpeciem Prælationis, & Dignitatis.*

17 *Ad ſecundum negatur pariter ſuppoſitum,*

18 *Quia nos loquimur de Abbatiſsatu Monaſterii non exempti,*

19 *In quibus praxis docet, Epiſcopos non eſse ſolitos confirmare in Abbatiſsas Moniales illegitimas;*

20 *Immo nec permittere capitularem electionem hujuſmodi:*

21 *Unde per non uſum, & renunciationem Privilegii non valet diſcurſus ab inductione,*

22 *Et clariſſimè confirmatur hæc ſententia per* Declarationem Sac. Cong. editam de Anno 1630.

1 PRo Reſolutione videtur, dicendum, Monialem illegitimam, habentem verò cætera requiſita, & præſertim quæ præſcribuntur à Jure, hoc eſt in *Conc. Trid. ſeſs. 25. de Regul. cap. 7.*

cap. 7., quòd ſit nempe quadragenaria, & Profeſſionis octonaria, eligi poſse in Abbatiſsam ſui Monaſterii, quia non reperitur ullus *Canon*, qui ob defectum natalium inhabilitet Mo-
2 niales ad Abbatiſsatum, & Prioratum: quandoquidem *Textus cap. 1. & cap. final. de filiis Presbyterorum*, licèt inhabilitent illegitimos, illoſque faciant irregulares ad Officia, & Dignitates,
3 nihilominus loquuntur dumtaxat de maſculis, & propterea non intelliguntur comprehenſæ fœminæ, juxta illam Juris regulam 13. *Odia ſunt reſtringenda*, quia in odioſis genus maſculinum non continet fœmininum, ſicuti è contra in favorabilibus, propter eamdem regulam: & præcipuè in caſu noſtro, ubi Ab-
4 batiſsatus, aut Prioratus Monialium non ſunt propriè Dignitas, quæ inferat prælationem cum juriſdictione in utroque foro, poli ſcilicet, & fori, ut inquit *Donatus tom. 2. part. 3. tract. 9. de Prælat. quæſt. 3.*, Jura autem, quæ inhabilitant illegitimos ad Officia, & Dignitates, loquuntur de Dignitatibus cum ju-
5 riſdictione ſpirituali, cujus mulieres ſunt incapaces, ut notavimus alibi cum *communi Doctorum*; unde clarè infertur, Monialem illegitimam, non rejectam expreſsè ab ullo Canone ab Abbatiſsatu, qui, propriè loquendo in fœmina, non eſt Dignitas, cum juriſdictione ſpirituali, optimè poſſe eligi à Monialibus in ſui Abbatiſsam.

6 Præterea Monialis illegitima, quamvis ex defectu natalium, videatur inhabilis ad Abbatiſsatum, eſt tamen habilitata ad illum à ſolemni Profeſſione, quam emiſit, quod enim operatur ſolemnis Profeſſio in Regulari illegitimo, illum habilitando ad omnes Ordines ſuſcipiendos, præterquam ad ſupremam Præfecturam ſui Ordinis, & ad Epiſcopatum, abſque
7 ulla alia diſpenſatione Papæ, debet ſimiliter operari in Moniali illegitimè nata, ut poſsit aſcendere ad Abbatiſsatum, maximè quia iſte gradus nullo modo eſt æquiparandus Sacris Ordinibus, & præcipuè propter eorum juriſdictionem ſpiritualem, quam conferunt Ordinato. Hinc notat *Tambur. de jure*

Ab-

Digitized by Google

Abbatiſs. diſp. 28. *quaſt.* 11. *nu.* 2. cum *Portell.*, *Mirand.*, *& Roderic.*, cum *Bulla Sixti V. edita contra illegitimos* nullam faciat mentionem fœminarum, ſed loquatur tantùm contra maſculos,
8 ſequitur etiam ex hoc titulo, Monialem illegitimam eligi poſſe in Abbatiſsam, & roboratur illatio, inquit *Julius Lavorius in ſuis Lucubrat. tit.* 4. *cap.* 24. *nu.* 38. ex *deciſ. Sac. Cong. Cardinal.* 4. *Octobris* 1594., qua *Eminentiſſimi declararunt*, *Moniales illegitimo thoro procreatas in dicta Conſtitutione non comprehendi*, *quò minus ad officium*, *& dignitatem Abbatiſsatus*, *vel Prioriſsæ*, *aliave munia Monaſterii eligi poſſint*.

9 His tamen minimè obſtantibus, Reſolvendum eſt in contrarium, tanquam in probabiliorem, & in practica tutiorem partem, dicendo, Monialem illegitimam, hoc eſt illegitimo thoro procreatam, non poſſe in Abbatiſſam, ſive Prioriſſam Monaſterii eligi ſinè diſpenſatione Papæ, ut docet *Homobonus noſter*, *aliàs Pœnitentiarius de ſtat. Relig. cap.* 24. *part.* 1., *& Donat. tom.* 4. *tract.* 7. *de elect. Abbatiſsæ quæſt.* 37. unà cum *pluribus gravioribus Canoniſtis nu.* 9.: *horum* autem *Doctorum* motiva rationabilia pro ſui ſententia negativa ſunt: in primis ex *Cap.* 1. *& ſeqq. de filiis Preſbyter. etiam in* 6., quæ Statuta, quamvis ſint
10 odioſa contra maſculos illegitimos, intelligenda ſunt etiam contra fęminas illegitimas, quia finis intentus à Lege eſt omnimodè ſimilis, hoc eſt timor imitationis incontinentiæ paternæ, inquit *Decius in l. fœminæ nu.* 110. *ff. de Regul. Jur.*, ut notavit *Donat. loc. cit. nu.* 10. & officium Abbatiſsæ eſt dignitas, & à dignitate adepta *dejiciatur*, ut docet *Gloſſa in l. Generali C. de Sacro-*
11 *ſanct. Eccleſ. verb. Dignitatis notat Donat. cit. nu.* 10., & ratio potiſſima eſt, quia Abbatiſſa revera fungitur officio prælationis in omnibus, quorum fęmina poteſt eſſe capax; quare *Conc. Trid. ſeſs.* 25. *de Regular. cap.* 7. decrevit, Abbatiſſam debere
12 eſſe quadragenariam, & ſaltem octonariam à Profeſſione, quæ quidem requiſita, tanquam neceſſaria, ad bene exercendam Abbatiſſatus dignitatem, non decreviſſet, niſi adjudicaſ-

caſ-

Digitized by Google

caſſet, Abbatiſſatum in ſe eſse Dignitatem; habet enim (inquit *P. de Irregularit. Monial. cap. 8. quæſt. 31. nu. 43.*) Abbatiſsa quamdam, quaſi Prælationem inter Moniales, quam natalium defectus obſcurant, niſi aliunde inſignes dotes cohoneſtent, ideòque Monialem illegitimo thoro procreatam ab eadem Abbatiſſatus prælatione, & Dignitate, tanquam irregularem arcendam, donec diſpenſetur à Summo Pontifice, prout ſolet practicari, adveniente hujuſmodi contingentia fa-
13 cti, recurrendo ad *Sac. Cong. S. R. E. Cardinalium ſuper negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium*, ex motivis duobus dumtaxat; nimirum pro ſpirituali profectu Monaſterii, & ejus temporali gubernio; tunc enim *Sac. Cong.* ſolet indulgere, ut in reliquis, ſervatis ſervandis, Moniales poſſint eligere Monialem, quam poſtulant in Abbatiſſam, quamvis illegitimo thoro procreatam, ut docet experientia; recedendo à *ſui declaratione in contrarium data die* 17. *Aprilis* 1630., & citata à *doctiſſimis Canoniſtis*, à quibus non eſt recedendum, claudit relatus *Donatus loc. cit. nu.* 14., et

14 Ad primum negatur ſuppoſitum; habentur namque Jura in contrarium mox relata pro fundamento Reſolutionis *de filiis Presbyterorum*, & alia, quæ propter identitatem rationis, intelligenda ſunt, non ſolùm contra maſculos illegitimo thoro procreatos, ſed etiam contra mulieres illegitimas, ut docent *doctiſſimi Canoniſtæ* apud *citatum Donatum nu. 9. & 14.* Ad illud, quod dicebatur: odioſa nempe reſtringenda, reſpondetur, hujuſmodi regulam obſervandam eſſe, quando identitas
15 rationis non obligat in contrarium; cum autem in præſentiarum ratio arcendi maſculos regulares illegitimos à Prælaturis ſuæ Religionis, hoc eſt timor imitationis incontinentiæ paternæ, militet etiam contra mulieres illegitimo thoro procreatas; hinc eſt, hujuſmodi Moniales comprehendi in *dicto Canone* propter identitatem rationis, maximè quia Abbatiſsatus, ſive Prioratus, inter Moniales, quamvis revera non ſit vera Dignitas,

gnitas, & Prælatura in ſe, ob defectum juriſdictionis ſpiritualis,
cujus eſt incapax à Jure Divino, & humano quæcumque fęmi-
16 na, habet tamen quamdam ſpeciem prælationis, & dignitatis,
cum præſit, imperet, & gubernet, quaſi caput myſticum cæ-
tera membra Monaſterii, hoc eſt Moniales, quæ ipſam vene-
rantur, & ipſi obtemperant in omnibus ad regularem diſci-
plinam pertinentibus: ideòque, Monialem illegitimam non
poſſe eligi in Abbatiſsam, niſi obtenta diſpenſatione Ponti-
ficia, ut clariùs oſtenditur; dum

17 Ad ſecundum reſpondetur, negando ſuppoſitum; in pri-
mis, quia nos, in hypotheſi ad theſim vocata, loquimur de
Moniali illegitima, exiſtente in Monaſterio; non exempto,
18 ubi fortè adeſt ſpeciale privilegium, cui nunquam renuncia-
runt Superiores Regulares, poſſe ſcilicet, & de facto eligere
in Abbatiſsas, etiam illegitimas ſibi ſubjectas; ſed in Mona-
ſterio ſubjecto Ordinario, Epiſcopo nempe: Epiſcopi autem,
19 ut praxis docet, nullo habito reſpectu ad hujuſmodi privile-
gium, non ſolent in contingentia facti confirmare in Abbatiſ-
20 ſas, Moniales illegitimo thoroprocreatas, immo nec permit-
tere Capitularem electionem hujuſmodi, niſi præhabita in
ſcriptis facultate à *Sac. Cong. Epiſcoporum*, & *Regularium*, di-
ſpenſante ſuper illegitimitate illius eligendæ: unde per non
21 uſum adducti Privilegii, & per renunciationem poſitivam
ejuſdem ex continuatis actibus in contrarium, non ſubſiſtit ra-
tiocinium ab inductione, & præcipuè, ſtante *Deciſione ejuſdem*
Sac. Cong. edita die 17. *Aprilis de anno* 1630., contra quam ad ni-
hilum valet *Declaratio ipſius Sac. Cong. facta ſub die* 4. *Octobris*
1594., juxta illam regulam; *Poſteriora derogant prioribus*, & pro-
pterea quamvis *Congregatio declaraverit*, currente *anno*, *ut ſupra*
1594., mulieres non comprehendi in *Bulla Sixti V.*, contra
maſculos illegitimos, propter illam rationem, hoc eſt, quia
dicta Bulla non facit ullam mentionem de fęminis, & de eo
tempore potuiſset reduci ad praxim, nunc autem non eſt am-

pliùs

22 pliùs practicanda, quia *Deciſio poſterior emanata de anno* 1630. *ab eadem Sac. Cong.* inhabilitat Moniales illegitimas ad Abbatiſsatum, unde firmatur anteacta Reſolutio in præfatâ contingentia facti.

Ordinarius, & Abbatiſsa præcipiunt diverſa Opera pia Monialibus, quæ aliàs Regularibus ſubjectæ emiſerunt vota in manibus Superiorum ſui Ordinis &c.

Quæritur cui, & ſub qua culpa Moniales teneantur obedire.

RESOLUTIO LIX.

SUMMARIUM

1 *Videtur dicendum, hujuſmodi Moniales teneri obedire potiùs Abbatiſsæ, quàm Ordinario,*

2 *Quia per Votum Obedientiæ adſtrinxerunt ſe obedire, juxta, & ſecundùm* Conſtitutiones Monaſterii, *non citra, & extra eaſdem.*

3 *Quod eruitur ex Formula, quæ pronunciatur in manibus Superiorum à Monialibus dum profitentur ſua Vota;*

4 *Immo Abbatiſsa anteceſſit tempore Ordinarium in Superioritate Monialium;*

5 *Quare concluditur, Moniales renuentes in hoc caſu obedire Ordinario nullo modo peccare.*

6 *Attamen reſolvitur in contrarium:*

7 *Quia Ordinarius authoritate Apoſtolica, quâ fungitur, locum tenens*

Digitized by Google

ſupra quoſcumque Superiores Ordinum Regularium, praeminet etiam Superioribus iſtarum Monialium;

8 *Quapropter obtemperare debent Epiſcopo, poſthabito mandato Abbatiſsæ:*

9 *Nec ipſamet Abbatiſsa eximitur ab onere obediendi huic mandato, cum & ea ſit verè ſubdita Ordinario:*

10 *Eo modo, quo Superiores locales Regularium tenentur obedire Provinciali, &, poſthabito Provinciali, ſupremo Generali:*

11 *Jus enim docet, quòd major poteſtas ad obediendum præponitur, ne oriatur confuſio inter Superiores, & inter ſubditos perplexitas obediendi,*

12 *Quam doctrinam authoritate* Donati, *&* D. Thomæ *confirmamus:*

13 *Præterea animadvertimus, hoc mandatum Epiſcopi non eſſe extra obligationem Regulæ, ſed implicitè contineri in ipſa; quod maximè evidens argumentatio demonſtrat.*

14 *Quid mirum igitur, ſi incontingentia facti arbitramur, poſthabendum eſſe mandatum Abbatiſsæ, & ſtandum mandato Epiſcopi?*

15 *Non obſtat primum obiectum, quia diluitur ratione jam ſupradicta.*

16 *Neque obſtat ſecundum, quia Epiſcopus ſuffectus in omnibus, & per omnia in locum cujuslibet Superioris Regularis, habet poteſtatem undequaque majorem ſupra Prioriſſam.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Moniales hujuſmodi teneri obedire potiùs Abbatiſſæ, quàm Ordinario, quia ratione Voti Obedientiæ ſe adſtrinxerunt obedire juxta, & ſecundùm Conſtitutiones, & Regulas Monaſterii, ut ſonat man-
2 datum Abbatiſsæ, non autem citra, & extra præſcripta in Conſtitutionibus, ut jubet Ordinarius, quòd clarè colligitur
3 ex Formula ſolemnis Profeſſionis, quæ pronunciatur in manibus Superiorum à Monialibus, dum profitentur ſua Vota.

Secundò. Præterea Moniales, de quibus ſermo eſt in præſen-

ſenti, cum emiſerint Vota ſua in manibus Superioris ſui Ordinis, quem habebant in ordinarium immediatum, necnon & Prioriſſæ Monaſterii de illo tempore, videntur ratione Profeſ-
4 ſionis taliter emiſſæ teneri obedire priùs Prioriſſæ, & dein Ordinario, quia Prioriſſa prior in tempore in earum ſuperioritate, videtur etiam potior jure, ad exigendam ſui obedientiam, & per conſequens videtur, Moniales ipſas teneri priùs
5 obedire Prioriſſæ, & poſtea Ordinario, & ſic in caſu propoſito, renuendo obedire Ordinario, nullo modo peccare.

6 His tamen non obſtantibus, reſpondeo, dicendum, præfatas Moniales teneri obedire priùs Ordinario, quamvis propter dicenda inferiùs, mandatum Ordinarii, hoc eſt Jejunium unius diei videatur eſſe citra, & ultra obligationem Conſtitutio-
7 num Monaſterii; & ratio eſt, quia Ordinarius locum tenens auctoritate Apoſtolica omnium Superiorum Ordinis Regularium, quibus aliàs erant ſubjectæ, habens plenariam poteſtatem ſupra ipſas, ac ſi eſſet non ſolùm Prior Provincialis, ſed veluti totius Ordinis ſui ſupremus Prior generalis, cui debebatur prælatio obedientiæ comparativè ad Prioriſſam, ſimiliter
8 eidem Ordinario præcipienti ea ſuprema auctoritate, & poteſtate, qua pollet, indictum Jejunium illius diei, debent Moniales omnes obedire, poſthabito mandato Prioriſſæ de recitatione
9 Coronæ B. V. Dixi, Moniales omnes, eò quòd etiam ipſa Prioriſsa teneatur parere præfato mandato jejunandi pro illa die, cum Prioriſſa, non obſtante ſui gradu Prioratus, ſit vera ſubdita Ordinario, & per conſequens ut adſtricta ſolemni Voto Obedientiæ, obligata parere mandatis ejuſdem, adinſtar
10 Superiorum localium intra clauſtra virorum Regularium, qui tenentur obedire ſuo Provinciali, & multò magìs poſthabito Provinciali, ſupremo Generali; Major enim poteſtas ad obe-
11 diendum præponitur, ut ex *capite Quæ contra mores 2. diſtinct.* 8. advertit *Donatus tom. 4. de Voto Obedientiæ tract.* 17. *quæſt.* 24. *nu.* 1., ubi ad rem noſtram alia plura, quæ brevitatis gratia omit-

to; ſecus, ſubaddit *Suarez tom. 3. de Religione lib.* 10., *de Voto Obed. cap.* 11. *nu.* 6., oriretur magna confuſio inter Superiores, & inter ſubditos perplexitas obediendi; quapropter, claudit *Donatus*, quando major poteſtas præcipit contra præceptum
12 poteſtatis inferioris, cenſetur iſtius præceptum irritare, vel ſuſpendere, & conſequenter ſubditi non tenentur obedire, ut docet *S. Thomas* 2. *ſentent. diſtinct.* 44. *ſecunda ſecundæ quæſt.* 104. *art.* 5. *in corp.*

13 Advertendum cenſeo, ut tetigi ſupra, quòd quamvis mandatum Epiſcopi, nimirum illud Jejunium unius diei ab eodem Monialibus indictum cenſeatur eſſe extra obligationem Regulæ, adhuc tamen, ut indictum ab ipſo, continetur implicitè in ipſa Regula; & ratio eſt, quia ſicuti Regula continet explicitè obedientiam præſtandam Ordinario, ità implicitè continet omne id, quod præcipi poteſt per eundem Ordinarium. Cum autem Ordinarius ex juſto motivo, puta ex cauſa publica, nimirum mortalitatis hominum, animalium, & ſimilium calamitatum poſſit indicere jejunium ad placandum Deum, ut ſanctè agunt Superiores Regularium, occurrentibus neceſſitatibus ad ſalutem animarum; hinc eſt nullum adeſſe ſubterfugium pro inſubſiſtentia mandati Ordinarii ad caſum propo-
14 ſitum, & propterea Moniales, de quibus eſt ſermo, verè, & ſtrictè teneri obedire Ordinario, nullo habito reſpectu ad mandatum Prioriſsæ.

15 Ad primum igitur facilè reſpondetur, cum totum ratiocinium adductum ex modò dictis redigatur in nihilum, hoc eſt, ex eo quòd mandatum illius Jejunii, quamvis non ſit clarè explicitum in *Conſtitutionibus*, continetur tamen in ventre earumdem propter plenariam poteſtatem, quam habet Ordinarius in præcipiendo pro ſua prudentia, & charitate, faciendum eſſe aliquid in dies, prout in Domino adjudicaverit.

16 Ad ſecundum ſimiliter reſpondetur, totum ratiocinium nullius eſſe momenti, quia Ordinarius, cujus factæ ſunt ſubdi-

tæ

tæ Moniales, aliàs exemptæ, ſucceſſit authoritate Apoſtolica in locum Superioris Ordinis cum omnibus oneribus, & honoribus; ideòque pollens plenaria poteſtate dominativa, etiam ſupra Prioriſsam, poteſt imperare, ita & taliter, ut in concurſu ſui mandati, & mandati Prioriſsæ teneantur omnes, unà etiam cum ipſa Prioriſsa eidem Ordinario parere, quia ſuffectus authoritate Apoſtolica in omnibus, & per omnia in locum cujuslibet Superioris Regularis; habens itaque poteſtatem undequaque majorem ſupra Prioriſſam, habet potiora Jura exigendi omnium, & ſingularium Monialium promptā obedientiam ſub culpa gravi, niſi materia levis aliquando excuſaret.

Sempronia tanquam educanda in Monaſterio Corcirenſi, cupiens fieri Monialis, nondum tamen in ætate ad hoc requiſita, ut liberetur ab onere ſolvendi alimenta menſualia, exhibet Fidem Baptiſmatis ſenioris Sororis ſuæ jam præmortuæ, ex qua Prælatus, & Moniales judicantes, illam habere ætatem præſcriptam, ipſam admittunt ad Profeſsonem ſolemnem: elapſo autem decennio à die Profeſsionis, Sempronia dubitat de validitate actus, & ideò conſulit ſui Confeſſarium.

Deſideratur Conſilium ejuſdem Confeſſarii.

RESOLUTIO LX.

SUMMARIUM

1 *HUjuſmodi Profeſſio videtur dicenda valida: tum ex parte emittentis, cum ex parte acceptantis.*

Ex

Digitized by Google

2 *Ex parte emittentis, quia hæc videtur renunciaſſe privilegio non profitendi ante* 16. *annum;*

3 *Maximè quia hoc fuit à* Tridentino *præſcriptum in favorem profitentium, cui Sempronia ſponte renunciavit.*

4 *Ex parte acceptantis, quia Prælatus bona fide admiſit Profeſſionem Semproniæ.*

5 *Præterea ſi promotus ad ordinem Sacrum ante præſcriptam ætatem validè eſt ordinatus:*

Inſuper ſi promoveatur, ipſo inſcio, & abſque ipſius conſenſu, validè tamen ordinatur,

Cur invalida erit Profeſſio Semproniæ ſcientis, & abſolutè volentis profiteri ante præſcriptam ætatem? ergo &c.

6 *Quibus non obſtantibus, dicendum cenſeo, Semproniam illicitè, invalidèque, immo culpabiliter Profeſſam fuiſſe (niſi excuſetur à culpa propter inadvertentiam)*

7 *Quia temerariè tranſgreſſa eſt* Legem Tridentini *in materia gravi, & expreſsè prohibentem, ac irritantem Profeſſiones Regularium utriuſque ſexus ante decimum ſextum annum emiſſas.*

8 *Ulteriùs cum Profeſſio Regularium habeat vim, & rationem contractus utrinque obligatorii; hinc eſt, quòd ut validè ineatur, ſervanda ſint ea, quę Jure pręſcribuntur, tanquã neceſſariò ſervanda:*

9 *Ex parte acceptantis non tenet, quia iſte quidem fuit deceptus, ſed revera non habuit animum admittendi Profeſſionem Semproniæ, niſi juxta formam* Concilii Tridentini.

10 *Traditur quomodò ſe gerere debeat Confeſſarius cum eadem Sempronia.*

11 *Ad primum negatur antecedens quoad utramque partem,*

12 *Quia* Concilium *appoſuit tempus determinatum non tantùm in favorem profitentium, ſed ad validitatem etiam actus, & de ipſius ſubſtantia.*

13 *In rem noſtram conveniunt* Declarationes Sacræ Congregationis ejuſdem Tridentini.

14 *Ad ſecundum, dato antecedente, negatur conſequentia,*

15 *Quia*

15 *Quia diſpar eſt ratio in utroque caſu; illic enim non reperitur à* Concilio *irritata Ordinatio ante præſcriptum tempus facta, hic verò irritatur Profeſſio ante decimum ſextum annum emiſſa:*

16 *Illic ætas præſcripta non eſt de neceſſitate Sacramenti, hic autem eſt de eſſentia Profeſſionis.*

1 PRo Reſolutione videtur dicendum, Profeſſionem emiſſam à Sempronia, quamvis nondum conſtituta in ætate legitima, fuiſſe, & eſſe validam ex parte ſui, tum etiam ex parte Prælati acceptantis, conſentiente Capitulo Monialium,
2 quia Sempronia videtur, quòd renunciaverit illi privilegio, quòd profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum; fuit namque præſcriptum hoc à *Sacro Concilio Tridentino* ad favorem profitentium in quacunque Religione, tam virorum, quàm mulierum tale tempus, eò quòd aliàs tam maſculi, quàm fęminæ inducebantur profiteri Vota ſolemnia, ut plurimùm ſinè cognitione onerum, quæ ſibi imponebant, utpote
3 in minori ætate, ignorantes naturam, & graves obligationes Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, ad formam præſcriptam ab Inſtituto Ordinis, ubi profitebantur; quod quidem eveniebat multoties cum maximo animarum detrimento, quia ſępe contigit, Regulares Profeſsos, ſive Profeſsas ante decimum ſextum annum, completa ætate, pęnituiſſe de Profeſſione emiſſa: ſi autem Sempronia ſciens, ſe non habere requiſitam ætatem ad Profeſſionem, & nihilominus voluit profiteri, videtur ipſa renunciaſſe huic privilegio, & propterea Profeſſionem fuiſſe, & eſſe validam ex parte ſui: quod ſanè
4 videtur dicendum, etiam ex parte Prælati acceptantis ipſius Profeſſionem, quia Prælatus bona fide illam admiſit ad profitendum, cum conſenſu Capituli Monialium.

Præterea ſicuti promotus ſcienter, & doloſè ante ætatem præſcriptam ad ordinem ſacrum, exempli gratia ad Subdiaco-

na-

Digitized by Google

natum ante annum vigeſimum ſecundum, eſſet nihilominus
5 validè, quamvis non licitè ordinatus, ſimiliter in caſu noſtro præfata Sempronia in minori ætate, hoc eſt annorum quatuordecim, vel quindecim dumtaxat, ſi profiteretur Vota ſolemnia in manibus Ordinarii, ejus Profeſſio foret valida, licèt illicita, quatenus facta ante tempus à *Tridentino* præſcriptum; quinimmo, ſicuti ſi quis ordinaretur, ut ſupra, in Subdiaconum in infantili ætate, ipſo inſcio, & nullo præſtito aſſenſu ad ſui ordinationem, quamvis ſacro Subdiaconatus ordini ſint annexa, inter alia onera, illa duo, recitandi nempe Divinum Officium quotidie, & caſtitatem perpetuò ſervandi, quæ onera abſque conſenſu,& voluntate ordinati non videntur poſſe contrahi, hoc non obſtante, cenſeretur validè ordinatus; multò magìs præfata Sempronia in propoſito caſu, imponendo ſibi onera ſervandi toto tempore vitæ ſuæ tria Vota Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, ſub Regulari diſciplina, & hæc omnia cum plena advertentia, & cognitione hujuſmodi onerum validè profiteretur, quamvis non eſſet ætatis annorum ſexdecim completorum, ſecundùm Jus novum *Conc. Trid. ſeſs. 25. cap. 15.*

6 His tamen non obſtantibus, Reſolvo, dicendum eſſe, Semproniam in hypotheſi ad theſim vocatam, emiſiſſe Profeſſionem illicitè, & invalidè, ideòque peccaſſe graviter, niſi fortè foret excuſabilis à gravitate ex defectu cujuſdam inadvertentiæ, & inconſiderationis, quatenus pro illo tunc cogitaverit potiùs exonerare ſe à ſolutione alimentorum menſualium Monaſterio, quàm onerare ſe ipſam ad ſolvendas votorum obligationes quotidie toto tempore vitę ſuæ; & quòd illicitè ſe geſſerit clarè colligitur ex *Tridentino ſupracitato*, ubi habentur hæc verba: *In quacunque Religione tam virorum, quàm mulierum Profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum:* & dein ſubjungit: *Profeſſio autem antea facta ſit nulla*: ex quibus verbis clariſſimè conſtat Lex obſtans contra attentatum Semproniæ; quando-

doquidem Sempronia, ſciens non poſſe fieri Profeſſionem ſolemnem in Religione ante præſcriptam ætatem, & nihilominus voluerit facere, ut quantocius liberaretur à ſolutione, menſualium alimentorum, auſu temerario tranſgreſſa eſt Legem in materia gravi, ideòque illicitè, & culpabiliter, & propterea etiam invalidè profeſſa fuit, cum nullitas ejus profeſſionis, ante ætatem indictam à *Concilio*, declarata fuerit ab eodem *Tridentino* dicente ibi; *Profeſſio autem antea facta ſit nulla*: præterquamquod nullitas hujuſmodi profeſſionis habetur à
8 natura contractus: Profeſſio namque Regularium utriuſque ſexus habet vim, & rationem contractus utrinque obligatorii, ut diximus in *Prima parte reſol.* 18. *nu.* 12., contractus, inquam, inter profitentem, & Religionem, in qua quis profitetur ſolemniter, qui contractus, ut ſit validus, debet fieri ſecundùm ea, quæ poſitivè, & expreſsè præſcribuntur à Jure Eccleſiaſtico, & præcipuè ubi jus, præcipiens quaſdam ſolemnitates pro validitate actus, declarat apertiſſimè, omiſſionem earumdem, ſive alicujus earum, inducere nullitatem ejuſdem actus, quemadmodum evenit in contingentia facti per *Textum* adductum, ut ſupra: Profeſſio igitur, cum ſit contractus, quatenus Regularis, tranſacto probationis anno, profitendo Vota ſolemnia ſe obligat Religioni, cum onere inſerviendi Deo, & quidem in omnibus miniſteriis, juxta regularem diſciplinam, & Religio ſe obligat profitenti cum onere, hoc eſt illum alere toto tempore vitæ ſuæ; ad hoc autem, ut contractus iſte ſit validus, fieri debet utrinque ſinè dolo, & ſinè ulla fraude, ſervatis nempe à Jure ſtatutis, quod ſanè non fuit factum à præfata Sempronia, profitendo ſcienter, & doloſè ante tempus ſtatutum à *Concilio*, unde invalidè profeſſa, & per conſequens pro ſui conſcientia rea, nondum revera incorporata Religioni teneretur ad reſtitutionem ſuſceptorum alimentorum à die illicitæ, & invalidæ Profeſſionis emiſsæ adúſque diem hodiernum, quia illa doloſè, & cum fraude con-

 tra-

Digitized by Google

traxit, & propterea nulliter, & per conſequens nullum jus acquiſivit percipiendi alimenta à Monaſterio, & Prælatus dece-
9 ptus ab eadem, per exhibitam Fidem Baptiſmatis falſam, ut ſupra, non habuit animum, ſicut neque Monialium Capitulum, illam acceptare in Profeſsam, niſi ad formam, & juxta mentem *Sacri Concilii*, hoc eſt, in ætate ab eodem ſtatuta, & non aliter, nec alio modo: edocta ergo Sempronia per Confeſsarium de nullitate ſuæ Profeſſionis in foro conſcientiæ,
10 idem Confeſsarius prudens debet ipſam conſulere, quatenus maneat in ſua vocatione, pro remedio; dicendo, recurrendum eſse ad *Sacram Pœnitentiariam de Urbe*, à qua unicè impetrari debet ſanatoria, ut fieri ſolet in cauſis matrimonialibus pro ſanandis Matrimoniis nulliter initis ex defectu alicujus impedimenti dirimentis occulti.

11 Ad primum igitur negatur antecedens quoad utramque partem, quia licèt fuerit ſtatutum tempus determinatum quoad ætatem, pro emiſſione Profeſſionis à *Concilio Tridentino*, ad favorem profitentium in quacunque Religione, tam Virorum, quàm Mulierum, hoc eſt, ne in minori ætate cogerentur, aut deciperentur ab extraneis, vel etiam ſe ipſos deciperent, neſcientes quæ, & qualia onera ipſa Profeſſio inducat, & dein
12 pœniterent, voluit nihilominus *Concilium* apponere præfatam ætatem, tanquam requiſitum neceſſarium de ſubſtantia ad validitatem actus Profeſſionis, ita ut, hac deficiente, omnimodè nulla ſit Profeſſio; & de facto *Sacra Congregatio Concilii* pluries declaravit nullam Profeſſionem eorum Regularium,
13 quam ipſi emiſerant ante ætatem, immo etiam ante completum annum probationis, ut *adnotavimus in Prima Parte reſol. 5. nu. 6. pag. 3. & ſequent.* Poſset hoc totum dilucidari exemplo ejuſdem *Concilii*, ex eo quòd voluerit ad validitatem contractus matrimonialis ita requiri præſentiam Parochi, & duorum Teſtium, ut, his deficientibus, matrimonium cenſeatur nullum. De cæterò Profeſſio emiſsa in contingentia facti à præ-
fata

fata Sempronia eſt ita nulla, ut detur locus pœnitentiæ, & ſi reclamaret, ex defectu ætatis pro nullitate, & præcipuè ſi aſſereret, ſe doloſè, & cum fraude geſſiſſe, & inſuper aſſereret, ſe non credidiſſe ſui Profeſſionem, tunc invalidam, futuram validam, adveniente ætate determinata à *Concilio*, & hoc ad evadendum titulum bonæ fidei, *Sacra Congregatio* adhærendo *Decretis Tridentini loc. cit.* certò declararet, præfatam Profeſſionem Semproniæ eſſe nullam.

14 Ad ſecundum, dato antecedente, negatur conſequentia, eò quòd paritas non currat: in primis quia *Concilium ſeſſ.* 23. *de Sacramento Ordinis cap.* 12. *de reformatione*, quamvis decreverit, neminem debere promoveri ad Ordinem Subdiaconatus ante vigeſimum ſecundum ætatis annum, non annullavit tamen ordinationem, factam ante annum vigeſimum ſecundum; at, loquendo *ſeſſ.* 25. *de Regularibus*, & *Monialibus cap.* 15. de ſo-

15 lemni profeſſione Regularium, tam virorum, quàm mulierum, non ſolùm prohibet, Profeſſionem fieri ante decimum ſextum annum expletum, ſed etiam declarat apertiſſimis verbis, eſſe nullam ſub his terminis: *Profeſſio autem antea facta ſit nulla*. Deinde, ut advertunt *Canoniſtæ apud Patrem Giribaldum de Sacra-*

16 *mentis tract.* 9. *de Ord. cap.* 4. *dub.* 2. *nu.* 8., ætas præſcripta per *Tridentinum* ad ſuſcipiendum Subdiaconatũ non eſt neceſſaria de neceſſitate Sacramenti, cum non ſit conſtitutiva ejuſdem, ſed tantùm quid prærequiſitum, eidem tamen extraneum, quatenus eſt ſolùm de neceſſitate præcepti de Jure novo; de facto enim, ut notant *Auctores*, Infantis ordinatio, ante uſum rationis, ad Ordines minores, quamvis ſit illicita, cum ſit in Jure, certa, & determinata ætas præſcripta, nihilominus ſi fieret à legitimo Miniſtro, ſub debita forma, & ritu, eſſet valida, eò ut non eſſet ampliùs iteranda, ut colligitur ex *capite unico de Clerico per ſaltum promoto*: è contra verò in caſu noſtro diſcurrendum eſt, quia Jus Eccleſiaſticum prohibens, profeſſionem fieri poſſe à Regularibus, ante completum decimum ſextum

 ætatis

INDEX
RESOLUTIONUM PRACTICARUM

RESOLUTIO I.

MOnialis die decima ſexta menſis Januarii confitetur peccatum grave apud Confeſſarium extraordinarium datum à Superiore pro omnibus Monialibus ad formam Sac. Conc. Trid. cum hac clauſula in ſcriptis; *ſpatio quindecim dierum incipiendorum à die prima ejuſdem Menſis datæ licentiæ*, dubitans de validitate actus, propterea conſulit Confeſſarium ordinarium. pag. 1

RESOLUTIO II.

Monialis Profeſſa rea convicta, & poſtmodum confeſſa graviſſimi delicti, damnata fuit juridicè ad perpetuum carcerem in ſuo Monaſterio: clauſa in carcere confitetur Sacramentaliter ſemel in menſe apud Confeſſarium ordinarium Monialium, & occaſione Confeſſionis Sacramentalis quærit à Confeſſario, an poſſit fugere ab eadem, & Monaſterio abſque metu violationis clauſuræ. 8

RESOLUTIO III.

Monialis, amiſſa confidentia Sacramentali apud ſui Confeſſarium ordinarium, confitetur eidem ſolùm peccata venialia, reticendo unum peccatum mortale dumtaxat, verùm cum propoſito illud confitendi quamprimùm Confeſſario extraordinario. 15

RESOLUTIO IV.

Prioriſſa Monaſterii multò ante Capitulum pro electio-

Digitized by Google

ctione novæ Prioriſſæ induxerat majorem numerum Monialium ad ſibi promittendam nominationem in favorem Monialis ſibi plurimùm confidentis ad excluſionem alterius; Moniales verò tempore electionis nominarunt Monialem, cujus excluſionem Prioriſsa intendebat. pag. 21

RESOLUTIO V.

Monialis unius Monaſterii ſcripſit Epiſtolam ad Monialem alterius Monaſterii, narrando querimonias contra ſui Confeſſarium ordinarium, qui triennio proximè futuro debet audire Confeſsiones tanquam ordinarius Confeſſarius apud illud aliud Monaſterium. 29

RESOLUTIO VI.

Monialis in diebus Feſtis vellet ſpatio duarum horarum circiter acu pingere opus phrygium, aut ſericos flores fabricare, & propterea conſulit ſui Confeſſarium. 36

RESOLUTIO VII.

Prioriſſa Monaſterii, ubi de Jure Conſtitutionum ſtatutus eſt numerus Monialium, v. g. triginta trium, & non ultra, promittit puellæ petenti Religionis ingreſſum locum primò vacaturum per obitum alicujus Monialis. 42

RESOLUTIO VIII.

Monialis Profeſſa, morte ſubitanea defuncta, inventa fuit habere apud ſe decem Aureos, & Abbatiſsa ſtatim conſulit Confeſſarium; an ſit privanda Sepultura eccleſiaſtica? 46

RESOLUTIO IX.

Monialis Profeſſa ex gravioribus Monaſterii, cujus fuit Abbatiſsa ſæpe ſæpius violat Votum Obedientiæ, & pro ſui conſcientia conſulit Confeſſarium; an ſemper peccet mor-

mortaliter? pag. 52

RESOLUTIO X.

Abbatiſsa præcipit Moniali Profeſſæ aliquod opus indifferens, & Monialis recuſat obtemperare; unde plures Moniales deſumunt ſcandalum, & propterea conſulunt Confeſſarium; an aliquod peccatum illa Monialis commiſerit contra Votum Obedientiæ? 57

RESOLUTIO XI.

Monialis privata, aliàs Abbatiſsa Monaſterii, ex anteacta conſuetudine in ſui Abbatiſſatu, donat ſinè licentia modernæ Abbatiſsæ ſui Pictantiam pauperibus in dies accedentibus ad januam ejuſdem Monaſterii: recogitans autem in corde ſuo hujuſmodi conſuetudinem, dubitat; an bene, vel malè ſe gerat, & propterea conſulit Confeſsarium. 62

RESOLUTIO XII.

Puella educata in Monaſterio ab eius pueritia uſque ad annum vigeſimum, agens decimum quintum vovit, & juramento firmavit, etiam de conſilio Confeſsarii ordinarii, induere Habitum illius Inſtituti; completo autem anno vigeſimo, colaphizata ſtimulis carnis uſque ad culpam, pœnitet ſe feciſse tale Votum, & propterea conſulit modernum Confeſsarium ordinarium quid agere debeat, & ad quid teneatur. 68

RESOLUTIO XIII.

Monialis, recurrente Indulgentia Plenaria conceſsa Ordini ſuo ad formam Jubilæi, habita Confeſſione peccatorum ſuorum pro conſequenda Indulgentia, recuſat adimplere pœnitentiam ſibi injunctam à Confeſsario, dicens, ſe

vel-

velle illam compenſare lucratione recurrentis Indulgentiæ. pag. 73

RESOLUTIO XIV.

Abbatiſſa Monaſterii, ubi non viget vita communis, dat licentiam ſuis Monialibus, ut poſsint tempore bacchanaliorum ludere, cauſa recreationis, Ludo, qui vulgò dicitur *Tarocchini*, expoſita pecunia ad lucrum, nulla præſcripta quantitate pecuniæ, & propterea aliquæ Moniales exponunt Ludo aliquando totum ſui peculium. 79

RESOLUTIO XV.

Monialis Profeſſa habens omnia requiſita ad votandum in Capitulo pro eligenda nova Abbatiſsa ſui Monaſterii, currente die illius electionis, paulò ante ipſam electionem, ex ira percuſsit graviter, clandeſtinè tamen, aliam Monialem non Profeſsam, adhuc Novitiam. 84

RESOLUTIO XVI.

Monialis Profeſsa emit ſuo peculio quædam Animalia, quæ poſuit in prædio ſui Monaſterii, facta conventione cum Colono ejuſdem, ut ſibi ſolvat certam pecuniam pro ſingulis beſtiis, ſub aliis quibuſdam pactis ſervandis: dein dubitans, an hoc ſit ſibi licitum conſulit Confeſſarium. 92

RESOLUTIO XVII.

Monialis Profeſſa die ultima carnis privii, dimiſso Habitu Religioſo, induta Habitu virili, acceſſit clandeſtinè à Monialibus ad Crates Locutorii cauſa recreationis, & confabulationis cum fœminis extraneis dumtaxat: die ſequenti Cinerum pro habenda Sanctiſſima Communione confitetur ſacramentaliter, & ſe accuſat de hujuſmodi acceſſu. 97

RE-

RESOLUTIO XVIII.

Abbatiſſa Monaſterii S. Baſſi, recreationis gratia, permiſit ſuis Monialibus, dimiſſo habitu Monaſtico, induere habitum virorum, tum mulierum in ſęculo, ut choreas ducant, & ludicram repræſentationem nuptiarum habeant coram aliis Monialibus, necnon præſentibus puellis educandis. pag. 101

RESOLUTIO XIX.

Monialis Profeſſa habens peccatum reſervatum confitetur illud unà cum cæteris peccatis ſui Prælato proprio, ſive habenti facultatem delegatam; ſed ex defectu doloris, aut firmi propoſiti ampliùs non peccandi, ejus Confeſſio eſt ſacrilega, & nulla. Dein iterum confitetur eadem peccata Confeſſario ordinario Monaſterii, habens verum dolorem, & firmum propoſitum non peccandi de cęterò. 108

RESOLUTIO XX.

Monialis pluries confeſſa eſt ſacramentaliter certum quoddam peccatum grave, quod commiſit, data occaſione proxima peccandi; Confeſſarius ordinarius miſericordia motus illam abſolvit: Videns autem idem Confeſſarius, Monialem abuti tanta miſericordia, ſeriò admonet Monialem, ut dimittat dictam occaſionem, & Monialis renuit illam dimittere. 114

RESOLUTIO XXI.

Quædam Monialis Profeſsa in Monaſterio S. Leopoldi Pariſiorum ſatìs perita in arte Pictoria pennicillo ſuo formabat Mulieres famoſas, & pulchriores illius Regionis ad petitionem cujuſdam Equitis Angli: tractu temporis dubitans, an licitè pingeret, conſulit ſui Confeſſarium: itaq; 120

RESOLUTIO XXII.

Monialis ex gravioribus inter Profeſſas ejuſdem Monaſterii ultra Montes obſervavit, homines Piſtores ad conficiendum Panem pro Monialibus, currente hyeme, introduci ante ortum Solis in clauſuram Monaſterii. Electa eadem Monialis in Abbatiſſam dubitans, an eorum ingreſſus pro tali tempore licitus ſit, conſulit pro ſui conſcientia Confeſſarium. pag. 126

RESOLUTIO XXIII.

Monialis, recurrente ſolemnitate omnium Sanctorum, audivit ſacram Concionem ſuper Virtutibus Theologicis Fidei, Spei, & Charitatis, & hinc deſumit occaſionem quærendi à ſui Confeſſario; an, quando, & quomodo teneatur actus Fidei, Spei, & Charitatis elicere; itaque. 133

RESOLUTIO XXIV.

Monialis in Monaſterio, ubi non viget vita verè communis, emiſit profeſſionem, nulla reſervata ſibi penſione: tractu temporis infirmata cum diſcrimine vitæ multa incommoda paſſa eſt, ex defectu pecuniæ ad ſui uſum, dein ſanata furata eſt Monaſterio dietim multa modica ad faciendum unum ſatìs pro indigentiis, occurrente alia infirmitate, & tunc conſulit Confeſſarium pro ſalute animæ ſuæ. 140

RESOLUTIO XXV.

Confeſſarius, audita Sacramentali Confeſſione Monialis circa materiam Voti paupertatis, denegat dare abſolutionem ex eo quòd Monialis ſuſtineat in ſententia minùs probabili, & minùs tuta, ſe peccaſſe tantùm venialiter, & è contra Confeſſarius judicat, illam deliquiſſe graviter, juxta

ſui

Digitized by Google

ſui tutiorem,& probabiliorem opinionem. pag. 145

RESOLUTIO XXVI.

Monialis ſciens, Regulam ſui Ordinis prohibere carnis comeſtionem, à qua tamen non abſtinet Communitas Monialium, gravi conſcientiæ remorſu agitatur, & propterea conſulit Confeſsarium; an, non obſtante conſuetudine in contrarium, ipſa teneatur abſtinere ab eſu carnium ſecundùm ſui Regulam? 152

RESOLUTIO XXVII.

Monialis Profeſſa privata dat ſinè licentia Superiorum Regularibus,& recipit ab eiſdem Epiſtolas,& pro ſui quiete conſcientiæ conſulit ſui Confeſſarium ordinarium; an hoc ſibi liceat. 158

RESOLUTIO XXVIII.

Abbatiſſa, expleto triennio Abbatiſſatus, iterum eligitur,& auctoritate Pontificia confirmatur ad aliud triennium, quo completo, Moniales cupientes, illam ipſam denuo,& immediatè eligere in Abbatiſsam pro triennio proximè ſequenti, conſulunt Confeſſarium; an hoc fieri liceat ſinè licentia Papæ? 165

RESOLUTIO XXIX.

Monialis complex gravium delictorum alterius Monialis, propter quę delicta conturbatur graviter tota Communitas Monialium, à qua ignoratur rea principalis eorundē delictorum, conſulit ſui Confeſſariū; ad quid teneatur? 172

RESOLUTIO XXX,

Monialis præſumpta rea graviſſimi criminis à majori parte conſororum ejuſdem Monaſterii, ratione cujus Moniales omnes vehementiſsimè timent, ſibi imminere graviſ-

ſima damna, interrogata extrajudicialiter de veritate dicenda conſulit Confeſsarium; an teneatur ſub gravi ſe prodere? pag. 179

RESOLUTIO XXXI.

Monialis rea gravis delicti, negativa tamen ejuſdem apud ſuum Superiorem, detenta in carceribus Monaſterii, & interim cupiens conſulere conſcientiæ ſuæ apud Deum, mittit Monialem cuſtodem carceris, ſibi multùm confidentem ad Confeſſarium ordinarium unà cum notula ſuorum peccatorum, ut confiteatur illa ſacramentaliter eidem Confeſſario nomine ſuo, ac ſi ipſa rea eſſet præſens pro abſolutione obtinenda ab eodem Confeſſario, audita hujuſmodi Confeſſione. 186

RESOLUTIO XXXII.

Monialis Profeſſa in Monaſterio, ubi non viget vita communis, ſinè licentia Superioriſsæ pignoravit ſuper Montem Pietatis quædam ſui uſus Mobilia, ut pecuniam ſibi mutuatam exponeret Ludo vulgò *Seminario di Genova, o di Milano*: deinde, facto pignore, & pecunia ludo expoſita, quærit à Confeſsario; an hoc fuerit ſibi licitum? 193

RESOLUTIO XXXIII.

Monialis capitularis, propoſita Puella in Capitulo, ut admittatur tanquam Educanda in Monaſterio, ſciens majorem partem Capitularium inclinare ad illius admiſsionem, nolens ipſa, ut acceptetur, octo ſive multò plures fabas nigras per ſemetipſam poſuit in urna, unde Capitulum haberetur nullum: dein quæſitum fuit à Confeſſario; an præfata Monialis eſſet culpabilis? 199

RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO XXXIV.

Abbatiſſa noviter electa quærit à Confeſſario; uſque ad quam ſummam poſſit dare licentiam Moniali pro expenſis faciendis de ſuo Peculio. pag. 204

RESOLUTIO XXXV.

Monialis electa in Abbatiſsam concedit ſingulis Monialibus petentibus licentiam expendendi ſuum Peculium, prout ſibi ipſis bene viſum fuerit, durante triennio ſui ipſius Abbatiſſatus: una autem, vel duæ ex illis donant in dies medietatem ſui peculii partim Amico ſęculari, & partim Confeſſario ordinario: dein dubiæ; an hoc faciant licitè, conſulunt ipſum Confeſſarium donatarium. 210

RESOLUTIO XXXVI.

Monialis de licentia Abbatiſsæ donat alteri Moniali varia pretio æſtimabilia, & hæc, nulla obtenta licentia ab Abbatiſsa, illa retinet: dein ambæ conſulunt ſui Confeſſarium, illa; an potuerit donare? Et hæc; an poſſit retinere abſque vitio proprietatis contra Votum Paupertatis? 217

RESOLUTIO XXXVII.

Monialis Profeſſa ex juſta cauſa remiſit ſinè ulla licentia partem ſui redditus annui per triennium Parentibus ſuis; dein conſcientia tacta, an hoc potuerit facere licitè, conſulit Confeſſarium. 223

RESOLUTIO XXXVIII.

Monialis, cui Abbatiſsa dedit licentiam emendi de ſuo peculio *Opera S. Franciſci Saleſii*, emit alios Libros profanos: dein dubitans, an hoc ſibi fuerit licitum, conſulit pro ſui conſcientiæ gubernio Confeſſarium ordinarium. 229

RE-

Digitized by Google

RESOLUTIO XXXIX.

Monialis ſinè licentia ſuæ Superioriſſæ accepit plura Munuſcula, dein dubitans, an licitè, conſulit ſui Confeſſarium. pag. 235

RESOLUTIO XL.

Monialis Profeſſa, habens licentiam ab Abbatiſsa recipiendi Dona ab amicis indefinitè, accepit decem aureos à Titio, qui fuerat ejus amaſius in ſæculo inter loquendum de præteritis amoribus, & eoſdem aureos implicavit in rem utilem Monaſterio; unde orta fuit contentio inter duos Confeſſarios Monialium, altercantes inter ſe de peccato, & quali peccato eſſet rea eadem Monialis. 240

RESOLUTIO XLI.

Monialis excipiens viſitationem nobilis Matronæ ad januam Monaſterii, ſedendo tenet ambos pedes extra januam clauſuræ; Janitrices autem Monaſterii illam redarguunt de violata clauſura, illa verò ſuſtinens oppoſitum recurrit ad Confeſſarium in ſui defenſam. 245

RESOLUTIO XLII.

Monialis Prælato ſuo viſitanti cellas Monaſterii occultavit nonnulas res, quas acquiſierat de licentia alterius Superioris, & dein aliquo remorſu conſcientiæ; an potuerit hoc facere licitè, conſulit Confeſſarium. 251

RESOLUTIO XLIII.

Monialis in Monaſterio, ubi non viget vita communis, in obitu alterius Monialis ejus Sororis carnalis de licentia ipſius Sororis ſibi appropriat Veſtes. & varia linteamina, quibus utebatur Soror ſua defuncta, poſtmodù conſulit Confeſſarium; an illa poſſit licitè retinere apud ſe ad ſui uſū? 225

RE-

RESOLUTIO XLIV.

Monialis, quæ reclamavit, ſervato Juris ordine, ſuper nullitate Profeſſionis, videns ſui Ordinarium non velle agere ſui cauſam, exierat à Monaſterio, &, dimiſſo habitu Monaſterii, adierat aliam Civitatem, ubi retenta de mandato Epiſcopi illius Civitatis in domo apud Matronam honeſtam, donec idem Epiſcopus haberet oraculum *Sac. Congregationis*, eadem Monialis auctoritate propria exivit ab eadem domo, cauſa inviſendi Sanctuarium B.V. Sanctiſſimi Roſarii. Hinc dubitatum fuit; an hujuſmodi Monialis violaverit clauſuram per egreſſum à ſui Monaſterio, necnon ab eadem domo, & inciderit in aliquam pęnā? pag. 261

RESOLUTIO XLV.

Monialis Profeſſa graviſſimè dubitans, an fuerit Baptizata ſe fecerat Rebaptizare ab alia Moniali clandeſtinè; quod, ut ſolet contingere de ſecretis Monialium, cum factū fuerit publicum ab ipſis Monialibus, hoc eſt à Baptizata, & à Baptizante, dedit occaſionem dubitandi poſtea de validitate Profeſſionis Rebaptizatæ, & conſultus fuit Confeſſarius pro Reſolutione. 269

RESOLUTIO XLVI.

Monialis Profeſſa habet in Cella ſua quædam ſupellectilia contraria primævo ſui Inſtituto. Prælatus in viſitatione Monaſterii præcipit eidem, ut amoveat illa: Monialis autem renuit obedire, dicens, ipſa mobilia eſſe juxta pręſentaneam conſuetudinem Monaſterii. 275

RESOLUTIO XLVII.

Monialis ex contemptu tranſgreditur bis, aut ter Regulam, v.g. adeundi Chorum, non obligantem ſub gravi, nec

Digitized by Google

ſub veniali, & nihilominus de hujuſmodi tranſgreſſione ſe accuſat in Confeſſione Sacramentali. Quæritur: an ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ? pag. 282

RESOLUTIO XLVIII.

Imminente electione novæ Abbatiſsæ Monaſterii Sanctæ Geltrudis, una ex Electricibus conſulit pro ſui conſcientia Confeſſarium, quærendo ab eodem; an teneatur eligere digniorem ſub peccato mortali, an verò poſſit licitè eligere dignam, poſthabita digniore? 288

RESOLUTIO IL.

Puella educanda excipiens viſitationem Matris ſuæ ad januam Monaſterii illam admittit intra Clauſuram ſinè ulla licentia, dein aliquæ Moniales ſupervenientes, illam videntes intra ſepta Monaſterii, ipſam oſculo pacis more mulierum ſalutant, & cum eadem loquuntur de variis rebus. 294

RESOLUTIO L.

Monialis cupiens loqui de re temporali cum Sacerdote Regulari cogitat illum procurare ab Ordinario in ſui Confeſſarium extraordinarium, animo tamen non confitendi Sacramentaliter apud ipſum. Antequam illum petat, conſulit Confeſſarium ordinarium; an hoc facere licitum ſit? 301

RESOLUTIO LI.

Nobilis Matrona multùm dives in ultimo ſuo Teſtamento, cum quo deceſſit, reliquit Monialibus cujuſdam Monaſterii Legatum triginta millia aureorum, cum hac conditione, quòd Moniales ejuſdem Monaſterii, ubi non viget vita verè communis, amplectantur vitam communem

Digitized by Google

nem. Moniales autem nolentes immutare ſtatum ſuum recuſarunt Legatum. Quæſitum fuit; an licitè poterint renunciare Legatum, & onus? pag. 307

RESOLUTIO LII.

Monialis tempore Quadrageſimæ vellet invertere tempus comeſtionis, hoc eſt, parvam refectiunculam facere de manè hora ſolita prandii aliarum Monialium, & in Veſperis eadem hora prandere; dubitans autem, an hoc ſit ſibi licitum, interrogat ſui Confeſſarium ſuper quid agendum. 314

RESOLUTIO LIII.

Abbatiſſa Monaſterii non exempti quærit à Confeſſario ordinario; an in aliquo caſu poſſit concedere licentiam ingrediendi clauſuram extraneis, inconſulto Superiore? 319

RESOLUTIO LIV.

Monialis in Monaſterio, ubi non viget vita verè communis antequam profiteretur dedit centum Aureos eidem Monaſterio, ut ſibi ſolverentur quinque Aurei ſingulis annis, ſua vita durante ab eodem Monaſterio; & hic Contractus initus fuit ſinè licentia Superiorum: unde Monialis facta Profeſſa dubitans, an poſſit percipere illos quinque aureos, conſulit ſui Confeſſarium. 324

RESOLUTIO LV.

Monialis Profeſſa dat mutuò decẽ Aureos de ſuo peculio alteri Moniali Converſæ, ut liberet Fratrem ſuum detentum in carceribus Principis, illam obligando ad aliqua peculiaria ſervitia ſibi præſtnda: dein dubia, an hæc ſibi liceant, conſulit Confeſſarium. 330

Digitized by Google

RESOLUTIO LVI.

Monialis Ordinis Sancti Benedicti Monaſterii ſubjecti Epiſcopo quærit à ſui Confeſſario ordinario, an poſſit gaudere privilegiis Spiritualibus conceſsis toti Ordini S. Benedicti à Pontificibus, poſtquam Monaſterium à juriſdictione ejus Ordinis tranſivit ad juriſdictionem Epiſcopi. pag. 335

RESOLUTIO LVII.

Abbatiſsa Monialium Ordinis S. Claræ, abſoluto biennio ſui Abbatiſſatus, fuerat immediatè denuo electa capitulariter in Abbatiſſam, & propterea quæſitum fuit; utrùm denuo, & immediatè electa recurrendum eſſet ad Sacram Congregationem? 341

RESOLUTIO LVIII.

Moniales paulò antequam congregarentur Capitulariter pro electione novæ Abbatiſsæ tractarunt inter ſe; an poſſent eligere Monialem, quam putant valde dignam Abbatiſsatus, ſed illegitimam: orta autem contentione inter ſe ſuper poſſe, & non poſſe, illam eligi, quæſierunt reſolutionem à Confeſſario. 347

RESOLUTIO LIX.

Ordinarius, & Abbatiſsa præcipiunt diverſa Opera pia Monialibus, quæ aliàs Regularibus ſubjectæ emiſerunt vota in manibus Superiorum ſui Ordinis &c. 353

RESOLUTIO LX.

Sempronia tanquam educanda in Monaſterio Corcyrenſi, cupiens fieri Monialis, nondum tamen in ætate ad hoc requiſita, ut liberetur ab onere ſolvendi alimenta menſualia, exhibet Fidem Baptiſmatis ſenioris Sororis ſuæ

jam

jam præmortuæ, ex qua Prælatus, & Moniales judicantes, illam habere ætatem præſcriptam, ipſam admittunt ad Profeſſionem ſolemnem: elapſo autem decennio à die Profeſſionis, Sempronia dubitat de validitate actus, & ideò conſulit ſui Confeſſarium. pag. 357

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM
Quæ in hoc Opere continentur.

Primus Numerus ſignat Reſolutionem: Secundus Numerum ejuſdem: Tertius paginam hujus Voluminis.

A

ABbas, ut pronunciet Sententiam, declaratoriam, in Monachum, ſuper vitio proprietatis, requiritur, ut ſit moraliter certus peculii, ut ſi interrogatus reſpondeat negativè, & in caſu ſubitaneæ mortis, inveniatur habere. Reſol.8. nu.10. pag. 49. Abbatiſſa, quæ certò ſcit, non dediſſe licentiam Moniali retinendi peculium, non poteſt privare Eccleſiaſtica ſepultura, quia forſan habuit licentiam ab Ordinario, ibidem nu.12. 13. pag.50. Gregorius Magnus privavit Monachum Eccleſiaſtica ſepultura, quia obſtinatè voluit mori proprietarius, ibid. nu.15. pag.51

Abbatiſsa videtur poſſe dare licentiam ad expendendum totum ſuum peculium annuatim, reſol.37. nu.1. pag. 205., licentia data Moniali, ante profeſſionem à Superioribus, ut, ex bonis paternis, quæ renunciabat, poſſet reſervare centum aureos, videtur, operari, quòd Abbatiſſa poſſet eidem concedere talem licentiam, eò quia, non conſtat de exceſſu, ibid. nu.2. 3. pag.206., facta ſibi tali reſervatione, videtur habere uſum facti ſui redditus annui, ibid.nu.4., reſolvitur poſſe dare talem licentiam expendendi, de ſui redditu, juxta exigentiam indigentiarum ibid. nu.5., præfata poſſet concedere licentiam expendendi annuum ſui redditum centum aureorum in neceſſariis ad vitam, quod ſupereſt eſſet impendendum in ſervitium Monaſterii, ibid. nu. 7. 8, pag. 207., quanta ſit pecuniæ ſumma, ad quam ſe extendit facultas Abbatiſsæ pro licentia, relinquitur arbitrio viri prudentis, ibid. nu 9., penſatis conditionibus Monialis volentis donare, ibid. nu. 10. pag.208.

Abbatiſſa dans licentiam Monialibus ludendi, tempore bacchanaliorum, cauſa recreationis, ludo qui vulgo dicitur *Tarochini*, abſque præſcriptione quantitatis pecuniæ, quarum aliquæ totum peculium exponunt, videtur, non poſſe, quia obſtat Lex prohibens, reſol.14. nu.1. pag. 80., poteſt dare licentiam, ut ludant de ſuo peculio, præciſa omni circumſtantia mala, ibid, nu. 4. 5. 6. pag. 81., modò in Regula proprii Statuti non ſit Lex in contrarium, ibid nu.9. pag.82, deberet explicitè taxare pecuniam, ne aliqua proclivis poſset abuti licentia, ibid. nu.10

Digitized by Google

nu.10., ubi eſt conſuetudo contraria, non poteſt, ſinè gravi culpa, dare licentiam, ibid. nu.11. pag.83.

Abbatiſſa Monaſterii, non exempti, videtur, non poſſe dare licentiam extraneis, ingrediendi clauſuram, reſol 53. nu.5. pag.320., non poteſt indicere clauſuram, ita nec dare talem facultatem, ibid. nu.2., talis licentia danda eſt ab Epiſcopo, ibid. nu.3. 4., eſt ſolius Epiſcopi, habentis juriſdictionem, non Abbatiſsæ, quia incapax juriſdictionis, ibid. nu 5. pag.321., ratione gravis neceſſitatis, poteſt, exiſtente periculo in mora, ibid. nu. ., ita & in caſibus repentinis poteſt concedere licentiam ingrediendi, ibid. nu.7. pag.322., ex præſumpta voluntate Superioris, poteſt, facultatem ingrediendi, concedere, ibid. nu.8.

Abbatiſſa Monialium Ordinis S. Claræ, abſoluto biennio ſui Abbatiſsatus, denuo fuerat electa capitulariter in Abbatiſſam, reſolvitur, poſſe denuo eligi ad alium annum ſinè ulla facultate Sac.Congreg. ſtante Conſtitutione Sixti V. reſol.57. nu.7. pag.345.

Arbor plantata extra confinia alicujus prædii, quamvis habeat ramos ſuos extenſos, intra ipſum prædium, cenſetur eſſe extra, idem reſol. 41. nu. 3. pag.246.

B

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt conferri illi, qui incidit in Excommunicationem ob gravem percuſſionem Clerici, reſol. 28. nu. 5. pag. 167.

C

Charitas aliquando urget, ſe exponere periculo patiendi graviſſima incommoda, pro ſalvanda vita proximi, reſol.30. nu.9. pag. 182.

Clauſtralis, per ſuffragium, excludens poſtulantem admitti ad Religionem, cum non ſit idoneus, non peccat, reſol. 33. nu. 3. pag. 200., ſi complens numerum, cum Capitularibus, concurrit ad excluſionem petentis, non eſt culpabilis, quia non poteſt ire contra conſcientiam ibid. nu.10., quando ſit impedimentum occultum acceptandi, debet monere vocales, de impedimento, ibid. nu.11.

Confeſſarius, debet habere motiva, ad redarguendam Monialem, ſedentem, intra limites clauſuræ, ſed tenentem pedes extra, de abuſu, ad ſedandas controverſia, reſol. 41. nu. 9. pag. 240., ad talem violationem requiritur integra egreſſio totius corporis à clauſura, ibid. nu. 11. 12. pag. 250.,

Confeſſarius videtur, poſſe audire confeſſionem, quam Monialis cuſtos facit nomine carceratæ, mittentis notulam ſuorum peccatorum, reſol.31. nu.1. 2. pag. 187., talis miſſio videtur ſufficiens, propter Regulam; qui per alium facit, per ſe facere videtur, ibid. nu. 3. pag. 188., non poteſt, quia adeſt ſententia damnata Clementis VIII., ibid. nu.7 8. pag.189.

Confeſſarii eſt uti maxima prudentia, in dignoſcenda occaſione proxima, propter tres ſententias damnatas, ab Innoc. XI., reſol.20. nu.12 pag.118., ſi Monialis in tali ſit, ex ſua voluntate, non debet abſolvi; ſi titulo neceſſitatis, modò in reliquis ſit diſpoſita, debet abſolvi, ibid. nu. 13. Confeſsarius videtur, debere tractare Monialem, quæ confeſſa fuit peccatum reſervatum, cum aliis ſuo Prælato, cujus non obtinuit abſolutionem, defectu doloris, tanquam ream ejus, quia reſervatio, non tollitur, niſi cum confeſſione Sacramentali, reſol.19.nu.1. 2. pag.109., debet eam abſol-

Digitized by Google

abſolvere; licèt enim confeſſio fuerit invalida, tollitur tamen reſervatio, ibid. nu.5.6. pag.110., ablatio reſervationis non pendet ab invaliditate Confeſſionis, ibid. nu.7. pag.111.

Confeſſarius non ſtatim tenetur obligare Monialem, abſtinere à carnibus, ſed probare à quo ſpiritu ducatur, reſol. 26. nu.4.5. pag.154., debet conſulere Viros doctos, ibid nu. 6. pag. 156., poſthabito quocunque remorſu, debet hortari Monialem ad talem eſum, ibid. nu.7. pag.157., ſi remorſus ſit tantus, ut videatur invincibilis, facto verbo cum Prælato, debet hortari, ut ſequatur ductum Spiritus Sancti, ibid. nu.8., & tandem abſtineat à Carnibus, ibid. nu. 10. pag. 158, Confeſſarius debet conſulere Abbatiſſam, non permittere piſtoribus ingreſſum, ante ortum Solis, cum agatur de materia valde delicata, reſol. 22. nu.7. 8. 9., Idem peccaret graviter, conſulendo diverſimodè, ibid. nu.12. pag.129.

Confeſſarius denegans abſolutionem Moniali ſuſtinenti in ſententia minùs probabili, ſe peccaſse venialiter, circa Votum Paupertatis, videtur, rectè facere, reſol.25. nu.1.2. pag.146., operatio honeſta debet eſſe directa regulis honeſtis, ibid.nu.3. pag 147., circa hanc, malè ſe gerit, quia illa ſequitur opinionem licitam, ibid. nu.4. 5. pag. 148., eſt Parochus Monaſterii, ex officio debet audire, & abſolvere, ibid. nu. 8. pag. 150., qui probabilem ſequitur, non dicitur eſſe in periculo peccandi, ibid. nu.9. Confeſſarius videtur, debere Moniali interroganti reſpondere, quoties, debet elicere, actum Fidei, Spei, & Charitatis, ſe ſemel teneri, reſol. 23. nu. 1. 2. pag. 134., quod dicitur de actu Fidei, ita de Spe, & Charitate, ibid. nu. 3. 4. 5. pag. 135., tenetur reſpondere, ſe ſemel teneri, & quoties urget neceſſitas, ibid. nu 6. 7. 8. 9., ſe teneri ſemel in vita elicere actum Fidei, eſt ſententia damnata ab Innoc. XI., ibid. nu. 11. 12. pag.138.

Cõfeſſarius videtur, poſſe conſulere Monialem, complicem gravium delictorum, ut abſtineat à tali cooperatione, reſol.29. nu 1. 2. pag. 173., videtur, non teneri, terrere corream minis, propter periculum damni, ibid. nu. 3. 4. pag.174., debet conſulere Monialem corream, ut deſiſtat, &, niſi denunciet, cui de jure, ibid. nu.5. 6. 7., ad hoc tenetur, ut impediatur damnũ temporale, & ſpirituale Monaſterii, ibid. nu.11. pag.176, tenetur, ut evitet periculum perdendi bonum nomen, ibid. nu.13. pag.177., ipſe tenetur reſpondere Moniali, quæ fuit Abbatiſſa, ſæpius violanti Votum Obedientiæ, ſi in levibus, non cadentibus ſub Regula ex inadvertentia, nihil peccare, reſol. 9. nu.5. 6. 7. pag 54., in tali caſu deberet hortari eam, ut in cunctis obedientiis, quæ explicitè, vel implicitè continentur in Regula, anteeat cæteras Conſorores, exemplo, ibid. nu.17. pag.57.

Confeſſarius debet reſpondere Moniali, donanti ſuam pictantiam, ſi parentibus in extrema neceſſitate, non peccare, quia utitur licentia interpretativa, reſol.11. nu. 10. 11. pag. 66., debet dimittere inabſolutam Monialem, nolentem acceptare pœnitentiam, in occaſione Indulgentię plenarię, reſol. 13. nu.9. pag. 77., ſatisfactio, eſt pars integralis, & debet poni cum ponitur Sacramentum, ibid. nu.10. 11. pag.77., etiamſi habeat animum exequendi, per alia bona opera, ibid. nu. 13. 14. 15. pag.78.

Confeſſarius videtur, poſſe relevare Puellam,

Digitized by Google

ellam,quæ vovit, & juramento firmavit,induere habitum ſui Inſtituti,quia vovere ſupponit ſcientiam objecti,reſol.12. nu. 4. 5. pag.69., debet cautè ſe gerere, agitur de re gravi, & conſulere eam ad ejus obſervantiam,ibid. nu.6. 7. pag.70., debet ei ſignificare, vim Voti, & juramenti,& eam hortari ad illud, ibid. nu. 10. 11. pag. 71., quia, nullam habet facultatem, circa irritationem, commutationem, & diſpenſationem, ibid. nu. 15., conſultus, an Monialis, recipiens plura munuſcula,ſinè licentia Abbatiſsæ, peccet, tenetur reſpondere, ſe peccare contra Paupertatem,& Obedientiam, ad menſuram materiæ, reſol.39.nu.9. 10. pag.237., ſi inconſideratè ſe geſſerit, tunc excuſabitur ab omni culpa, ibid. nu 11., videtur poſſe conſulere Monialem damnatam ad perpetuum carcerem, ut capiat fugam, reſol.2. nu.1. pag.9., talis promiſſio, non obligat cum tanto incomodo, ibid. nu.2., &,licèt rea gravis delicti, non videtur ſpoliata jure naturæ, quod habet ad egreſſum, ibid. nu. 3. 4.pag.10.,tenetur reſpondere, ſe ſtrictè teneri, ibi manere, nec poſſe aufugere, ſinè violatione clauſuræ,ibid. nu.15. pag.15.

